Alte Bibl.
3107



C.B.g.
489.

ATECHIS=
VS PIA ET VTILI
XPLICATIONE ILLV=
STRATVS.

IOANNE BRENTIO
AVTORE.



I. COR. XIIII.
Ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malicia pueri ſi
tis, Senſibus uero perfecti.

VVITTEBERGÆ

CANDIDO LECTORI GASPAR GRETERVS GVNDELSEMIVS S.

CVm nuper incidiſſem in explicationẽ iſtã Catechiſmi, ſpecie quidem perbreuem et anguſtam, uerum quod attinet ad doctrinam Spiritus ſancti, ſatis luculẽtam & amplam, quam ſuperioribus menſibus, importunis quorundam amicorum ſuorum efflagitationibus tantum non extortam, D. IOANNES BRENTIVS præceptor noſter in Chriſto nobis obſeruandus, ſcripſiſſet, non quidem in hoc ut ederetur, ſed ut haberent illi, cuius priuatim uſus eſſe poſſet in ſuis Eccleſijs. Iniquum ego ratus apud unum & alterum deliteſcere, quod ad multorũ ædificationem uſui futurum arbitrabar, euulgandum curaui, haud grauaα ñ tim

tim adnuentibus etiam ijs, quorum tunc intererat quàm maxime, quum & ipsi mecum considerarent, hunc libellum, quamlibet exiguum, non minus tamen Ecclesiæ profuturum, cꝫ alia huius uiri scripta. Quibus quantũ effecerit in his postremis temporibus nostris, & in tanta rituum ac doctrinarum disparilitate, si nunc commemorare uellem, & meis laudibus accumulare, profecto non minus male audiã, atq; is, qui apud Lacedęmonios Alciden laudaturus erat, quem nemo adhuc uituperasset. Constat enim quantifaciant hunc Autorem omnes uere pij, quo æquiores, & magis propicios mihi iudices futuros confido, qui me temeritatis citius absoluant, quòd alienum opus ædiderim. In hoc uero, si quid pecco, quid tum? modo ex hoc meo peccato utilitas aliqua promanet, si non ad doctiores & magis exercitatos, quibus hic nihil præscribitur, at saltem ad rudiores & mei similes, quorum gratia hic explicandi modus

ab

ab ipso autore conscriptus est, quanquam in hoc lecturi sint etiam illi, nisi me mea fallat opinio, cuius post non admodum pœnitere possit.

Vale in Christo bene.

4. Kalend. Mart.

An. 1551.



CATECHISMVS.

Quæstio.

Cuius es religionis?

Responsio.

Sum religionis Christianæ.

Q.

Quam ob causam?

R.

Quia credo in Iesum Christum, & baptisatus sum in nomine Iesu Christi.

DE BAPTISMO.

Q.

Quid est Baptismus?

R.

Baptismus est sacramentum, seu diuinum signaculum, quo certo significat Deus pater per Iesum Christum filium suum cum Spiritu sancto, quod sit ei, qui baptisatur, Deus propicius, ac remittat ipsi peccata gratuita clementia, propter

pter Iesum Christum, & adoptet eum in filium ac hæredem omniū cœlestium bonorum.

Recita testimonia Scripturæ, quibus institutio huius Sacramenti probatur.

R.

Matthæi ultimo, Locutus est Iesus discipulis suis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filiꝫ & Spiritus sancti, docentes eos seruare OMnia, quæ præcepi uobis.

Et Marci ultimo, Ite in mundum uniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur.

DE SYMBOLO fidei Christianæ.

Recita Symbolum fidei.

R.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus ex Maria uirgine, Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, et sepultus, Descēdit ad inferos, Tertia die resurrexit à mortuis, Ascendit ad cœlos, Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, Inde uēturus est ad iudicandum uiuos & mortuos.

Credo in Spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam catholicam, Communionem Sanctorum, Remissionem peccatorum, Carnis resurre-

ſurrectionem, Et uitam æternam.

Q.

Quæ eſt huius fidei utilitas?

R.

Hæc eſt utilitas eius, quòd reputor per hanc fidem, coram Deo iuſtus & ſanctus, propter Ieſum Chriſtum, & ꝙ per eam donatur mihi Spiritus orandi, et inuocandi Deum ut Patrem, & inſtituendi uitam meam, iuxta mandata Dei.

Q.

Qua oratione ſoles Deum inuocare?

R.

Oratione Dominica, quam Chriſtus nos docuit.

Recita orationem Dominicã.

R.

Pater noſter qui es in cœlis.
Sanctificetur nomen tuum.
Veniat regnum tuum.

Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo ſic etiam in terra.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos ā malo.

Quia tuum eſt regnum, et potētia, et gloria in ſecula ſeculorū, Amen.

DE DECALOGO.

Q.

Quæ ſunt mandata Dei?

R.

Ea ſunt, quæ in Decalogo continentur.

Recita Decalogum.

R.

Ego ſum Dominus Deus tuus.

Primum.

Non habeas deos alienos corā me.

Se-

II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum.

III.

Memẽto, ut diem Sabbati sanctifices.

IIII.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longæuus.

V.

Non occidas.

VI.

Non committas adulterium.

VII.

Non facias furtum.

VIII.

Non loquaris falsum testimonium aduersus proximum tuum.

IX.

Non concupiscas uxorem proximi tui.

X.

Non concupiscas domum proximi tui, nec ulla quæ illius sunt.

Q.

Ad quem uſum traditus eſt Decalogus?

R.

Primum, traditus eſt Decalogus ad hunc uſum, ut ex ipſo diſcamus peccata noſtra agnoſcere. Deinde, ut ex ipſo diſcamus, quæ opera Deo placeant, & quæ facienda ſint, ut honeſtam uitam ducamus.

Q.

Poſſumus ne noſtris operibus mandata Dei perfecte implere?

R.

Nequaquam, noſtra enim opera, non ſunt perfecte bona, propterea, q̃ ſumus in peccato concepti et nati. Sed ut ſaluti noſtræ conſuleretur, donauit nobis Dominus Deus noſter unigenitum filium ſuum Ieſum Chriſtum, qui nullum unquam peccatum fecit, & impleuit omnia mandata Dei perfectiſſime

sime. Quare si in hunc Iesum Christum credimus, reputat nos Deus gratuita clementia sua, propter Christum, perinde ac si nos ipsi omnia mãdata Dei impleuissemus.

Q.

Quæ causa est cur debeamus bona opera facere?

R.

Non propter hanc causam, ut satisfaciamus nostris operibus pro peccatis, & mereamur æternam uitam. Solus enim Christus satisfecit pro peccatis nostris, & meritus est nobis æternam uitam, Sed debemus bona opera facere, ut his testemur fidem nostram, & agamus gratias Domino Deo nostro pro beneficijs suis

DE SACRAMENTO Cœnæ Dominicæ.

Q.

Q.

Quid eſt faciendum, ut confir memus fidem noſtrã in aduerſis, & accipiamus cõſolationem in af=flictionibus?

R.

Vtendum eſt cœna Dominica.

Q.

Quid eſt cœna Dominica?

R.

Cœna Dominica eſt Sacramen tum ſeu diuinum ſignaculũ, quo Chriſtus uere preſens, offert ac do nat nobis pane & uino corpus & ſanguinem ſuum, et certificat nos, quòd remittantur nobis peccata, et pertineat ad nos ius æternæ ui=tæ.

Recita uerba, quibus Euangeliſtæ & Paulus deſcribunt inſtitutionem Cœnæ Dominicæ.

R.

Dominus Ieſus in ea nocte, qua tradi

traditus est, & cum discipulis suis cœnauit, accepit panem, et cum benedixisset, ac egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationem.

Et accepto poculo, postquã cœnauit, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc OMNES, Hic est enim sanguis meus, qui est noui Testamẽti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemorationẽ.

DE CLAVIBVS REgni cœlorum.

Q.

Quæ sunt Claues regni cœlorũ?

R.

Ministeriũ, seu prædicatio Euangelij de Iesu Christo.

Recita

Recita è ſcriptis Euangeliſtarum aliquot dicta, quibus Ieſus Chriſtus inſtituit miniſterium prædicandi Euangelij ſui.

R.

Apud Lucam capite decimo, dicit Chriſtus ad diſcipulos, quos ad prædicandum regnum Dei emittebat. Qui uos audit, me audit, et qui uos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eũ qui miſit me.

Et apud Matthæum capite decimo ſexto: Tibi dabo Claues regni cœlorum. Quicquid alligaueris in terris, erit alligatum in cęlis. Et quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis.

Et apud Iohannem capite uigeſimo. Accipite Spiritum ſanctũ. Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta ſunt.

FINIS *Catechiſmi.*

PRÆFATIO IN EXPLIcationem Catechismi.

CVM ratio officij nostri postulet, ut Catechismū, qui Ecclesiæ, præsertim puerorum, ad uerbum ediscendus proponitur, non solum publica lectione recitemus, uerum etiam interpretatione explicemus, dicendum nobis est initio, quid nomine Catechismi intelligatur: deinde quàm necessarium in Ecclesia usum habeat Catechismus. Hæc igitur uocabula, Catechismus, & Catechumenus, uidentur in Ecclesia usurpata esse ex Paulo, qui in Epistola ad Galatas cap. 6. ita scribit: Communicet Catechumenus sermone, ei, qui ipsum catechisat, in omnibus bonis. Etsi autem Catechumenus significat generaliter eum, qui sonanti uoce & sermone ab alio eruditur, & Catechismus significat eam doctrinam uocalem, qua alius alium erudit. Vnde & Philosophorum & Opificum discipuli

κατεχέω uoce eruditio. Deriuatū ab ἠχὼ Inde κατηχήσις, eyn mündtlicher bericht. Nunc dicimus, κατήχισμον,

quaſi uerbum eſſet κατηχέω.

ſcipuli, Catechumeni uocari poſſent, tamen in Eccleſia uox Catechumeni ſignificat Diſcipulum piæ & Chriſtianæ doctrinæ, Et Catechiſmus ſignificat eam doctrinam, quæ uoce è ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, de uera Religione Domini noſtri IESV CHRISTI auditoribus traditur.

Ac ſuperioribus quidem temporibus, cum Eccleſia, reuelato Euangelio, colligeretur ex Iudæis & gentibus, dicti ſunt Catechumeni hi, qui cum nondum accepiſſent ſacramentum Baptiſmi, auditores & diſcipuli erant Eccleſiaſticæ doctrinæ. Sic Catechumenus fuit Auguſtinus, ſic Ambroſius, qui & adhuc Catechumenus, electus eſt in Epiſcopum. Nunc autem poſtquam infantes, qui uocalis doctrinæ nondum ſunt capaces, baptiſantur, uocamus Catechumenos eos, qui cum poſt acceptum in infantia baptiſmum adoleuerint, in uera & pia doctrina Chriſti erudiuntur, ut quod in infantia ſuo modo crediderunt, & beneficio Spiritus ſancti acceperunt, hoc in adoleſcentia reuelate credere & intelligere incipiant. Sed & Catechiſmi uocabulum per ſe tam late in Eccleſia patet, ut comprehendat omnem, quamuis prolixam explicationem Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ. In præſentia autem nomine Catechiſmi intelligimus Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, Precationem Dominicam, et inſtitutionem Baptiſmi,

Catechumeni qui dicantur.

Cœnæ

Cœnæ Dominicæ, et Clauium regni cœlorũ. Quæ quidem paucis uerbis recitari solent, sed profecto sunt epitome et compendium uniuersæ sacræ Scripturæ, et continent in se, quicquid nobis ad ueram et æternam salutem cognitu necessarium est. Decalogus enim, etsi decem tantum Præceptis constat, unde et Decalogi nomen habet, ea tamen Præcepta sunt fontes et capita omnium legum, mandatorum et præceptorum Dei, quæ in omnibus scriptis Propheticis et Apostolicis continentur, atque adeo superat Decalogus, et autoritatis pondere, et utilitatis ubertate, bibliothecas omnium Philosophorum, & Iurisconsultorum. Symbolum autem Apostolicum, constat quidem duodecim tantum articulis, sed his summatim comprehenditur, quidquid uniuersa sacra Scriptura nobis de uero Domino DEO nostro credendum et sentiendum tradit. In precatione uero Dominica continetur quicquid in totis Biblijs Precationum & Psalmorum extat. Quibus partibus cum accesserit institutio Sacramentorum & Clauium regni cœlorum, pia doctrina hoc Catechismo ita absoluitur, ut eum recte ac proprie paruaBiblia uocare liceat. Sed quid Catechismi nomine intelligamus, hæc dicta sufficiant. Demonstremus nũc, quàm necessarius sit usus eius. Quid autem pluribus opus? Res ipsa necessitatem eius palam ostendit. Diximus enim Catechismum esse Epitomen eius diuinæ doctrinæ, quæ

Catechismus parua Biblia.

Catechiſmi uſus neceſſarius.

in omnibus tam Propheticis quàm Apoſtolicis ſcriptis continetur. Siue enim ad Legem, ſiue ad Euangelium (nam his duabus partibus uniuerſa ſacra Scriptura conſtat) animum uerteris, ea Catechiſmus tibi ob oculos proponit. Neceſſarium autem eſt, ut ſi ueram & æternam ſalutem conſequi uolueris, habeas cognitionem eius doctrinæ et Religionis, quæ à Patriarchis, Prophetis et Apoſtolis tradita eſt, & quæ libris ſacræ Scripturæ cõtinetur. Neceſſarium eſt, ut Legem cognoſcas, qua non ſolum ſcias, quæ opera Deo placeant, quæ diſpliceant, uerumetiam qua peccatum tuum agnoſcas, & ad quærendam peccati remiſſionem exciteris. Neceſſarium item eſt, ut Euangelium de Filio Dei, peccati expiatore & iræ Dei placatore, cognoſcas, & ei fidem adhibeas. Prædicate, inquit, Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) ſaluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur.

Quare ad conſequendam ueram & cœleſtem ſalutem, & ad effugiendam æternam condemnationem, neceſſarium nobis eſt, ut Catechiſmum omni quo poſſumus ſtudio, cognoſcamus. Euangelium, inquit Paulus, eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. In Catechiſmo autem, ac præſertim in Symbolo Apoſtolico, & in Inſtitutione Baptiſmi ac Cœnæ Domini, recitatur ſumma totius Euangelij de Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quid ergo de

go de Catechiſmo aliud ſentiendum erit, quàm quòd ſit cœleſte organon, quo Spiritus ſanctus potens & efficax eſt ad conferendam omnibus ijs, qui Catechiſmum fide excipiunt, ueram ſalutem?

In Actis Apoſtolicis, cum Petrus & collegæ eius accepiſſent Spiritum ſanctum, & ſuſciperent Eccleſiam, iuxta uocationem ipſorum, ædificandam, ac Regnum Chriſti inſtaurandum, commemorat Petrus in prima ſua Concione bonam partem Symboli Apoſtolici, quod cum ſit præcipua pars noſtri Catechiſmi, res ipſa teſtatur, Spiritum ſanctum ipſum commendare nobis hunc Catechiſmum, & iudicare eum ad ædificationem & conſeruationem ſalutis Eccleſiæ neceſſarium eſſe. Act. 2. Et paulò poſt, cum Petrus Gentes quoque ad Regnum Chriſti uocaret, recenſet præcipua capita de Ieſu Chriſto, quæ in Symbolo Apoſtolico continentur. Quid ergo fit? Adhuc loquente Petro, (inquit Scriptura) uerba hæc, cæcidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant ſermonem. Quo miraculo, Filius Dei, qui mittebat Spiritum ſanctum auditoribus, teſtificari uoluit, quòd Catechiſmus (nam huius præcipuam partem Petrus recenſebat) ſit inſtrumentum diuinitus ordinatum, quo dona Spiritus ſancti in Eccleſiam conferantur. Act. 10. Cum igitur Paulus dicat, Si quis non habet Spiritum Chriſti, hic non eſt eius. dubium eſſe Rom. 8.

non poteſt, quin omnes, qui cupiunt eſſe uera membra Chriſti, neceſſe habeant ſeſe Catechiſmo erudiendos obedienter exhibere.

Etſi autem ipſa uerborum Catechiſmi recitatio, diligentiſsime in Eccleſia urgenda eſt, & conſeruanda, tamen per ſe parum affert utilitatis, ſi rectam eius ſententiam non teneamus. Addemus igitur, iuuante Deo, perſpicuã, quoad eius per nos fieri poteſt, explicationem eius, ut quod uerbis recitatur, recte intelligatur: & ut cognoſcamus, quod ea quæ nobis in hoc Catechiſmo traduntur, non ſint humana ſomnia, ſed diuina oracula, quibus muniamur, non ſolum ad tuendam Religionem noſtram, aduerſus Ethnicos, Iudæos, Mahumetiſtas, & omnes alios impios, uerumetiam ad repellendum Satanam in omnibus tentationibus, ad uincendam mortem, & ad conterendas omnes portas inferorum, ut cœleſti uita ac fœlicitate perpetuo fruamur.

Patris familias officiũ.

Quod cum ita ſe habeat, admonendi ſunt patresfamilias,, ut ad diſcendum Catechiſmum, liberos & reliquam ſuam familiam maxima omnium diligentia & ſeueritate, non uerbis tantum cohortentur, uerumetiam exemplis ſuis inuitent. Hæc eſt uocatio, hoc eſt officium, quod tam neceſsitas ſalutis familiæ, quàm autoritas Domini DEi noſtri à parentibus exigit. Pueri enim natura ſua, non ut ætate, ita & cognitione rerum diuinarum

narum proficiunt. Tameſi enim naturalis ratio habet nonnullam Dei & Legis eius noticiam, tamen & hæc eſt propter peccatum obſcurata, & caret omni noticia Euangelij de Filio Dei Domino noſtro IESV CHRISTO, quo ſolo ueram iuſticiam & ſalutem per fidem conſequimur.

Cum igitur tantæ ſint tenebræ humanæ mentis, neceſſarium eſt, ut parentes curent pueros ſuos Catechiſmo, hoc eſt, ueræ Legis & Euangelij doctrina, ab ineunte ætate erudiri, ut Spiritus ſanctus habeat organum, parentum miniſterio, quo dona ſua in pueros effundat. In Decalogo, de Sabbati ocio, non ſoli tantum patrifamilias præcipitur, ut nullum opus die Sabbati faciat, Sed additur etiam de familia, ac de iumentis quoq;, Non facias, inquiens, in eo ullum opus, Tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum. Quid? num & iumentorum ocium Deo curæ eſt? Deus ſeruat quidem homines et iumenta ut Pſalmus ait, non eſt autem in Decalogo pro iumentorum ocio ſollicitus propter iumenta ipſa, ſed propter familiam, ut ociantibus iumentis, familia ocietur, idq; haudquaquam in hunc uſum, ut conterat ocium Sabbati in conuiuijs, ludis, et choreis, ſed ut ſanctificet Sabbatum, hoc eſt, ut feſtis diebus uacet ſacræ doctrinæ Religionis, ac det operam cognoſcendæ ueræ pietatis. Quare

paterfamilias, qui uel mandandis negocijs familiam ab audiendo & discendo uerbo Dei *abducit, uel nullam prorsus habet, præ ignauia, aut impietate sua, ratione familiæ in uere pia doctrina erudiendæ, nõ sibi tantum, uerumetiam uniuersæ suæ familiæ malus est, ideoq; duplo maiorem condemnationem accepturus. Mandatur & hoc in* Decalogo, *ut liberi honore afficiant parentes suos. Sed qua fronte exiges tu à liberis honorem, diuinitus mandatum, cum tu non prior præstes eis hoc officium, quod & in priori mandato* Decalogi, *de sanctificando Sabbato à te requiritur? Liberi non nascuntur temere ex parentibus, sed sunt dona & benedictio* Dei. *Benedixit (inquit Scriptura) illis* Deus, *& dixit, Crescite & multiplicamini. Et in Psalmo, Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet* DOMINVM.

Donantur autem liberi parentibus diuinitus, & uelut cœleste depositum commendantur, non ut prophanentur, & ad usum tantum terrenæ ciuitatis educentur, Sed ut ad usum cœlestis ciuitatis sanctificentur. Amisimus in primo parente ius hæreditatis cœlestis uitæ, & nascimur nunc filij iræ, mortis ac inferni. Quid ergo crudelius, quid immanius eo parente, qui non maxime omnium in hoc studium incumbit, ut postquam nati sunt ei liberi, recipiant iterum ius amissæ prius

hære-

hæreditatis cœleſtis uitæ? Niſi enim hoc fiat, quid liberi aliud à parentibus ſuis, præter mortem & infernum reportant? Sed hi ſunt his temporibus multorum parentum mores, ut in gubernatione familiæ ſuæ multo maiorem rationem habeant porcorum, quàm liberorum ſuorum. Ducunt uno die bis aut ter porcos ad ſumendum cibum & potum uentris, Et in una integra hebdomada non ſumunt ſibi tantum temporis, ut liberos ſuos ſemel ac iterum ducant ad ſumendum cibum & potum mentis. Quid reſpondebunt hi iuſto & æterno iudici, cum rationem ab eis officij tam fœde, tam turpiter neglecti exacturus eſt? Puerile quidem uidetur, in puerorum agmine uerſari, & pueros ad aliorum puerorum & uulgarium hominum cœtum ducere. Magis autem uirile, ac etiam heroicum uideretur, in magno militum exercitu incedere, & multam cataphractorum equitum cateruam aduerſus hoſtium aciem ducere. Sed quæſo te, quid inter multos gregarios illos & prophanos milites eſſe, aliud eſt, quàm in medio mancipiorum Satanæ uerſari? & equitatum ducere contra hoſtes, quid aliud eſt, quàm homines lanienæ & mactationi obijcere? Etſi enim aliqua bella ſolent eſſe legitima, & nonnulli milites ueram pietatem ſectantur, tamen non eſt obſcurum, quales magna pars militum eſſe ſoleant, & quàm illegitime etiam maxime legitima

Parentum negligẽtia.

bella gerantur. In medio autem puerorum uerſari, eſt eſſe in medio Angelorum. Angeli enim eorum, inquit Filius Dei, ſemper uident faciem Patris mei, qui eſt in cœlis. Et ducem eſſe pueris ad audiendum & diſcendum Catechiſmum, eſt præire eis ad percipiendam ueram & æternam uitam. In Catechiſmo enim traditur cœleſtis uitæ doctrina. Quanto igitur dignius, quanto coram Deo & toto Angelorum cœtu illuſtrius, quanto magis heroicum eſt, ducem eſſe puerorum ad Catechiſmum, quàm militum ad prælium? Scilicet puerilia & abiecta, ac non potius inſignia ſtrategemata exigit Pſalmus à maioribus natu, cum ait: Pſal. 77. *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera. Filij, qui naſcentur & exurgent, & narrabunt ea filijs ſuis. Non enim ſentiendum eſt, quòd qui ſuſcipit paucos quoſdam pueros in Catechiſmo erudiendos, in unum tantum & alterum puerum, priuatum beneficium conferat, Sed quòd, quantum in ipſo eſt, conferat operam ſuam ad conſeruandam Eccleſiam, & ad propagandam eam in omnem poſteritatem. Hoc certe eſt conferre ſtudium ſuum ad proferendos & tuendos fines Regni cœleſtis. Pueri enim non ſemper manent pueri, ſed adoleſcunt in uirilem ætatem, & fiunt coniuges. Ex coniugio naſcuntur alij pueri, quorum parentes, ſi recte fuerint*

rint in Catechiſmo eruditi, erudiunt hi & illos, qui & ipſi deinceps propagant Catechiſmum ad ſuos poſteros. Itaque fit, ut unius parentis, qui curauit, ut pueri ſui in Catechiſmo recte erudirentur, beneficium in mille uſque generationes propagetur.

Quare cum pueris neceſſaria ſit doctrina Catechiſmi, & Deus donauerit parentibus liberos, ut eruditione pietatis faciant ex ipſis cœleſtes magis quàm terreſtres ciues, ac parentes nullum nec utilius, nec amplius, nec magis ſalutare patrimonium, quàm cognitionem ueri Domini Dei noſtri, liberis ſuis relinquere poßint, debent in hoc ſtudium maxime omnium incumbere, ut liberos, imo & uniuerſam familiam ſuam ad diſcendum & intelligendum Catechiſmum adſuefaciant, quo Deus Pater Domini noſtri IESV Chriſti, Spiritu ſancto ſuo, mentes eorum illuſtret, & eos ad uerum fidei finem, qui eſt, ut Petrus ait, animarum ſalus, perducat. 1. Pet. 2.

Sed nunc, quod felix fauſtumq; ſit, accedamus ad Catechiſmum, & ad explicationem eius. Diſtinximus autem capita Catechiſmi Erotematis ſeu interrogatiunculis, partim, ut hoc quaſi dialogo, pueri inter ſe ipſi de Catechiſmo colloquerentur, & conferrent: partim, ut hac occaſione uerus uſus ſingularum partium Catechiſmi aliquo modo ſignificaretur, ne, quod hactenus

ſiue

siue incogitantia, siue superstitione factum uidimus, omnes Catechismi partes pro precatione indiscriminatim usurparentur.

CVIVS ES RELIGIONIS?



HAEC quæstio non est temere, nec nulla ratione, prima omnium proposita. Nec puerorum tantum gratia principem in Catechismo locum tenet, sed est proposita, quasi uice cohortationis, qua admoneantur tam iuniores quàm seniores, cuius rei maximam & præcipuam omnium curam & sollicitudinem in huius corporalis uitæ cursu habere debeant. Non enim obscurum nec ignotum est, qui sint usitati huius seculi mores. Hominum alius ad parandas, alius ad conseruandas, alius ad augendas huius terræ facultates tanta animi cupiditate, tantoq; impetu feruntur, ut sibi tantum ad curam tuendæ corporalis uitæ nati atque educati uideantur. Non aliter ad ea, quæ uentris sunt, consequenda properatur, quàm si uenter Deus noster esset. Inituri coniugium, non hoc quærunt, qua religione, qua fide in Deum sit sponsus aut sponsa, Sed quantas diuicias possideat, & quan-

Pietatis neglectus in hominibus.

& quantam dotem afferat. Cum ex coniugio ſuſcepti fuerint liberi, non hoc agitur, ut liberi in cognitione ueræ Religionis diligenter erudiantur, ſed ut corporalem uictum & mundanam fœlicitatem conſequantur. Si cui mutandæ ſunt ſedes, & alio in alterius magiſtratus regionẽ migrandum, non habetur ratio aliqua, quæ ſit publica in eo loco Religio, ſed tantum curatur, quàm opportunus ſit locus ad parandas opes, & ad ſeruiendum uentri. Si famuli locaturi ſunt operam ſuam alicui ex patribusfamilias, non cogitant, quam Religionem ea familia ſectetur, ſed quantum mercedis numeretur. Ac breuiter, tantus eſt in hominibus neglectus pietatis, ut aut nullam prorſus, aut minimam, & poſtremam omnium rationem Religionis habeant.

Hominis officium & ſtudiũ præcipuum.

Proponitur ergo initio Catechiſmi, primo omnium quæſtio de Religione, ut admoneamur omnes officij noſtri, & cogitemus, nos non in hoc à Deo creatos eſſe, ut uentri ſeruiamus, & corporalibus bonis ſtudeamus, ſed ut ueram Religionem de Deo cognoſcamus, & uera ac æterna bona conſequamur. Homo enim conditus eſt initio non ad imaginem alicuius terrenæ rei, auri uidelicet, uel argenti, uel agrorum, uel domorum, uel alterius id genus creaturæ, ſed ad imaginem Dei, Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Quare præcipuum hominis

minis officium non eſt, quærere aurum uel argentum, uel alias res terrenas: Sed officium eius eſt, Cognoſcere Deum, ad cuius imaginem formatus eſt, & Celebrare Deum, cuius creatura eſt, & quærere diuina ac cœleſtia bona, quæ Deus homini accipienda & fruenda propoſuit. Ac licebit quidem auro & argento, ac alijs creaturis Dei, iuxta ipſius uoluntatem & uocationem, uti: neglecto autem & contempto Deo, ſolis terrenis, quæ ſic uocantur, bonis operam dare, & genio tantum indulgere, hoc demum non eſt hominis, ſed porci uitam ducere.

Ne igitur belluinam potius, quàm humanam uitam tranſigas, incumbendum eſt præcipue omnium in ſtudium Religionis, ut uerum Deum, uere cognoſcamus, & celebremus. Deinde, Deus non ſolum creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſed etiam redemit eum ab æterno interitu, miſſo unigenito Filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto. Etſi enim homo conditus eſt initio ad imaginem Dei, & creatus eſt bonus, iuſtus, fœlix, & immortalis, tamen poſtquam fuit Deo inobediens, imago Dei in homine ita fœdata & turpificata eſt, ut uideatur nunc magis eſſe imago Satanæ, quàm Dei, & factus ſit homo iniuſtus, infœlix, Satanæ, morti, & inferno obnoxius. Qua calamitate nihil poteſt miſerius, nihil pernicioſius cogitari. Miſertus igitur Deus tantarum

tarum ærumnarum hominis, miſit unigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in hunc mundum, ut redimeret hominem, expiato peccato, à poteſtate Satanæ, & à morte, ac reformaret in ipſo imaginem Dei, & reſtitueret eum priſtino iuri cœleſtis hæreditatis. Quemadmodum autem antea non condiderat hominem, ut ſe ſe terrenis rebus captiuum traderet, ſed ut uerum Deum agnoſceret & glorificaret, ita poſtea redemit eum, non ut cupiditatem carnis ſuæ perficeret, ſed ut Spiritui obſequeretur, & redemptorem ſuum, filium Dei celebraret. Chriſtus (inquit Paulus) pro omnibus mortuus eſt, ut qui uiuunt, poſthac non ſibi uiuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. 1. Cor. 5. Et Petrus: Vos, inquit, genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus qui in lucrum acceſſit, ut uirtutes prædicetis illius, qui è tenebris uos uocauit in admirabilem lucem. 1. Pet. 2. Quare ſicut Creatio, ita & Redemptio hortari, imo accendere, & inflammari nos debet, ut in hac uita nihil nobis prius ſit, quàm ut ſtudeamus ueræ religionis, et conferamus omnem curam noſtrã, non ad congregandas terrenas facultates, ſed ad cognoſcendum & celebrandum uerum Dominum Deum noſtrum, & ad comparandum theſaurũ in cœlis. Nam & huc ſtatim nos uocat Deus ipſe in Decalogo. Non enim primum dedit præceptum de furto, de homicidio, de alienæ rei concupiſcen-

piſcentia, ſed de cognitione, de cultu, de adoratione & inuocatione ueri Dei. Non habeas, inquit, coram me Deos alienos. Quo præcepto perſpicue ſignificatur, primam omnium curam de uera Religione habendam eſſe. Quid, quòd nulla alia res, præter ueram Religionem, poſſit nos à peccato, & ex his miſerijs, in quas propter peccatum conieCti ſumus, liberare? Confer mihi in unum aceruum omnia huius terræ bona, potentiã, honorem, magiſtratum, ſanitatem, diuitias, iuuentutem, pulchritudinem, fortitudinem, ſapientiam, eruditionem, deniq; quæcunq; ſunt in hoc ſeculo uiſenda, & admiranda, non poſſunt tamen uel ſingula, uel uniuerſa nos in morte ſeruare, & ab inferni flammis eripere. Sola uera Religio, ſola uera fides, id demum eſt, quo in omnibus malis ſeruamur, & omnia cœleſtia bona reportamus. Quare neceſſitas ipſa exigit, ut etſi ſua quiſq; externæ uocationi ſuis temporibus diligenter ſeruire debet, tamen maxima & prima omnium cura de cognitione ueræ religionis, ſuſcipienda ſit. De qua re, ut admoneremur, prima quæſtio in Catechiſmo propoſita eſt de Religione.

Sed quæ ſit uera Religio, indicat reſponſum, quod ſequitur. Puer enim interrogatus, cuius ſit Religionis, reſpondet:

Sum

Sum Christianæ religionis.

MVLTA *sunt & uaria genera* Religionis. Religionũ genera.

Alia fuit religio Ethnicorum, *qui idola pro dijs coluerunt. Ala est religio* Iudæorum, *eorum uidelicet, qui sunt his temporibus, quos uerius* Thalmudistas *quàm* Iudæos *uocaueris, feces ueterum* Patriarcharum *et* Prophetarum. *Alia est religio* Mahumetistarum. *Alia* Monachorum *&* hypocritarum. *Alia uere piorum* Christianorum. *Ac sunt multi, qui sentiunt unumquenq; in sua religione, si modo honestam uitam ducat, salutem consequi. Sed hæc est extrema rerum diuinarum ignorantia & magna impietas. Etsi enim honesta uita cuiuscunq; hominis suam meretur commẽdationem, tamen uera et æterna salus nulli hominum, nisi in una uera* Religione *contingit. Ac aliæ quidem Religiones, ut sunt commenticiæ, & uanæ, ita non solum non liberant homines ab æterna condemnatione, sed etiam augent eam. Sola autem* Christiana *religio, ut est uerissima & certissima, ita ducit homines, qui eam uere sectantur, ad æternam iusticiam, salutem, & fœlicitatem. Sed in quo constet ueritas* Christianæ religionis, *& quæ sit recta ac uere pia eius sententia, quam hypocritæ corruptelis suis deprauare solent, postea, propicio* Deo, *explicabitur. Nunc paucis indicandum est, q. Christia*

na religio, ea sola sit, quæ uerum cultorem eius ser
Christianæ uet, ac perpetuo felicem reddat. Hæc enim Religio
religiõis ue non est recens inuenta, aut ab hominibus excogita
ritas & certa, & instituta, Sed est statim ab initio huius mun-
titudo. di in Paradiso, à Deo ipso prædicata & commen-
data. Postquam enim Adã peccasset, et factus esset
propter peccatum captiuus satanæ, ac obnoxius
morti ac inferno, prædicauit ei Deus Religionem
Gen. 3. seu fidem Christianã, dicens: Semen mulieris conte
ret caput Serpentis. Nam per Semen mulieris, in-
telligendus est filius Virginis, sicut postea Esaias
interpretatus est. Hic filius Virginis, est Dominus
noster Iesus Christus. Per caput autem Serpentis,
intelligenda est potentia Satanæ, quæ prædicatur
hoc dicto per Christum filium Virginis conterẽda.

Concio pri ma de Chri stiana Re- ligione.

Hæc est prima concio de Religione seu fide
Christiana. Quæ concio deinceps ad posteros, per
Patriarchas & Prophetas ita propagata est, ut
subinde magis atq; magis explicaretur ac illustra
retur, adeoq; multis & magnis miraculis confir-
maretur. Deinde Christus ipse, à quo Christiana fi
des sic uocatur, uenit in hunc mundum, conceptus
de Spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, et prædi
cauit Euangelium suum, q, sit contritor potentiæ
satanæ, & liberator humani generis ex peccato,
morte, et æterno interitu. Quod Euangelium con-
firmauit non solũ miraculis, quæ in sanandis ægro
tis et excitandis mortuis ædidit, uerumetiã sua ip-
sius

ſius ex mortuis Reſurrectione, et Aſcenſu in cœlũ, ac miſsione Spiritus ſancti. Poſtremo Apoſtoli Chriſti prædicauerunt Euangelium eius in toto orbe terrarum, & confirmarunt ueritatem huius Euangelij tantis miraculis, quæ in nomine Chriſti ædebant, ut nihil certius, nihil firmius ſit, quàm Chriſtianam Religionem, ſeu fidem, eam ſolam eſſe, qua homines ſeruentur, & cœleſtem beatitudinem conſequantur.

Hoc teſtatur Iohannes Baptiſta cum ait, Pater diligit Filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit Filio, habet uitam æternam. Qui uero non credit Filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Iohan. 3.

Et Petrus Act. 4. Hic Ieſus Chriſtus eſt lapis ille, qui reiectus eſt à uobis ædificantibus, qui factus eſt caput anguli. Nec eſt in ALIO QVOQVAM SALVS. *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

Et Paulus Act. 13. Notum ſit uobis, quòd per hunc (Ieſum Chriſtum) uobis remiſsio peccatorum annunciatur, et ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari, Per HVNC *omnis qui credit, iuſtificatur.*

Sed & Chriſtus ipſe apud Iohannem cap. 3. dicit: Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus

per eum. Qui credit in eum non condemnatur, Qui uero non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei.

Ex his & similibus sacræ Scripturæ testimonijs perspicuum est, hanc Religionem, quam uocamus Christianam, esse solam ueram Religionem, & quotquot non sunt huius Religionis ac fidei, eos perpetuo interire. Vnde si quis profitetur se esse aut Ethnicum idolatram, aut Iudæum Thalmudistam, aut Sarracenum Mahumetistam, aut hypocritam Sophistam, perinde est ac si profiteretur se esse mancipium Satanæ, & obnoxium æternæ damnationi.

Dic causas, cur uoceris & sis Christianus?

NEC hoc ociose proponitur, sed admonemur primum, ut parati simus, semper, quemadmodum Petrus iubet, ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamur de ea, quæ in nobis est spe, cum mansuetudine & reuerentia. Deinde ut non tantum gloriemur de nomine Christiani, sed etiam cognoscamus rem ipsam Christianismi. Fratres, inquit Paulus, ne sitis pueri sensibus, sed malicia pueri sitis, sensibus uero perfecti.

1. Pet. 3.

1. Cor. 14.

Respondet Catechumenus,

Quia

Quia credo in IESVM Chriſtum, & baptiſatus ſum in nomine Ieſu Chriſti.

DVÆ recenſentur cauſæ, cur dicamur & ſimus Chriſtiani. Vna eſt, Credo in Ieſum Chriſtum. Altera eſt, Baptiſatus ſum in nomine Ieſu Chriſti. De priori dicemus prius, etſi paulo poſt de ea in explicatione Symboli Apoſtolici copioſius dicendum erit. Obſerua igitur mihi, quòd cum quærimus cauſam, cur ſimus Chriſtiani, non reſpondendum eſt, nos idcirco Chriſtianos eſſe, quòd nati ſimus è parentibus Chriſtianis. Tametſi enim, ſicut quondam, cum Iudæi, poſteri Abrahæ, adhuc eſſent populus Dei, promiſsio ad Abrahamum dicta: Ego ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te, pertinuit nõ tantum ad maiores natu, ſed etiam ad infantes eorum: Ita et hoc tempore, quo Gentes electæ ſunt in populum Dei, promiſsio æternæ ſalutis, per Ieſum Chriſtum, pertinet non tantum ad ſeniores gentium, ſed etiam ad infantes, qui è Chriſtianis gentibus naſcuntur, tamen ipſa carnalis natiuitas per ſe non facit Chriſtianos, quemadmodum Iohan. 1. cap. dicitur, Qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, Sed ex Deo nati ſunt. Et Petrus, Renati, inquit, non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Quare cum

Natiuitas carnalis nõ facit Chriſtianos per ſe.

quæritur, cur ſimus Chriſtiani, nondum ſatisfit quæſtioni, ſi reſpondetur, nos eſſe è Chriſtianis parentibus natos.

Cõuerſatio inter Chriſtianos per ſe non facit Chriſtianos

Nec reſpondendum eſt, nos ideo eſſe Chriſtianos, quia agimus uitam inter Chriſtianos, aut quia audimus aliquoties in cœtu Chriſtianorum concionnes, & ſumimus una cum ipſis cœnam Dominicã. Hæc enim, etſi ſuis temporibus facienda ſunt, & ſuum habent uſum, tamen per ſe non faciunt hominem Chriſtianum. Sed recte & uere reſpondetur, cum dicimus, Nos ideo eſſe Chriſtianos, quia CREDIMVS in Ieſum Chriſtum.

Fides in Chriſtum Ieſum facit Chriſtianos

Credere in Ieſum Chriſtum quid ſit.

Hic ergo conſiderandum nobis eſt, paucis (Nã copioſior explicatio poſtea ſequetur) quid ſit Credere in Ieſum Chriſtum. Ac primum, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt certa & firma fide tenere, quòd poſtquam homo peccauit, promiſſus ſit ſtatim ab initio mundi, Chriſtus Filius Dei, qui ſit expiaturus peccatum, reconciliaturus nos cum Deo Patre & ſeruaturus nos in morte ad æternam uitam, & q̃ hic Chriſtus ſit per Prophetas adnunciatus, ac ſubinde magis atq; magis explicatus.

Deinde, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt certa & firma fide tenere, quòd Ieſus filius Mariæ uirginis, paſſus ſub Põtio Pilato, ſit uere is Chriſtus, qui ab initio orbis promiſſus eſt, & poſtea per Prophetas adnunciatus.

Poſtremo, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt uera & fir=

et firma fide tenere, q. is Iesus Christus sit expiator peccatorum nostrorū, & seruator noster, propter quem solum simus Deo grati, et reputemur coram eo iusti, & consequamur æternam fœlicitatem, si uere in ipsum credimus, & omnem salutis nostræ fiduciam in ipso solo collocamus. Hoc autem non tantum in genere de alijs hominibus sentiendum & credendum est, sed unusquisq; credat, et confidat, q. et ad se ipsum beneficia Christi singulariter pertineant, et ipse uere unus eorum sit, cuius peccata Christus expiauerit, et qui propter Christum coram Deo reputetur iustus, & habeat Deum patrem propicium, ac liberatorem ex omnibus malis Hæc omnia complectitur fides in Iesum Christum, & hæc omnia profitetur is, qui respondet se CREDERE in Iesum Christum.

Vnde & Iohannes cap. 20. hæc omnia simul complectitur: Hæc scripta sunt, inquiens, ut credatis, quòd IESVS est CHRISTVS ille filius Dei, & ut CREDENTES uitam habeatis per Nomen eius.

Et Petrus Act. 2. Certo sciat tota domus Israel, quòd DOMINVM & CHRISTVM fecerit Deus hunc IESVM, quem uos crucifixistis.

Et Act. 10. Hunc Iesum Nazarenum Deus suscitauit tertio die etc. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, q. ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuo

quæritur, cur ſimus Chriſtiani, nondum ſatisfit quæſtioni, ſi reſpondetur, nos eſſe è Chriſtianis parentibus natos.

Cõuerſatio inter Chriſtianos per ſe non facit Chriſtianos

Nec reſpondendum eſt, nos ideo eſſe Chriſtianos, quia agimus uitam inter Chriſtianos, aut quia audimus aliquoties in cœtu Chriſtianorum concionnes, & ſumimus una cum ipſis cœnam Dominicã. Hæc enim, etſi ſuis temporibus facienda ſunt, & ſuum habent uſum, tamen per ſe non faciunt hominem Chriſtianum. Sed recte & uere reſpondetur, cum dicimus, Nos ideo eſſe Chriſtianos, quia CREDIMVS in Ieſum Chriſtum.

Fides in Chriſtum Ieſum facit Chriſtianos

Credere in Ieſum Chriſtum quid ſit.

Hic ergo conſiderandum nobis eſt, paucis (Nã copioſior explicatio poſtea ſequetur) quid ſit Credere in Ieſum Chriſtum. Ac primum, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt certa & firma fide tenere, quòd poſtquam homo peccauit, promiſſus ſit ſtatim ab initio mundi, Chriſtus Filius Dei, qui ſit expiaturus peccatum, reconciliaturus nos cum Deo Patre & ſeruaturus nos in morte ad æternam uitam, & q, hic Chriſtus ſit per Prophetas adnunciatus, ac ſubinde magis atq; magis explicatus.

Deinde, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt certa & firma fide tenere, quòd Ieſus filius Mariæ uirginis, paſſus ſub Põtio Pilato, ſit uere is Chriſtus, qui ab initio orbis promiſſus eſt, & poſtea per Prophetas adnunciatus.

Poſtremo, Credere in Ieſum Chriſtum, eſt uera & fir=

et firma fide tenere, q̃ is Iesus Christus sit expiator peccatorum nostrorũ, & seruator noster, propter quem solum simus Deo grati, et reputemur coram eo iusti, & consequamur æternam fœlicitatem, si uere in ipsum credimus, & omnem salutis nostræ fiduciam in ipso solo collocamus. Hoc autem non tantum in genere de alijs hominibus sentiendum & credendum est, sed unusquisq; credat, et confidat, q̃ et ad se ipsum beneficia Christi singulariter pertineant, et ipse uere unus eorum sit, cuius peccata Christus expiauerit, et qui propter Christum coram Deo reputetur iustus, & habeat Deum patrem propicium, ac liberatorem ex omnibus malis Hæc omnia complectitur fides in Iesum Christum, & hæc omnia profitetur is, qui respondet se CREDERE in Iesum Christum.

Vnde & Iohannes cap. 20. hæc omnia simul complectitur: Hæc scripta sunt, inquiens, ut credatis, quòd IESVS est CHRISTVS ille filius Dei, & ut CREDENTES uitam habeatis per Nomen eius.

Et Petrus Act. 2. Certo sciat tota domus Israel, quòd DOMINVM & CHRISTVM fecerit Deus hunc IESVM, quem uos crucifixistis.

Et Act. 10. Hunc Iesum Nazarenum Deus suscitauit tertio die etc. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, q̃ ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuo

rum. HVIC omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per Nomen eius, quiſquis crediderit in eum.

Sed cum fides in Ieſum Chriſtum non naſcatur in homine carnali uirtute, ſed ſit donum Dei, quod conferetur nobis uirtute Spiritus ſancti per uerbum Dei, ſicut Chriſtus ad Petrum dicit: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. Et Paulus: Fides, inquit, ex auditu eſt, auditus autem per uerbum Dei. Idcirco audiendum eſt uerbum Dei ſummo ſtudio, et orandum eſt maxima diligentia, ut Deus det nobis Spiritum ſanctum, cuius uirtute ueram fidem concipiamus, & in ea confirmemur. Nam q, Deus non fruſtra ſinat ſe pro dono Spiritus ſancti inuocari, perſpicue ſignificat Filius Dei, cum apud Lucam ait: Pater ueſter cœleſtis dabit Spiritũ ſanctum poſcentibus ſe.

Luc. 11.

Quid ergo ſit homo, cum ſit ex fide in Chriſtum Chriſtianus?

Chriſtianus unde ſic dicatur.

NVLLVM excellentius, nullum ſublimius, nullum magnificentius epitheton poteſt homini attribui, quàm Chriſtiani cognomẽ. Deducitur enim Chriſtiani uocabulum, à Chriſto, qui eſt Dominus ac ſeruator noſter. Ac initio quidem hi, qui crediderunt Euangelio Chriſti, dicti fuerunt Diſcipuli, & à nonnullis, Galilæi. Poſtea autem cum Paulus

& Bar-

& Barnabas docerent Euangelium Christi Antiochiæ, & multi essent Euangelij auditores, cœperunt primum uocari Christiani, quemadmodum in Actis Apostolicis cap. 11. scriptum est. Et hoc cognomen adhuc retinemus. Quod si interpreteris significat Regium. Christus enim significat unctum. Et quia in lege Mosi Reges consecrabantur publica unctiõe, idcirco quos nos uocamus Reges, dicebantur apud Iudæos sua phrasi, Messiæ, hoc est Christi seu uncti. Itaq; Christianus idem est, quod Regius, seu Regalis. Vnde et Petrus ait, Vos estis genus electum, Sacerdotium regale. Quod perinde est, ac si dixisset: Vos estis Christiani.

Sciamus igitur, quid ex homine fiat, cum fit ex ipso, per fidem in Christum, Christianus. Non est autem dubium, quin qui est factus per fidem Christianus, factus sit membrum Christi. Dedit eum, inquit Paulus, caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius. Ephe. 1.

Et iterum: Christus est caput Ecclesiæ, et idem est, qui salutem dat corpori. Ac mox: Ephe. 2.

Membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius & ex ossibus eius.

Cum ergo Christianus sit membrum Christi, nõ est aliud reliquum, quàm quod etiam sit particeps omnium bonorum Christi, ac fruatur cœlesti eius maiestate & fœlicitate. Ac primum, quia Christus est Filius Dei, et hæres omnium diuinorum bonorum, Christiano rum felicitas & maie stas.

rum, idcirco Christianus, cum fiat per fidem membrum Christi, adoptatur & ipse in filium Dei, & in cohæredem Christi.

Rom. 8. Gal. 4. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem Spiritus testatur una cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei &c. Et iterum: Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu.

Gal. 3. Ioan. 1. Et Iohannes: Quotquot, inquit, receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in Nomen ipsius.

De...de quia Christus est uere iustus et sanctus, ideo Christianus, cum sit membrum Christi, per fidem, reputatur & ipse iustus ac sanctus coram Deo propter Christum. Etsi enim Christianus habet adhuc peccatum in carne, tamẽ hoc peccatum non imputatur ei, sed potius imputatur ei iusticia Christi, propterea quòd Christo ut uerum membrum, per fidem sit coniunctus. Abraham, inquit Paulus ex Genesi, credidit Deo, & imputatum est illi ad iusticiam. Non scriptum autem est, propter illum tantum, imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri.

Rom. 4. Gen. 15.

Præterea, Christus factus est obediens Deo patri suo usq; ad mortem crucis. Quare & Christianus

nus, qui per fidem fit particeps ſpiritus Chriſti, ducitur uirtute huius Spiritus in omnem obedientiam Dei. Non poteſt quidem per carnem fieri in hac corporali uita, ut Chriſtianus exhibeat Deo perfectam & abſolutam obedientiam, qualem lex Dei exigit: Neque enim accipimus hic plenitudinem, ſed tantum primitias ſpiritus. Fieri autem poteſt & debet, ut ex ſpiritu Chriſti carnem mortificare, ueram obedientiam præſtare, & honeſtam uitam in hoc ſeculo ducere inchoemus. Qui ſunt Chriſti, inquit Paulus, carnem crucifixerunt, cum affectibus & concupiſcentijs. Galat. 5.

Et iterum: Spiritu ambulate, & carnis concupiſcentiam non perficietis.

Poſtremo, quia Chriſtus eſt uictor mortis et inferni, idcirco ſit & Chriſtianus, qui eſt membrum Chriſti, horum uictor & triumphator.

Vides igitur, nihil poſſe homini nec glorioſius nec magnificentius attribui, quàm nomen Chriſtiani. Vides etiam, quantum ſit diſcrimen inter hominem uere Chriſtianum, & inter alios homines, qui ſunt Iudæi aut Mahumetiſtæ, aut hypocritæ. Ille enim ſolus eſt filius Dei adoptiuus, hæres bonorum Dei, iuſtus, ſanctus, uictor mortis et inferni, ac ciuis cœleſtis regni. Hi autem ſunt filij Satanæ, hæredes inferni, iniuſti, mancipia mortis et æternæ damnationis. Sed quanto magnificentius eſt cognomen Chriſtiani, tanto maiori ſtudio cauendum eſt, ne Chriſtianorum et aliorum hominum diſcrimen.

ne turpi & scelerata uita honestatem eius sordidemus. Quid sordidius esset, quàm si quis, cũ esset filius et hæres potentissimi in hac terra Regis, susciperet opificia abiectissima exercenda, & duceret talem uitam, qualem ducere solent homines extremæ sortis. Multo autem sordidius, multo fœdius est, si quis cũ uelit uideri Christianus uere pius, suscipiat designanda turpia scelera, & nefanda facinora. Si enim est filius Dei, cur agit uitã sicut filius satanæ? Si est hæres regni cœlestis, cur scelerib. suis sic properat ad accipiendam hæreditatẽ inferni? Et si est uictor mortis, cur se tradit peccatis suis morti captiuũ? Qui peccato, inquit Paulus, mortui sumus, quomodo posthac uiuemus in eodem? Collocemus igitur omnem operam nostram in hoc studio, ut nomen Christiani honestate uitæ, & sanctis moribus ornemus atq; commendemus, ne propter uitæ nostræ turpitudinem nomen Christi inter Gentes male audiat, & nos ex possessione tantorum bonorum, quæ nomine Christiani significantur, exhæredemur.

DE FIDE Infantium.

SEd quid dicemus, inquies, de Infantibus? Ostendimus enim, q; homines fiant Christiani per fidem. Infantes autem non uidentur posse habere fidem. Nunquid ergo Infantes non possunt esse Christiani? Ob-

Obſeruemus igitur, quòd non loquamur nunc de infantibus impiarum, & à Deo abiectarum gentium, quales ſunt Thalmudiſtæ & Mahumetiſtæ: Quid enim ad nos attinet de his, qui foris ſunt, iudicare? Sed de infantibus eorum, qui ſunt in Eccleſia Domini. Etſi enim adoptio in filios Dei, non eſt ex carnali natiuitate, tamen hi infantes poſſunt habere fidem ſuo quodam modo, & fiunt uere Chriſtiani. Primum enim, infantes populi Dei, ſunt pars populi Dei, & pertinent ad populum Dei. Sicut enim in ueteri Teſtamento, infantes nati ex Abrahamo & poſteritate eius, habebantur in numero populi Dei, iuxta eam promiſſionem, quæ dicta eſt ad Abrahamum, Gen. 17. Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Vnde & infantes poſteritatis Abrahæ reputabantur in populo Dei, etiam ante octauum ætatis diem priuſquam circumciderẽtur, Ita in Nouo Teſtamento infantes earum Gentium, quæ Chriſtum agnoſcunt, habentur coram Deo in numero populi eius, quia Deus ſuſcepit Gentes cũ liberis ſuis, in populum ſuum, quemadmodum teſtatur Eſaias cap. 49.

Infantes Chriſtianorũ ſunt in numero populi Dei coram Deo.

Ecce leuabo ad Gentes manum meam, et ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.

Et Ioel capite 2. Effundam Spiritum meum ſuper OMNEM *carnem (uidelicet non ſolum ſuper iu-*

corporalem uitam habent, nec intelligunt se esse hæredes facultatum à parentibus suis relictarum, & tamen sunt earum ueri & legitimi hæredes. Quid igitur prohiberet, quo minus possent habere fidem, etiamsi nondum intelligant eam, præsertim cum Deus effundat dona sua sine respectu personarum, & sine respectu humanæ uel sapientiæ uel potentiæ. Neq; enim sentiendum est, quòd infantes à Deo in gratiam accepti, tam reuelatam habeant fidem, quàm habent adulti. Quod ut significantius explicemus, libet hic recitare, quod Oseæ cap. 2. scriptum est:

Erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, & exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & uinum & oleum, & hæc exaudient Iezreel.

Et Paulus Rom. 8. Scimus, quòd omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit usq; ad hoc tempus.

Creaturarum gemitus duplex.

Ex his Scripturæ locis, colligimus duplicem esse gemitum creaturarum. Alius est Absconditus, quem solus Deus in creaturis uidet & audit. Qualis est gemitus rerum inanimatarum. Alius est reuelatus, quem & hi, qui eum habent, sentiunt ac intelligunt, Qualis est in hominibus pijs, de quibus Paulus dicit: Non solum illa (creatura congemiscit) sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, nos ipsi in nobis ipsis gemimus, adoptionem expectantes, &c.

Sic

per Iudæos, ſed etiam ſuper gentes) & prophetabunt filij ueſtri & filiæ ueſtræ, &c. Deus autem nullum uere agnoſcit in numero populi ſui, niſi credat, aut habeat fidem in Filium ſuum. Nam ſine fide impoßibile eſt Deo placere. Quare infantes poſſe habere fidem, quam Deus clementer eis donat, & per quam fiunt Chriſtiani, neceſſe eſt.

Deinde, Chriſtus accepit infantes in ulnas ſuas, complexus eſt eos amanter, & benedixit eis, ſicut Marcus ait. Hæc benedictio non eſt corporalis, ſed ſpiritualis, uidelicet, ut Deus eis faueat, ac reputentur coram Deo iuſti, & conſequantur æternam ſalutem. Nullus autem poteſt frui ſpirituali benedictione, ſine fide, nec Deus ulli ſic fauet, ut reputet iuſtum, & donet eum uita æterna, ſine fide. Quare fieri non poteſt, quin infantes, ſi cœleſtem ſalutem conſequuntur, habeant fidem.

Infantes habent fidem.

Poſtremo, Infantes habent natura ſua peccatum. Sunt enim in peccato concepti & nati. Et tamen aſſequuntur regnum cœlorum. Talium eſt, inquit, regnum cœlorum. Nemo autem poteſt regnum cœlorum aſſequi, ſine remißione peccati. Remißio autem peccati non contingit, niſi per fidem. Infantes igitur fidem habeant, neceſſe eſt.

Sed quomodo, inquies, fidem habere poſſunt, cum nondum quicquam nec diuinarum, nec humanarum rerum intelligant? At enim, nec uitam ſuam corporalem intelligunt, & tamen ueram corpo-

Sic & res ipsa ostendit duplicem esse fidem. Et si enim fides in Christum, in se non est diuersa: Vna est enim fides, inquit Paulus, tamen habet se diuersis modis, in infante & in adulto.

Fides abscondita in infantibus. Psal. 146.

Dicimus ergo: Vnam Fidem absconditam, qua Deus immensa sua bonitate donat infantes populi sui, quam & solus ipse nouit & uidet. Nam si pulli coruorum, ut Psalmus ait, inuocant Deum, non quidem ex fide ad æternam salutem, sed pro sua conditione diuinitus insculpta, ad corporalem conseruationem, quanto magis infantes primum quidem ad imaginem & similitudinem Dei creati, deinde per misericordiam Dei propter Christum Filium suum, qui & ipse infans fuit, in gratiam accepti, & recreati, inuocant Deum, non autem, ut pulli coruorum, sine fide, & ad corporalem tantum salutem, Sed ex fide, ut à Deo ad accipiendam cœlestem hæreditatem, & æternam salutem adoptati & recreati. Et si piscis, bellua bruta, audit apud Ionam mandatum Dei, & obsequitur ei, Sic enim ait Scriptura: Dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam, quomodo infans, homo ad similitudinem Dei creatus, & ad accipiendum regnum cœlorum electus, non posset audire uerbum Dei, quo fide pro sua conditione & modo donaretur?

Ionæ 2.

Fides reuelata in adultis.

Altera est, Reuelata fides, quam nõ solum Deus in homine uidet, uerumetiam homo ipse, qui ea donatus est, se eam habere sentit & intelligit, Qualis

est

est in adultis. Et hæc fides datur per externum auditum uerbi Dei. Sicut dicit Paulus: Fides ex auditu, Auditus autem per uerbum Dei.

Hæc de Infantium fide idcirco diligenter cognoscenda sunt, ut sciamus, infantes Ecclesiæ seu populi Dei, non solum habere eam corporalem uitam, quæ in oculos nostros incurrit, sed accipere etiam à Deo uitam spiritualem, et ornari pro suo modo donis Spiritus sancti. Qua ex re parentes excitentur & admoneantur, ut quàm primum pueri adoleuerint, & externæ doctrinæ capaces fiant, curent eos in doctrina uere pia diligentissime erudiri, & bonis moribus imbui, ne quod in infantia per fidem & baptismum diuinitus acceperūt, impietate & sceleribus amittant.

DE BAPTISMO.

IN recensendis causis, cur uocemur & simus Christiani, duæ causæ propositæ sunt. Altera, quòd credimus in Iesum Christum, Altera, q. baptisati sumus in nomine Iesu Christi. Cum igitur exposuerimus priorem causam, de Fide, accedamus nūc ad exponendam posteriorem, de Baptismo. Sed quid, inquies, An nō sufficit fides in Christum, ut fiamus Christiani, et renascamur in Christo? Si necessarius

Sic & res ipsa ostendit duplicem esse fidem. Et si enim fides in Christum, in se non est diuersa: Vna est enim fides, inquit Paulus, tamen habet se diuersis modis, in infante & in adulto.

Fides abscondita in infantibus. Psal. 146.

Dicimus ergo: Vnam Fidem absconditam, qua Deus immensa sua bonitate donat infantes populi sui, quam & solus ipse nouit & uidet. Nam si pulli coruorum, ut Psalmus ait, inuocant Deum, non quidem ex fide ad æternam salutem, sed pro sua conditione diuinitus insculpta, ad corporalem conseruationem, quanto magis infantes primum quidem ad imaginem & similitudinem Dei creati, deinde per misericordiam Dei propter Christum Filium suum, qui & ipse infans fuit, in gratiam accepti, & recreati, inuocant Deum, non autem, ut pulli coruorum, sine fide, & ad corporalem tantum salutem, Sed ex fide, ut à Deo ad accipiendam cœlestem hæreditatem, & æternam salutem adoptati & recreati. Et si pisces, bellua bruta, audit apud Ionam mandatum Dei, & obsequitur ei, Sic enim Ionæ 2. *ait Scriptura: Dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam, quomodo infans, homo ad similitudinem Dei creatus, & ad accipiendum regnum cœlorum electus, non posset audire uerbum Dei, quo fide pro sua conditione & modo donaretur?*

Fides reuelata in adultis.

Altera est, Reuelata fides, quam nõ solum Deus in homine uidet, uerumetiam homo ipse, qui ea donatus est, se eam habere sentit & intelligit, Qualis

est

est in adultis. Et hæc fides datur per externum auditum uerbi Dei. Sicut dicit Paulus: Fides ex auditu, Auditus autem per uerbum Dei.

Hæc de Infantium fide idcirco diligenter cognoscenda sunt, ut sciamus, infantes Ecclesiæ seu populi Dei, non solum habere eam corporalem uitam, quæ in oculos nostros incurrit, sed accipere etiam à Deo uitam spiritualem, et ornari pro suo modo donis Spiritus sancti. Qua ex re parentes excitentur & admoneantur, ut quàm primum pueri adoleuerint, & externæ doctrinæ capaces fiant, curent eos in doctrina uere pia diligentissime erudiri, & bonis moribus imbui, ne quod in infantia per fidem & baptismum diuinitus acceperūt, impietate & sceleribus amittant.

DE BAPTISMO.

IN recensendis causis, cur uocemur & simus Christiani, duæ causæ propositæ sunt. Altera, quòd credimus in Iesum Christum, Altera, q̄ baptisati sumus in nomine Iesu Christi. Cum igitur exposuerimus priorem causam, de Fide, accedamus nūc ad exponendam posteriorem, de Baptismo. Sed quid, inquies, An nō sufficit fides in Christum, ut fiamus Christiani, et renascamur in Christo? Si necessarius

est Baptismus, *ut fiamus* Christiani, *uidetur nec* Adamum, *nec* Abrahamũ, *nec* Dauidem, *nec alios* Patriarchas *aut* Prophetas *fuisse* Christianos, *propterea q; nec fuerint baptisati, nec* Baptismus *fuerit ipsorum temporibus institutus. Sed nec* Latro, *cui* Christus *in cruce promisit* Paradisum, *baptisatus fuisse dicitur. Et fuerunt catechumeni qui priusquam suscepissent* Baptismũ, *rapti sunt ad martyrium. Quis autem tam impudens, & tam durus esset, qui negaret eos, etiam absq; Baptismo aquæ salutem consecutos, cum nõ solum crediderunt in Christum, uerumetiam confessi sunt Christum in tormentis constantissime, & pro nomine Christi mortui sunt? Et testatur* Cyprianus *atq; Augustinus, q; martyrium suppleuerit in eis baptismum. Etsi enim non sunt baptisati flumine, tamen baptisati sunt flamine et sanguine. Similiter* Cornelius *& alij ethnici, de quibus in* Act. cap. 10. *scriptum est, fuerunt ex fide ita iustificati et sanctificati, ut priusquam aqua baptisarentur, ornati sint admirandis donis Spiritus sancti. Quomodo ergo Baptismus aquæ ad salutem necessarius esse dicitur?*

Baptismus ad salutem quomodo necessarius sit.

Trip. hist. li. 11. ca. 14.

Respondeo: *Externus* Baptismus *aquæ non est simpliciter et absolute ad salutem necessarius, nec facit hominẽ per se ex ipsa operis sui actione Christianum. In historia* Ecclesiastica Iudæus *quidam suscipiebat aliquoties baptismum, non q; crederet in Christum, sed ut hac arte emungeret à Christianis*

nis pecuniam. Hic etsi baptisatus fuit, tamen non est ex ipsa Baptismi susceptione, uere Christianus factus. Nonnulli baptisarunt hactenus campanas, ex qua actione, campanæ in tantum non sunt factæ Christianæ, ut etiam hæc actio, maxima fuerit ueri Baptismi contumelia. Quare ipsa actio Baptismi per se non facit hominem uere Christianū. Sed si fieri potest, necessarium est, ut Baptismus suscipiatur, nec patiamur nos ulla tyrannide, à suscipiendo Baptismo, uel ab offerendis infantibus nostris ad Baptismum, prohiberi. Sicut enim pie fecerunt mulieres in Machabæis, quòd circunciderint pueros suos iuxta mandatum Dei, contra mandatum tyranni Antiochi. Ita si tyrannus quispiam mandaret abolitionem Baptismi, necesse haberemus etiam uitæ nostræ periculo, pueros nostros Baptismo offerre. 2. Mac. 6.

Sunt autem præcipue duæ causæ, cur nobis Baptismo sit utendum. Vna est, quia Baptismus est diuinitus ordinatus ut suscipiatur. Initio enim aduentus Christi in carnem, iussit Spiritus sanctus Iohannem Baptistam, cum de Christo prædicaret, inchoare et instituere Baptismum, Lu. 3. et Iohan. 1. Deinde Christus ipse confirmauit eum suo exemplo & mandato. Nam et ipse suscepit Baptismum, & iussit Apostolos baptisare. Et addit, Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Etsi autem hoc mandatum de suscipiendo externo Baptismo, Baptismus propter duas causas accipiēdus.

non est morale, sed cærimoniale, quod mandatorum genus suam habet in legitima necessitate moderationem, & œconomiam, quam uocant dispen-
Iosuæ 5. sationem, sicut & Circuncisio in deserto, & recensuimus paulò ante aliquot casus etiam de Baptismo, tamen extra talem necessitatem, non est committendum, ut Baptismus omittatur, sed eo omnino, iuxta ordinationem et mandatum Christi utendum est.

Altera causa, cur Baptismus suscipiendus sit, hæc est, Quòd Baptismus sit signaculum, quo Christus publice confirmat se credenti tradere, ac propria dicare ea cœlestia bona, quæ ipsi per Euangelium promittuntur. Necessarium autem pro suo modo est, ut non solum exhibeamus Euangelio fidem, sed etiam ut in fide confirmemur. Quare etiam Baptismus erit pro suo modo necessarius. Etsi autem statim sequitur, Quid sit Baptismus, tamen ut ea, quæ in definitione Baptismi ponuntur, melius intelligamus, quædam de Baptismo hic præmittenda sunt.

In Euangelio Iesu Christi promittitur omnibus in Christum credentibus, remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, adoptio in filium Dei, Liberatio ex omnibus periculis, liberatio ex morte, & Regnum cœleste. Huic omnes Prophetæ, inquit
Act. 10. Petrus, testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per Nomen eius, quisquis credide-

crediderit in ipsum. Et Iohannes: Quotquot receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credidissent in Nomen ipsius. Et iterum: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Ex his habes, quanta cœlestia bona promittantur ei, qui credit in Christum. Solenne autem est, ut quæ promittuntur & propria dicantur, ea publicis cærimonijs, ac suis quibusdam ritibus tradantur, & confirmentur. Quare Christus instituit Baptismum, tanquam publicam cærimoniam & ritum, quo credenti tradat & confirmet ea, quæ per Euangelium promissa sunt. Sed quia multum refert, Baptismi rationem recte intelligere, idcirco, quod iam diximus de cærimonijs & ritibus publicarum traditionum & confirmationum, explicabimus exemplis quibusdam, ad quæ conferemus Baptismum.

Exemplum de unctione Dauidis in Regem.

Dauid eligitur diuina ordinatione per prophetam Samuelem, in regem Israelis. Qua electione Dauid uocatur ad maximam autoritatem & dignitatem, ac excellentissimam administrationem in populo Dei. Et hac quidem uocatione Dauid creatur uere rex in Israel. Accedit tamen Vnctio, qua primum priuatim inter fratres à Samuele, de

2. Reg. 5. *inde publice in* Hebron *unctus est in* Regem. *Hæc unctio per se non fecit* Dauid Regem, *Nisi enim antea fuisset in* Regem *electus & uocatus, non fuisset hac unctione* Rex *factus, sed unctio est publica cærimonia, qua electio & uocatio in* Regem *publice significabatur & confirmabatur. In aliorum* Regum *confirmationibus accedit etiam Impositio coronæ in caput, & alij ritus, ut unaquæuis gens suas habet cærimonias, quibus electos suos* Reges *in regni possessionem consecrant. Sic & homo eligitur & uocatur per Euangelium, ut sit filius* Dei *adoptiuus, & rex cœlestis. Itaq; si acceperit Euangelium fide, tunc fit etiam per fidem filius* Dei, *& rex cœlorum. Sed accedere debet Baptismus, qui est uelut regalis unctio, quo id, quod homo ante per fidem accepit, Sacramento confirmatur et promulgatur. Quare cum homo baptisatur, tunc ungitur & coronatur rex cœlestis. Quæ unctio superat omnes omnium terrenorum regum unctiones & coronationes.*

Exemplum de benedictione Coniugij.

Vir ducit mulierem in uxorem, Quo connubio uir & mulier ita sibi iunguntur, ut pro coniugij ratione omnia eorum fiant ipsis communia. Quã dotem affert mulier, ea fit uiri. Quæ bona affert uir, ea fiunt uxoris, Et hoc cõiugium est indiuidua

societas

ſocietas uitæ. Etſi autẽ coniugium contrahitur inter uirum & mulierem conſenſu legitimo, quo & in conſcientijs coniugum ratum eſt, nondum tamen habetur publice ratum, niſi hi coniuges publice coniungantur, & ,ut nunc loqui ſolemus, benedicantur. Inſtituta eſt ergo publica benedictio, ut eſſet coniugij antea contracti tam promulgatio, quã cõfirmatio. Quòd ſi de liberis ex eo uiro et muliere natis inciderit controuerſia, nũ ſint legitimi & hæredes paternorum bonorum, appellari ſolet ad publicam benedictionem, & ad teſtes, qui huius benedictionis ſpectatores fuerunt. Sic & Chriſtus ducit credentem in coniugem ſuam. Vocatur enim Chriſtus à Iohanne Baptiſta, Sponſus Eccleſiæ. Et Paulus Ephe. 5. Vir, inquit, eſt caput uxoris, quemadmodum Chriſtus eſt caput Eccleſiæ. Et mox, Myſterium hoc magnum eſt, uerum ego loquor de Chriſto & Eccleſia. Baptiſmus autem in hoc eſt inſtitutus, ut coniugium inter Chriſtum & credentẽ initum promulget, ac tanquam publica benedictione confirmet. Sicut Paulus Ephe. 5. ſignificat, cum ait: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret mundatam lauacro aquæ, hoc eſt, ut eam coniungeret & purificaret ſibi per Baptiſmum. Quare, cum quiſpiam baptiſatur, ſentiendum eſt, q̃ habeatur publica cœleſtis coniugij benedictio, & celebrentur ſpirituales Nuptiæ inter Chriſtum & credentem.

Baptiſmus ſemel acceptus, ualet.

Hinc haud obſcure intelligi poteſt, quid cauſæ ſit, cur ſi quis ſceleribus ſuis à Chriſto defecerit, aut etiam Chriſtum abnegauerit, ac poſtea reuertatur, & agat pœnitentiam, non iterum aut tertio baptiſetur. Sicut enim Dauid electus à filio è Regno ſuo, & poſtea reſtitutus, non eſt iterum unctus, ſed ualuit prima unctio. Et uxor deſerens maritum, poſt autem reconciliata cum marito, non benedicitur iterum publice, ſed ualet prima benedictio: Ita etiam ſi quis cum baptiſatus fuerit, deſerat Chriſtianiſmum, aut abnegatione, aut ſceleratа uita, ac reuertatur ab impietate ſua, non eſt iterum baptiſandus, ſed ualet Baptiſmus ſemel acceptus.

Exemplum de Inueſtitura.

Libet hic recitare, quod diuus Bernardus de Baptiſmo ſcribit: Sicut, inquiens, in exterioribus diuerſa ſunt ſigna, et uariæ ſunt inueſtituræ, ſecundum ea, de quibus inueſtimur. Verbi gratia. Inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul. Sicut, inquam, in huiuſmodi rebus eſt, ſic & diuiſiones gratiarum diuerſis traditæ ſacramentis. Quæ eſt gratia, unde per Baptiſmum inueſtimur? Vtiq; purgatio delictorum. Hactenus Bernardus. Docet autem, quòd Baptiſmus ſit tanquam inueſtitura in ea beneficia, quæ Chriſtus nobis impetrauit. Inueſtitura uero non eſt aliud, quàm traditio & confirmatio

tio possessionis. Quare, si quis baptisatur, sentiamus eum inuestiri, hoc est, imponi in possessionem cœlestis hæreditatis, quam, si non ipse per incredulitatem abieceris, nullus Satan, nullus nec homo nec Angelus tibi auferre potest.

Exemplum de fœderibus & stipulationibus.

Fœdera, quibus alter alteri fidem, et auxilium stipulatur, solent suis cærimonijs ac ritibus iungi. Sunt autem huius rei uariæ cærimoniæ. Alia gens, alias habuit iungendorum fœderum cærimonias, de quibus singulis non est nunc dicendi locus. Nos nunc de una tãtum cærimonia dicemus. Qui enim iungunt fœdera, non semper contenti esse solent simplici uerborum promissione, sed exigunt à se mutuo uel fidem coniunctis manibus, uel iuramentum eleuatione duorum digitorum. In Baptismo autem est stipulatio fœderis inter Christum, & eum, qui accipit Baptismum. Sic enim Petrus uocat Baptismum, Stipulationem bonæ conscientiæ apud Deum. In hac stipulatione, Infusio aquæ, uel Immersio in aquam, est uelut coniunctio manuum in danda fide, uel eleuatio digitorum in præstando iuramento. Sciendum igitur est, quòd cum quispiam baptisatur, mutuum fiat fœdus inter Christum & eum qui baptisatur, in quo fœdere, Christus filius Dei, dat fidem intinctione tanquam manus

De ritibus fœderũ, uide Genesin ca. 15. Item Liuium de patre patrato, Item Herodotũ lib. 1. & 3.

coniunctione, se eum, qui baptisatur, cooptare in fratrem suum & cohæredem omnium cœlestium bonorum, & uicißim is, qui baptisatur, recipit se acceptione baptismi hoc fœdus ratum habere, & eam adoptionem fide agnoscere, atque amplecti, neque se unquam commissurum, ut hoc fœdus, uel impietate & abnegatione, uel sceleratis moribus uiolet.

Habes quomodo per Baptismum fiamus Christiani, uidelicet, cum ea, quæ nobis in Euangelio Iesu Christi promittuntur, fide amplectimur, & Baptismum ad fidei confirmationem suscipimus.

Baptisari in nomine Christi.

Porro autem, In Catechismo non simpliciter dicitur, BAPTISATVS SVM, Sed etiam additur, IN NOMINE IESV CHRISTI. Quid ergo est, in nomine Christi baptisari? Baptisantur & Iudæi, sed non baptisantur in nomine Christi. Habent & aliæ gentes suos baptismos, hoc est, sua bainea, sua lauacra, sed non baptisantur, non tinguntur, non immerguntur aut asperguntur, (hoc enim est baptisari) in nomine Christi. Quid ergo est, In nomine Christi baptisari? Alias dicitur baptisari In Nomen Christi, alias, In Nomine Christi, Sed utrumcunque dicatur, tripliciter intelligendum est.

Act. 2. βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Primo, Baptisari in nomine Christi, est baptisari ex instituto, mandato & iussione Christi. Sicut enim

enim ſolemus dicere, præfectum colligere tributum aut cenſum nomine, hoc eſt, Mandato et præcepto Principis ſui, ita & baptiſari dicimur Nomine, hoc eſt, mandato et ordinatione Chriſti. Nam Chriſtus mandauit & iuſſit Apoſtolos ac miniſtros Eccleſiæ, baptiſare omnes gentes, Docete, inquiens, omnes gentes, baptiſantes eos &c. Matt. ult. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρός &c. Act. 19. ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ.

Secundo, Baptiſari in NOMEN Chriſti, eſt baptiſari in hunc uſum & finem, ut Ieſu Chriſto credas, & Euangelio eius fidem adhibeas, ac uocationem eius ſecteris. Hac loquendi forma Iſraelitæ, dicuntur apud Paulum 1. Corinth. 10. baptiſati eſſe in Moſen. Omnes, inquit Paulus, in Moſen baptiſati ſunt nube & mari, hoc eſt, Baptiſati ſunt nube & mari, ut crederent uerbo Moſi, & obſequerentur legi eius. Sic etiam baptiſari dicimur in Nomen Chriſti, ut Euangelium Chriſti fide amplectamur, & Chriſtum Seruatorem noſtrum agnoſcamus.

Tertio, Sed cum dicitur, nos baptiſari in nomen Chriſti, intelligitur aliquid maius & excellentius, quàm cum Iſraelitæ dicti fuerunt in Moſen baptiſati. Nam in nomen Chriſti baptiſari, eſt per baptiſmum in communionem omnium bonorum Chriſti conſecrari, inſeri, et incorporari. Nomẽ enim Chriſti, eſt Chriſtus ipſe, cum omnibus ſuis bonis, iuſticia, uita, potentia, & maieſtate. Quare baptiſari in Nomen Chriſti, eſt Baptiſmo imponi, inſeri, & inuc-

& inuestiri in omnia bona Christi, et tradi eius tutelæ, defensioni & liberationi, non quòd nunc primum homo suscipiatur in tutelam Dei, cum antea sit susceptus per fidem, sed quòd Deus hanc susceptionem nunc primum externo sacramento publice testificetur, confirmet, & promulget.

Hanc sententiam significat etiam uulgaris modus loquendi. Dicit quispiam ad proximum, Veni aut abi in nomine Domini. Alius ira concitatus, dicit, Abi in nomine Diaboli. Hic per NOMEN intelligitur potentia, defensio, auxilium uel Dei, uel Diaboli. Sic & cum dicimur baptisari in Nomen, aut in nomine Iesu Christi, significamur nos per Baptismum inseri in tutelam, defensionem, liberationem, deniq; omnia cœlestia bona Christi. Quicunq;, inquit Paulus, baptisati estis, Christum induistis. Et iterum, Quicunque baptisati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptisati sumus &c.

Gal. 3.
Rom. 6.

Sed hæc de duabus causis, propter quas dicimur & sumus Christiani, in præsentia sufficiunt. Accedamus ad definitionem Baptismi.

Cum Catechumenus interrogatur, Quid est Baptismus?

Docet eum Catechista sic respondere:

BAptismus est Sacramentũ seu diuinum signaculum, quo certo significat Deus Pater

ter per Iesum Christũ filium suum, cum Spiritu sancto, quòd sit ei, qui baptisatur, clemens Deus, ac remittat ipsi peccata, & adoptet ipsum in filium, ac hæredem omnium cœlestium bonorum.

Etsi exempla, quæ paulo ante cum Baptismo contulimus, satis perspicue exponunt hanc definitionem, tamen quia Sacramentum nostræ regenerationis debet nobis esse notißimum, non grauabimur eam copiosius explicare.

Ac primum, In hac definitione docemur, quòd in Baptismo non tantum præsto adsint ea, quæ corporalibus oculis uidentur, uidelicet, Aqua, Ministri Ecclesiæ, Infans, Susceptor, & reliqui circumstantes, uiri, mulieres, pueri, sed etiam adsit coram Deus ipse, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Etsi enim unus tantum est Deus, tamen in illa una diuina essentia sunt tres personæ, quemadmodum postea, propicio Deo, audiemus. Et hæ tres Personæ coram præsto adsunt in Baptismo.

Dei præsentia in Baptismo.

Cuius rei manifestum extat testimonium in baptismo Christi: Cum enim Christus baptisaretur à Iohanne, Pater reuelauit se uoce: Hic est, inquiens, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ est, Hunc audite. Filius autem reuelate astabat carne, & uisibili susceptione Baptismi. Spiritus sanctus reuelabat sese specie columbæ, sicut scriptum est Matt. 3. Nam filius Dei, hoc consilio suscepit baptismum, ut confirmaret suo exemplo Sacramentum

tum baptiſmi. Pater autem & Spiritus ſanctus re uelauerunt ſe in eo baptiſmo, nõ ſolum ut teſtaren tur hunc Ieſum qui à Iohanne baptiſabatur, eſſe ue rum filium Dei, ac uerum Meßiam ſeu Chriſtum, per Prophetas promiſſum, ſed etiam ut ſignifica rent ſe baptiſmo, tanquam diuinæ ordinationi ad eſſe, & beneficia ſua ſuſcipienti baptiſmum offer re. Ecce ego (inquit filius Dei) ſum uobiſcum, hoc eſt, cum ueſtro miniſterio, cũ ueſtra Euangelij præ dicatione, cum ueſtro Baptiſmo, cum ueſtra cœna Dominica, et cum ueſtra precatione, omnibus die bus uſq; ad conſummationem ſeculi. Vbi autem eſt Chriſtus filius Dei præſens, ibi et Pater, et Spiritus ſanctus præſens ſit neceſſe eſt. Quare in Baptiſmo non ſolum adſunt homines, ſed etiam Deus ipſe ue rus & æternus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Deinde, Deus non adeſt baptiſmo ocioſus ſpecta tor, ſicut uidentur circumſtantes homines huic ſpe ctaculo ocioſe intereſſe, ſed unaquæq; perſona di uinitatis habet in baptiſmo ſuum, ut ita dicam, ne gocium, ſuum officium, & actionem, quam per mi niſterium eius, qui baptiſat, perficit. Pater enim ſu ſcipit eum, qui credit Euangelio, & baptiſatur, in gratiam, remittit ei peccata, adoptat eum in fili um, & tradit ei ius hæreditatis cœleſtium bono rum. Filius Dei, Ieſus Chriſtus, impartit & tribuit ei omne ſuum meritum, reddit eum participem o mnis ſuæ dignitatis, & iuſticiæ, ſuſcipit eum in fra trem

Dei in baptiſmo negocium.

trem & cohæredem regni cœlestis. Spiritus sanctus impartit ei dona sua, excitat & confirmat in eo fidem, excitat & accendit in eo Inuocationem, incipit eum renouare, ut mortificet carnem, & sectetur uocationem Dei, deniq; tuetur & conseruat eum in fide, ut uincat aduersa, & mortem ipsam.

Vides igitur Dominum Deum nostrum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum baptismo non solum spectatorem, uerumetiam negocioßimum, ut sic dicam, operatorem adesse.

Sed cum Deus non uideatur corporalibus oculis in baptismo, quo nunc in Ecclesia utimur, quis nos certos facit, eum esse præsentem? Aut quo signo possumus cognoscere præsentiam & operationem eius? De præsentiæ Dei reuelatione.

Obscurum quidem non est, quòd etsi Deus natura sua inuisibilis est, omnia tamen tam cœlum, quàm terram impleat. Cœlum, inquit, mihi sedes, & terra scabellum pedum meorum. Et: Ascendit super omnes cœlos, ut OMNIA impleret. Et, Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum &c. Præsentia autem Dei, & clementia eius non ubiq; reuelate cognoscuntur. Quare Deus solet se hominibus in hoc mundo patefacere, ut testetur se non tantum omnia implere, sed etiam beneficia sua clementer offerre. Esai. 66. Ephes. 4. Psal. 138.

Ac Deus multis quidem et uarijs modis sese patefecit, de quibus in explicatione Symboli Apostolici

ſtolici dicemus. In præſentia autem eos tantum modos recitabimus, qui ad hoc noſtrum inſtitutum aliquid conferre uidentur.

Deus quibus rebus præſentiã ſuam patefecerit.

Deus enim patefecit aliquoties præſentiam ſuam admirandis ſignis. In Exodo cap. 3. patefacit ſe rubo ardenti, qui non comburebatur, et uoce ex rubo loquente. Item cap. 19. Exod. patefacit ſe tonitru, fulgure, & horribili uoce. In 2. libro Paralip. capite 7. reuelat Deus præſentiam ſuam igni de cœlo deſcendenti, & deuorandi holocauſta, poſt Salomonis præcationem. In Daniele cap. 5. reuelat præſentiam ſuam manu è pariete porrecta, & ad parietem ſcribente. Hæc et multa alia id genus miraculoſa ſigna, in Scriptura extant, quibus Deus ſeſe reuelauit.

Deus in Baptiſmo ſe reuelat uerbo et ſigno.

Sed in genere, et ordinarie reuelat ſeſe VERBO ſuo, cui addit SACRAMENTA, ſcu ſacra ſigilla, quæ cum in oculos incurrunt, admonent homines de certitudine uerbi Dei, et ipſum tenacius menti infigunt. Sicut enim in regnorum cõſtitutionibus, qui eligitur in regem, non audit tantum, Tu ſis rex, ſed additur Vnctio, ſeu coronatio, tanquam ſigillum, ut quod uerbo dictum eſt, ſigno memoriæ hominum commendetur. Et quemadmodum in contractu matrimonij, nõ tantũ dicitur ad ſponſam: Tu ſis uxor iſtius mariti, ſed additur externa manuum coniunctio. Ita & in diuino contractu, Deus non tantum reuelat ſe et promittit beneficia

ficia ſua VERBO, ſed addit etiam externa ſigna, quæ uocamus Sacramenta, ut quod uerbis promittitur, ſignis confirmetur.

In Baptiſmo autem, primum eſt uerbum Dei, ui delicet, Euangelium Chriſti. Iußit enim Chriſtus prædicare Euangelium ſuum. Ite, inquiens, prædicate Euangelium omni creaturæ. In hoc Euangelio promittitur nobis propter Chriſtum, remißio peccatorum, adoptio in filios Dei, iuſticia, & hæreditas regni cœleſtis. Deinde, in Baptiſmo eſt aqua, ſeu immerſio in aquam, quæ eſt ſigillum, quo Deus teſtatur ſe non tantum præſentem eſſe, ſed etiam uere id præſtare, quod credenti uerbo Euangelij promittit. Nam q, ſacramentum Baptiſmi inſtitutum ſit in hunc uſum, ut ſit ſignaculum, quo Deus teſtificetur ſuam præſentiam & clementiam, perſpicue docent Apoſtolica dicta, quæ non erit ſuperuacaneum percurrere.

Rom. 6. dicit Paulus, Quicunq; baptiſati ſumus in Ieſum Chriſtum, in mortem eius baptiſati ſumus. Hic docet Paulus, baptiſmum certum ſigillum eſſe, quo Deus confirmat ſe dare ei, qui baptiſatur in Ieſum Chriſtum, remißionem peccatorum, & ius hæreditatis regni cœleſtis. Hæc enim Chriſtus impetrauit ſua morte, in quam per baptiſmũ inſerimur.

Gala 3. Quicunq; baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. His uerbis ſignificat Paulus, quod Deus

testificetur Baptismo se suscipere eum, qui baptisatur, in gratiam, adoptare eum in filium & cohæredem Christi filij sui. Hæc enim Christus affert & donat ei, qui ipso induitur.

Ephe. 5. Christus exposuit se pro Ecclesia, ut illam sanctificaret mũdatam lauacro aquæ per uerbum, hoc est manifestum testimonium, quòd is, qui credit in Christum, sanctificetur & mundetur signaculo Baptismi, ab omnibus peccatis suis.

Ad Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti &c. Baptismus igitur, qui est lauacrum regenerationis, organon est & testimonium, quo certi reddimur, q̃ consequamur salutem propter Christum.

Petrus in priori Epist. cap. 3. Cui figuræ respondens Baptismus nos quoq; saluos reddit, qui non est abiectio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ in Deum per resurrectionem Iesu Christi &c. hoc est, Baptismus est signum confœderationis, quo Deus stipulatur se nos reciperc in gratiam propter Christum, qui mortuus est & resurrexit, ut coram iudicio Dei bonam haberemus conscientiam &c.

His sacræ Scripturæ testimonijs perspicuum est, q̃ uerus & æternus Deus, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, patefaciat se uerbo et signo in Baptismo, & non solum præsto adsit, uerumetiam conferat in eum qui baptismum ex fide suscipit, cœle

stia

ſtia ſua beneficia, quæ nobis ad æternam ſalutem neceſſaria ſunt. Hic ergo uide mihi nunc, quanta ſit maieſtas Baptiſmi. Videtur quidem res pueriles & muliebris, ſi externam tantum ſpeciem conſideraueris, ſed profecto, ſi iuxta ueritatem rei uoluueris iudicare, conſtat Spiritus ſancti teſtimonio, actionem Baptiſmi excellere omnes mundanorum Regum coronationes, adeoq; omnem humanorum negociorum maieſtatem. Quantus, obſecro, concurſus, quantus conuentus hominum eſſe ſolet in mundani Regis coronatione? Dicam de re paulò humiliori. Quanta hominum multitudo confluere ſolet ad ſpectaculum nuptiarum uiri paulò illuſtrioris? Baptiſmi maieſtas.

At in Baptiſmo ungitur & coronatur Rex cœleſtis, & celebrantur nuptiæ inter Filium Dei, & filiam Eccleſiæ eius. Quare Baptiſmus maxima reuerentia & obſeruantia peragendus eſt, idq; non tantum propter infantes, ut nomen Dei ſuper ipſos inuocetur, uerumetiam propter nos adultos, ut hoc ſpectaculo de uſu Baptiſmi in tentationibus admoneamur.

Nam cum tentamur in conſcientia, quòd Deus non ſit nobis propicius, aut cum in corde noſtro excitantur cogitationes, quòd ſimus à Deo abiecti, & damnati, propter peccata, uel quòd non ſimus à Deo ad accipiendam æternam ſalutem præ-deſtinati, tunc reuocandus eſt in memoriam Ba- Baptiſmi uſus in tentationibus.

ptiſmus, & opponendus his tentationibus. Sicut enim in ciuilibus negocijs, ſi quis habuerit literas cenſus, ſigillo honeſti uiri confirmatas, ac negetur ei cenſus, et dicatur ab aduerſario ſe non debere cenſum, continuo appellat ad literas ſuas, quas profert, & aduerſario obijcit, quibus & aduerſarium conuincit: ita Baptiſmus, literæ ſunt, diuino ſigillo confirmatæ, quòd Deus uelit nobis eſſe propicius propter Chriſtum Filium ſuum, & quòd nos in Chriſto ad ueram ſalutem prædeſtinauerit. Etſi enim multi, qui acceperunt baptiſmum, pereunt, hoc tamen non fit Baptiſmi uicio, quaſi eſſet fallax fauoris & prædeſtinationis Dei ſignum, ſed fit illorum incredulitate, quibus cum Deus ueriſſimo uerbo, & certiſſimo ſigno gratiam ſuam pollicetur, ipſi tamen Deum impietate ſua deſerunt, & uerbum ac ſignum eius contemnunt. Quos prædeſtinauit, inquit Paulus, eoſdem & uocat. Certiſſimum autem uocationis Dei ſignum eſt Baptiſmus. Quare, ſi cogitationes noſtræ negant nos eſſe prædeſtinatos, nec eſſe in gratia Dei, obijciamus eis Baptiſmum, ut conſcientia hoc ſigno de gratia & uoluntate Dei erga nos confirmata, in Chriſto per fidem conſiſtat, & omnes aduerſarias tentationes uincat. Hactenus de Baptiſmi definitione.

Rom. 8:

SEQVITVR.

Re-

Recita teſtimonia Scripturæ de Baptiſmi inſtitutione ſeu confirmatione.

Non ſine cauſa exigitur à Catechumeno, ut non ſolum intelligat, quid ſit Baptiſmus, ſed etiam ſciat recitare uerba ipſa Scripturæ, quibus Baptiſmus nobis, cum ante per Iohannem inſtitutus eſſet, à Chriſto commendatus eſt. Vtile enim eſt, hæc ad uerbum eſſe cognita & perſpecta, ne imperiti exiſtiment, quòd ea, quæ de Baptiſmo traduntur, ſint humana ſomnia, & ne quouis uento doctrinæ circunferantur, ſed certo ſciant Baptiſmum diuinitus ordinatum, & eo, ut cœleſti Sacramento utendum eſſe. Quare Catechumeno hæc, quæ ſequuntur, Scripturæ uerba ediſcenda proponuntur.

Matthæi ultimo, Accedens Ieſus, locutus eſt diſcipulis ſuis, dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, BAPTISANTES eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque præcepi uobis. Et ecce ego uobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi. Baptiſmi inſtitutio.

Et Marci ultimo, Dicebat Ieſus diſcipulis, Ite in mundum uniuerſum, et prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & BAPTISA-

tus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Duo testimonia ex Apostolicis scriptis recitantur, de confirmatione Baptismi. Alterum extat in Matthæo cap. ult. Postquam enim Christus resurrexisset à mortuis, & iam in eo esset, ut ascensu suo in cœlum, significaret se deinceps non conuersaturum cum hominibus in hoc seculo uisibiliter, instituit & confirmauit Ministerium prædicandi Euangelij sui, & baptisandi homines, ac dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.

Christi præfatio in Institutione Baptismi.

Hæc est præfatio in eam institutionem, quæ sequitur, de Ministerio prædicandi & baptisandi, quæ præfatio idcirco præmittitur, ut Institutio, quæ sequitur, magna autoritate commendetur, & summa reuerentia excipiatur, atque obseruetur. In humanis institutionibus aut mandatis, solent Reges ac Principes de sua maiestate & dominatione nominatim præfari, Carolus Dei gratia Romanorum Imperator &c. Christianus Dei gratia Danorum Rex &c. Quod certe nec fit otiose, nec, quantum quidem in ipsis uerbis est, arroganter, sed ut tali præfatione, Institutio aut Mandatum commendetur. Eodem more solet & Filius Dei, cœlestis Rex, in suis Institutionibus & Mandatis præfari. Cum institueret ac promulgaret Decalogum, sic præfatur, Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti &c. Sic

& hoc

& hoc loco cum instituerat ministerium Euangelij & Baptismi, præfatur, Mihi data est, inquiens, omnis potestas in cœlo & in terra, hoc est, Ego sum uerus Messias. De hoc enim dictum est Psalmo 71. quòd dominetur à mari usque ad mare. Et Psalmo 8. quòd omnia subijciantur ei. Et Psalmo 109. quòd sedeat à dextris Dei. Solent quidem aliquoties in Principum huius terræ præfationibus uani tituli admisceri, ut cum quispiam iactet se esse regem Asiæ, in quo Regno ne latum quidem pedem possideat. Christus autem nihil prorsum uani in suo titulo recitat. Affirmat se esse Dominum cœli & terræ, hoc est, uerum Messiam. Hanc suam Maiestatem comprobauit magnis miraculis, Resurrectione à mortuis, Missione Spiritus sancti, & diuulgatione ac conseruatione Euangelij in toto orbe terrarum, Quam Maiestatem Christi, etsi impij in hoc mundo nec uident nec curant, tamen patefaciet suo tempore dies ille Domini magnus, quo iudicabitur uniuersus mundus.

Quid ergo talis & tantus Dominus instituit? Non instituit in Ecclesia sua externam dominationem. Etsi enim, quæ potestates sunt, ut Paulus ait, à Deo ordinatæ sunt, tamen quemadmodum Regnum Christi non est de hoc mundo, ita Christus non instituit, ut Apostoli et successores eorum in administranda Ecclesia, susciperent prætextu

Euangelij, mundanam dominationem, & regiam in hoc ſeculo poteſtatem, Sed inſtituit miniſterium DOCENDI, ſeu PRÆDICANDI. Docete, inquit, et Prædicate. Quid autem docendum, quid prædicandum eſt? Sequitur. Docentes eos ſeruare omnia, quæ præcepi uobis. Et poſtea, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Non ſunt docenda humana ſomnia, non hypocritarum deliria, non uanæ Sanctorum Legendæ, ut uocant, non ſcurrilia ſcommata, ſed docenda ſunt ea, quæ Chriſtus iuſſit. Docentes, inquit, eos ſeruare OMNIA quæ Ego præcepi uobis. Prædicandum eſt Euangelium, hoc ipſum uidelicet Euangelium, quod Chriſtus prædicauit, quod & ſcriptis Propheticis ac Apoſtolicis perſpicue continetur.

Miniſteriū docendi à Chriſto inſtitutum.

Sed qui ſunt docendi, quibus eſt prædicandum? Num ſolis Iudæis? Dixerat quidem Chriſtus antea, In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, nec in uias Gentium. Nunc autem iubet Apoſtolos proficiſci in totum orbem terræ, ad Iudæos & gentes, Nam cum Chriſtus ageret adhuc uitam in terris, uiſum eſt ei Euangelium Iudæis tantum adnunciare, quòd non eſſet, quantum ad externum ipſius miniſterium attinebat, niſi ad oues perditas Iſraelis miſſus, quemadmodum ipſe loquitur. Vnde et Paulus uocat eum miniſtrum Circunciſionis, hoc eſt, concionatorem Iudæorum. Poſtquam autem reſurrexit à mortuis, et confirmauit Euangelium ſuum

Qui ſint docendi.

Rom. 15.

miſſio-

missione Spiritus sancti, non uoluit, ut prædicatio Euangelij sui concluderetur in unum illum angustum Iudææ angulum, nec contineretur in solo populo Iudæorum, sed uoluit, ut uulgaretur in uniuersum orbem terræ, quia salus in Christo promissa, non pertinebat tantum ad Iudæos, sed etiam ad omnes Gentes. In semine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes terræ. Et propter hoc confitebor tibi in gentibus, & Nomini tuo canam, &c. Psal. 17. Rom. 15.

Deinde addidit doctrinæ seu prædicationi Euangelij Baptismum. Etsi autem Baptismus fuerat antea per Iohannem (qui primus fuit minister Baptismi) iinstitutus, tamen is Baptismus usurpatur tantum inter Iudæos. Nunc autem instituitur, ut sicut Euangelij doctrina, ita etiam Baptismi sacramentum inter Gentes uulgetur. Dicit enim, Docete OMNES gentes, baptisantes eos in nomine Patris etc. Quæ uerba non tantum sunt numeranda, sed etiam ponderanda.

Baptisantes.

Baptisare, est tingere, lauare, seu balneare, quod Germanice dicitur, baden. Quod autem ad ritum attinet, iuxta refert, siue quis intingatur, aut immergatur in aquam, siue aqua super ipsum infundatur. Lauatio enim est, siue hoc siue illo ritu fiat Baptismus. Itaq; hoc loco ministri Ecclesiæ creantur spirituales Balneatores. Baptisare.

Eos. Hoc refert OMNES gentes. Nomine autem Gentium, non intelliguntur adulti tantum, & uiri, sed etiam mulieres & pueri, ac infantes. Origenes. Augustinus Testantur enim Ecclesiastici scriptores, quòd mos baptisandi infantes propagatus sit in Ecclesia ab Apostolis. Quare Apostoli intellexerunt nomine Infantes baptisandos esse. Gentiũ, comprehendi etiam infantes, qui sunt magna ac minime contemnenda pars Gentium. Vnde et Esaias longe ante adumbrasse uidetur hoc spectaculum, quo maiores natu asportant infantes suos ad Baptismum. Sic enim cap. 49. ait, Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo Signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Sed de Baptismo infantium tractatur alias copiose. Et huc pertinet, quod supra de fide Infantium dictum est.

In nomine Patris & Filij &c.

Hæc supra satis exposita sunt. Vnum tantum nunc adijciendum uidetur, Sunt enim qui sentiũt, q; Christus hoc loco sic instituerit Baptismum, ut etiam his uerbis, (Ego baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti) distribuendus sit, & nisi his uerbis utamur, existimant non esse uerum baptismum. Hi pro eo, quod dicitur (In nomine) putant intelligendum esse (his uerbis.)

Obseruandum igitur, q; in Baptismo hæc usitata uerba (Ego baptiso te in nomine Patris, & Filij,

lij,& Spiritus ſancti) omnino retinenda ſunt, nec cuiquam permittendum eſt,ut hæc uerba pro ſua libidine & temeritate mutet, ac alijs uerbis pro ſuo arbitrio, in baptiſmo utatur. Sunt enim grauiſſimæ cauſæ, quas ſuperuacaneum eſt hoc loco commemorare,cur horum uerborum uſus diligenter retinendus ſit. Et tamen hic uſus recte eſt intelligendus. Nam Chriſtus non collocauit fundamentum Baptiſmi ſui ſuper certis literis, ſyllabis, aut dictionibus,nec alligauit nos ad certa uerba, Non enim inſtituit Magiam, quæ ad certam uerborum formam & ritus alligata eſt,ſed inſtituit cœleſtia Sacramenta, quæ conſtant ſua ipſius ſententia & uolũtate his uel illis uerbis nobis ſignificata. Cum enim Chriſtus Baptiſmum inter Gentes uulgandum commendaret, locutus eſt cum Diſcipulis ſuis Hebraice aut Syriace. Quid ergo? Si Baptiſmus ad certas literas ac ſyllabas alligatus eſſet,certe non liceret,niſi Hebraica aut Syriaca lingua baptiſare. Sed bene habet. Sicut Chriſtus uulgauit Euangelium ſuum in die Pentecoſtes,in omnes linguas gentium,ita etiam uult, ut Sacramenta ſua diſtribuantur his linguis, quæ ab auditoribus, & his,qui accipiunt Sacramenta,intelligi poſſunt, et quibus ſentẽtia Euangelij eius recte cognoſcitur. Itaq; ſi quis poſt recitationem Symboli Apoſtolici in Baptiſmo diceret ad baptiſandum hæc uerba: Audiui iam ex te confeſſionem fidei tuæ,

quòd

quod credas in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, et in unigenitum Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, & in Spiritũ sanctum. In hanc igitur confessionem et fidem intingo te in aquam, seu perfundo te aqua, ut hoc signaculo certus fias, te insertum esse in Iesum Christum, & communionem omnium bonorum eius. Vade ergo in pace. Hic certe Baptismus, esset uerus baptismus, quia continet ea, quæ ad Baptismũ necessaria sunt, & recitata est sententia uerborum Christi, etsi sonus ipse uerborum paululum immutatus uidetur.

Hoc idcirco uisum est addere, non quod permittenda sit mutatio usitatorum uerborum (Ego baptiso te in nomine Patris &c.) Sed ut uerba Christi, recte intelligantur, & ut Magiam à uera cœlestium Sacramentorum consecratione, longe discernere discamus.

Docentes eos seruare, &c.

Repetit Christus institutionem concionis Euangelij. Hæc enim concio plane necessaria est, & debet baptismum præcedere, ac sequi. Docendi sunt homines doctrinæ capaces Euangelium Christi, ante quam baptisantur. Postea baptisandi sunt tam adulti qui baptismum petunt, q̃ infantes, qui per adultos, in quorum potestate sunt, afferuntur. Postquam autem baptismus acceptus est, non est deinceps concio intermittenda, sed repetenda et urgen-

Baptisati cõcione Euangelij frequenta-

da,

da,ut per eam excitentur & conseruentur,adeoq; etiam augeantur dona Spiritus sancti,quæ per baptismum diuinitus conferri solent. Quare non sentias,te,postquam baptismum accepisti, tuo munere defunctum, præsertim si tibi diutius in hoc mortali corpore uita transigẽda erit. Etsi enim omnia peccata nostra, quantum quidem attinet ad ipsorum remißionẽ, proiecta sunt, ut Micha loquitur, in profundum maris baptismi, tamen peccatum ipsum manet adhuc, etiam post baptismum, in carne inhærens,nõ quòd condemnet nos: Est enim propter Christum remissum, sed ut in nobis mortificetur,& subinde magis ac magis expurgetur. Mortificatur autem & expurgatur per spiritum Dei. Si secundum carnem,inquit Paulus,uixeritis,moriemini. Quòd si Spiritu facta corporis mortificetis,uiuetis. Qui enim spiritu Dei ducuntur,hi sunt filij Dei. Datur autem nobis Spiritus, per concionem Euangelij de Christo. Accepistis Spiritum,inquit Paulus,non ex operibus legis,sed ex prædicatione fidei. Necessarium igitur est, ut postquam baptisati sumus,concione Euangelij frequenter eruditiamur, ut spiritu per Euangelium accensi & inflammati,cupiditates carnis mortificemus,& uocationi Dei obediamus.

quenter erudiendi sunt.

Mich. ult.

Rom. 8.

Galat. 3.

Etsi autem Christus, cum iubet Apostolos docere Gentes,non alligat eos ad certum sonum uerborum,tamen alligat eos ad certum genus doctri-

næ,

næ. Non enim uult, ut Apostoli & ministri Ecclesiæ doceant, quæ ipsis libent, & quæ somniant, sed

Certum doctrinæ genus tenendum.

Docẽtes, inquit, seruare omnia, quæ EGo præcepi. Sic & Iohannis 14. ait: Spiritus suggeret uobis omnia. Quæ? Num quæcunq; ab ipsis fuerint excogitata? Minime. Sed quæcunq; EGO dixi uobis. Quare impie errant, qui obtrudunt Ecclesiæ aliam doctrinam, quàm eam, quæ à Christo tradita est. Si Angelus, inquit Paulus, è cœlo prædicauerit uobis Euangelium, præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quæ autem Christus docuerit, & præceperit, postea sequetur.

Et ecce Ego uobiscum sum &c.

Promissio præsentiæ Christi in ministerio Euangelij &c.

Hæc est obseruabilis promissio, & quæ ad priorem institutionem Ministerij prædicandi & baptisandi necessario adijcienda erat. Potuissent enim Apostoli de huius institutionis progressu aut euentu dubitare, ac secum cogitare: Quid? Emittis nos in orbem terrarum, non solum inter nostros cognatos Iudæos, uerumetiam inter immanissimas gentes, & iubes nos prædicare tuum Euangelium, ac baptisare Gentes tuo Nomine. Sed quis nos in hac legatione tuebitur? Et quam uim, quam efficaciam hoc nostrum Ministerium est habiturum? Nos sumus homines abiectissimi, nec habemus ullam inter homines uel autoritatem, uel dominationem. Quid ergo possumus nostra concione, &

baptiſmo efficeres? Si adiungeres nobis Romanum Imperatorem, aut alium potentem huius terræ Monarcham, qui nos ſuis armis iuuaret, poſſemus facillime Regnum tuum in his terris conſtituere & dilatare.

Ad has ergo cogitationes reſpondet Chriſtus hac promiſsione: Ecce ego uobiſcum ſum &c. Conſidera igitur mihi, quòd etſi Chriſtus hoc dicto promittit ſe ſemper in omnibus negocijs, conſilijs, & euentibus affuturum Eccleſiæ ſuæ, tamen præcipue concionatur de præſentia & efficacia ſua in miniſterio Euangelij ſui, et in diſpenſatione Sacramentorum ſuorum. Ac principio, clare uides, quòd Chriſtus nullum conſtituat pro ſe in Eccleſia ſua uicarium, non regem quendam, non Pontificem, ſed ipſemet uult eſſe Eccleſiæ ſuæ præſens, et efficax per uerbum ac Sacramenta ſua. Ecce EGO inquiens, uobiſcum ſum. Nolite de concionis Euangelij et Baptiſmi efficacia dubitare, Ego ipſe coram adero, & perficiam meo quidem Spiritu, mea autoritate & uirtute, ueſtro autem miniſterio, quæ perficienda erunt. Deinde non definit his uerbis certum tempus durationis Euangelij ſui in hoc mundo. Qualem periodum Regna & inſtituta huius ſeculi habere ſolent, & quæ facile uel bellis, uel alijs euentibus mutantur, ac etiam in totum abolentur. Sed inſtituti Chriſti de miniſterio Euangelij & Baptiſmi ſui longe alia eſt

ratio

ratio. Definit enim & ſtatuit ei durationis termi-
num, non trecentos, non ſexcentos tantum, nec mil
le tantum annos, ſed conſummationem huius ſecu
li. Sum, inquit, uobiſcum uſq; ad conſummationem
ſeculi. Quare, etſi Satan excitare poteſt, permiſſu
Dei, tyrannos, qui Eccleſiam perſequuntur, & eji-
ciunt eam è ſuis hoſpicijs, tamē ſicut hactenus con
ſtitit Euangelium Chriſti & Baptiſmus eius, in me
dio furore Iudæorum, Gentium, & Mahumetiſta-
rum, ita nullus unquam tyrannus tam potens erit,
qui hoc miniſterium omnino è mundo, ante nouiſſi
mum diem, tollere queat. Præterea, Chriſtus non
aderit Eccleſiæ ſuæ ac miniſterio eius, tempore in
terrupto, ſed OMNIBVS, inquit, DIEBVS. Nō enim
hoc anno aderit, altero aberit, ſed ſemper aderit
præſto ſuæ ordinationi & inſtitutioni, uſq; ad ex-
tremum huius ſeculi diem. Eo enim die deſinet qui
dem uſus concionis & ſacramentorum, ſed incipi-
et reuelata fruitio æternæ iuſticiæ ac cœleſtis re-
gni. Quare, etſi doctrina Euangelij fuit multis an
nis apud maiores noſtros humanis traditionibus
obſcurata, tamen quia Chriſtus conſeruauit in Ec
cleſia Symbolum Apoſtolicum incorruptum, & ho
mines baptiſati fuerunt in nomine Patris, & Filij,
& Spiritus ſancti, idcirco dubium non eſt, quin
Chriſtus fuerit in Eccleſia eorum præſens, & per
uerbum ac Sacramenta ſua efficax, ut ſeruati ſint
perpetua ſalute, quotquot abiecta tandem impia
fiducia

fiducia operum, in fide Christi ex hac uita migrarunt. Atq; hactenus de eo testimonio, quod de confirmatione & diuulgatione Baptismi apud Matthæum extat. Sequitur nunc alterum testimonium quod est apud Marcum.

Ite in mundum uniuersum, prædicate Euangelium, &c.

Primum igitur, cum Christus iubet Apostolos suos proficisci in uniuersum mundum, abrogat prius illud mandatum suum, quo iusserat Apostolos, ne irent ad ciuitates Samaritanorum, & in uias Gentium, quemadmodum supra ostendimus. Vnde quod hic dicit, Ite in mundum uniuersum, postea in Actis Apostolicis cap. 1. sic recitatur, Eritis mihi testes nõ solum Ieroſolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, denique usq; ad extrema terræ. Matth. 10.

Præterea abrogat hoc mandato cultum Ieroſolymitanum, & uetus præceptum de sacris peragendis in templo Hieroſolymitano. In Deut. enim cap. 12. sic dicitur: Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem uideris, sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum &c. Hic instituitur una tantum parochia (ut uocant) in gente Iudaica, extra quam non licebat sacrificare, & reliquos id genus Leuiticos cultus facere. Et grauiter peccabant hi, qui sacrificabãt et adolebant in-

censum in excelsis & lucis. Nunc autem Christus abolet hanc Leuiticam ordinationem, & iubet Apostolos instituere parochias in omnibus Gentium regionibus. Quare non exigitur, ut ad facienda sacra, & quærendum Christum, suscipias peregrinationem, uel ultra mare ad Hierusalem, uel ad Romam, uel ad aliam insignem ciuitatem, sed licebit tibi Christum & ueram ac æternam salutem in Christo inuenire in domestica aut uicina tibi parochia, in qua Euangelium Christi sincere prædicatur.

Deinde, non iubet Apostolos sacrificare Cœnam Domini pro peccatis uiuorum & mortuorum: nec iubet eos ciuiliter dominari pro more mũdanorum principum, sed iubet prædicare, Prædicate, inquit. Ergo sacrificuli et monachi, qui hoc tantum agunt, ut faciant Missas pro peccatis uiuorum et mortuorum, et Pontifices, qui prætextu Euangelij dominantur more principum huius seculi, non sunt ueri Ecclesiæ ministri à Christo instituti. Sed quid est prædicandum? Prædicate inquit, Euangelium. Etsi autem articuli, qui de Iesu Christo in Symbolo Apostolico recitantur, et quos paulò post, propicio Deo, explicabimus, continent summam Euangelij, tamen & hic locus monet, ut uel paucis indicemus, quid sit Euangelium. Nomine enim Euangelij non intelligitur hic una quædã, aut altera tantum Pericope, ex Euangelistarum scriptis

Euangeliũ quid sit.

ptis decerpta, quales Pericopæ ſolent ſingulis diebus feſtis publice recitari, ſed intelligitur concio de Ieſu Chriſto, uidelicet, quòd Ieſus filius Mariæ uirginis, ſit uerus Chriſtus, uerus Deus & homo, qui ſolus placauerit nobis Patrem, et impetrauerit remiſſionem peccatorum, per crucem & mortem ſuam, et reſtituerit nos iuſticiæ ac uitæ, per reſurrectionem ſuam. Sed Epitomen huius concionis comprehendit Chriſtus ipſe paucißimis uerbis.

Iohan. 11. Ego ſum, inquiens, Reſurrectio & Vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

Et Petrus Act. 10. Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per Nomen eius quiſquis crediderit in eum.

Et Paulus Rom. 4. Iuſticia imputabitur nobis credentibus in eum, qui excitauit Ieſum Dominum noſtrum à mortuis, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri.

Hæ et ſimiles conciones ſunt uerum Euangelium, et continent ſummam Euangelij. Nam Euangelium, ſignificat latine bonum Nuncium. His autem, qui iudicio peccati, & ſententiæ æternæ damnationis conterriti & pauefacti ſunt, non poteſt iucundior Nuncius contingere, quàm quòd

Deus sit ipsis propicius, remittat eis peccata, adoptet eos in filios et hæredes cœlestium bonorum. Quare ea concio, quæ tam iucunda, tam læta, tam salutaria adnunciat, merito Euangelij nomen reportat.

Sed CVI debet Euangelium prædicari? Additur, OMNI creaturæ. Quid? Num anseribus etiam & anatibus? (nam et hæ sunt bonæ Dei creaturæ) Sic quidem ineptiunt hypocritæ. Sed Christus hoc loco respicit nomine OMNIS creaturæ, non in bestias & iumenta, sed in uniuersum humanum genus, quod eo tempore in duas partes diuisum erat. Vna pars erant Iudæi: Et hi soli uidebãtur populus Dei, & his solis promissum erat diuinitus, q̃ Christus ex ipsorum genere hominem esset assumpturus. Hi sentiebant, quòd nullus ex gentibus posset in numero populi Dei censeri, nisi fieret Iudæus, per circunciſionem. In qua opinione fuerunt etiam Apostoli aliquandiu, ut uides Act. 10. & 11. Altera pars erant Gentes incircunciſæ, quæ erant populus à Deo alienus. Cum ergo Christus ascensurus esset in cælum, tollit et abrogat, quantum quidem ad Euangelium et Regnum suum attinet, hãc humani generis distinctionem, ac iubet Euangelium suum prædicari OMNI creaturæ, hoc est, non solum Iudæis, qui se solos esse ueram Dei creaturã reputabant, sed etiam Gentibus, quas Iudæi uix creaturæ nomine dignas iudicabant. Itaq; post ascensum

Franciſcus uocat aues ſorores ſuas.

Euangeliũ omnib. hominib. prædicandum.

censum Christi in cœlũ, Ecclesia Dei non est nunc quærenda in uno tantum hominũ genere, sed in omnibus gentibus. Reipsa cperio (inquit Petrus) q̃ non sit personarum respectus apud Deum, Sed in quauis gente, qui timet ipsum, & operatur iusticiam, acceptus est illi. Et Paulus, Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes inuocantes se etc. Act. 10. Rom. 10.

Quid ergo? Num satis est, ut Euangelium prædicetur, & audiatur? Nihil ne aliud à gentibus, præterquam ut Euangelium, quod prædicatur, audiant, exigitur? Certe non auditus tantum, sed & fides exigitur. Additur enim: QVI CREDIDERIT & baptisatus fuerit, saluus erit. Hæc, etsi paucissima uerba, sunt tamen Epitome totius Euangelij Christi. Quare singula uerba diligenter sunt expendenda.

Qui. Non facit discrimen personarum, Quicunque siue Iudæus, siue Ethnicus, siue Rex, siue subditus, siue diues, siue pauper, siue mas, siue mulier, siue adultus, siue infans. Non est Iudæus (inquit Paulus) neq; Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu etc. Et OMNIS qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Gal. 3.

Crediderit. Sed quid crediderit? Num

Euangelio credendum est.

q..od quisq; sibi ipse finxerit, aut somniauerit? Et an non Iudæi, Turcæ, Gentes, & omnes impij credunt aliquid, idq; de Deo? Habent & sua baptismata, suas lauationes & balnea. Dicemus igitur, eos saluos fieri? Nihil certe minus. Nã quod dicit, CREDIDERIT, referendum est ad nomen Euangelij, quod proxime præcedit. Prædicate, inquit, Euangelium. Qui crediderit, uidelicet Euangelio. Nam huic, non humanis somnijs, non incertis doctrinis, non uanis nugis credendum est. Diserte autem dicit, Crediderit, non dicit, Cogitauerit, aut uerisimile tantũ reputauerit, quod iuxta referat, uel ex corde agnoscere uel contemnere, quo animo agnoscuntur pleræq; historiæ Gentium, Sed CREDIDERIT, inquit. Credere enim hoc loco, primum quidem est, narrationem Euangelij de Iesu Christo, quòd sit æternus Filius Dei, & suo tempore homo factus, Filius Mariæ uirginis, quòd mortuus sit, & resurrexerit à mortuis, & reliqua de Christo historica, quæ in Propheticis et Apostolicis scriptis continentur, pro certissima ueritate habere. Deinde est, firmam fiduciam in Iesu Christo, iuxta Euangelij prædicationem, collocare, uidelicet, ut certo & indubitate confidamus, nos habere peccatorum remissionem, propter mortem Christi, & adoptatos esse in filios Dei, ac hæredes æternæ uitæ, propter resurrectionem Christi, adeoq; nos habere propter Christum ius cœlestis

Credere quid sit.

Regni,

Regni. Sed de fide in Christum alias copiosius.

Et baptisatus fuerit.

Hæc est Baptismi seu institutio seu confirmatio. De qua re cum ante satis dictum uidetur, non erimus nunc prolixiores.

Quid ergo, inquies, consequitur is, qui credit Euangelio Christi, & baptisatur in Nomine eius? SALVVS, inquit, ERIT. Hic nobis aliquandiu commorandum est, ut unde nobis uera & æterna Salus ueniat, cognoscamus. Nos enim natura nostra, nec salui sumus nec beati, sed plane infelices et damnati. Nam postquam Adam, primus parens noster, transgressus est in Paradiso legem Dei, & peccauit aduersus Deum, traxit secum in ruinam uniuersum humanum genus. Ac initio, coniecit se cum omnes posteros suos in peccatum, ita ut omnes in peccato concipiantur & nascantur. Cum enim Adam priuatus sit Spiritu sancto propter peccatum, priuantur & hoc Spiritu omnes posteri eius. Vbi autem non est Spiritus sanctus, ibi est ignorantia Dei, dubitatio de Deo, incredulitas, diffidentia, odium Dei, contemptus Dei, Similiter odium & contemptus proximi, ex quibus, tanquam ex fonte, emanant omnia externa scelera. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum introijt in mundum. Et iterum: Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti fuimus multi. Deinde, Adam coniecit propter peccatum omnes

Homo natura sua infelix et damnatus est.

Rom. 5.

posteros suos in iram Dei, ex qua fiunt obnoxij omnibus corporalibus malis, aduersis, morbis et afflictionibus. Dicit enim Gene. 3. Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore uultus tui &c. Hoc est, ut breuibus dicatur, Semper eris in terra miser & afflictus. Etsi enim alij alijs uidentur in hac terra felices. Pauperes enim iudicant diuites felices. Ægroti corpore iudicant sanos felices. Captiui, & subditi iudicãt liberos et potentes felices. Et inter afflictos ipsos, (exempli gratia) pauperes, captiuos & ægrotos, alius uidetur alio miserior, & magis afflictus: quatiscunque tamen sit miserorum et afflictorum hominum opinio de aliena felicitate, generalis certe sententia Dei de afflictionibus humani generis, manet super omnes homines, etiam eos, qui aliqua terrena felicitate præditi uidentur, firma & fixa. Sicut enim quæuis mulier parturiens necesse habet liberos in dolore parere, iuxta illam sententiam: In dolore paries filios, A qua sententia, ne heroinæ quidem & reginæ excipiuntur: Ita & de uiris generaliter dictum est, In sudore uultus tui uesceris pane tuo, hoc est, Miser & afflictus eris in terra, Ab hac sententia nullus diues, nullus Princeps, nullus Rex excipitur. Ac fingamus hominem quendam mediocriter esse felicem, usque ad senectam, tamen necesse habet uel tandem mortem sub

ſubire. Per unum hominem (inquit Paulus) mors peruaſit in omnes homines. Et, In Adam omnes moriuntur. Quæ autem poteſt eſſe felicitas, in maximis diuicijs, in ſumma huius ſeculi potentia, in clariſſima nominis gloria, in optima corporis ſanitate, ſi ſingulis momentis mors eſt expectanda?

Libet hic commemorare, quod Cicero de humana felicitate, etiam regia, ſcribit, ut cognoſcamus, q. mors impendens reddat omnia in ſuauia, quamuis regiæ fuerint deliciæ. Cum quidã (inquit) ex aſſentatoribus Dionyſij regis Syracuſanorum, Damocles nomine, commemoraret in ſermone, copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaretq; unquam BEATIOREM quenquam fuiſſe. Vis ne igitur, ò Damocles, quoniã hæc te uita delectat, ipſe tandem deguſtare, et fortunã experiri meam? Quum ſe ille cupere dixiſſet, collocare iußit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacosq; complures ornauit argento auroq; cælato. Tum ad menſam eximia forma pueros delectos iußit conſiſtere, eosq; ad nutum illius diligenter intuentes miniſtrare. Adcrant unguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles uidebatur. In hoc medio apparatu, fulgentem

In Tuſc. q. lib. 5. Hiſtoria de Dionyſio Syracuſano, & Damocle.

gladium è lacunari, seta equina appensum demitti iussit, ut impenderet illius beati ceruicibus, Itaq; nec plures illos ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam. Iam ipsæ defluebant coronæ. Deniq; exorauit Tyrannum, ut abire liceret, quòd iam beatus nollet esse.

Hoc idcirco recitare uisum est, ut etiam ethnicorum eorumq; sapientissimorum hominum testimonio cognoscamus, nihil esse nec iucundum nec delectabile ei, cui semper terror mortis impendeat. Quare uere beatus esse non potest, qui cũ multa et magna huius seculi felicitate fruitur, mortis tamen obnoxius est. Postremo, Adam peccato suo autor est, quòd omnes homines natura sint obnoxij æternæ dãnationi, & igni inextinguibili. Hæc miseria superat omnes humanas ærumnas. Reliquum igitur est, quòd homines, sicut supra proposuimus, sint natura sua infelices et damnati. Quomodo ergo liberantur? quomodo saluantur? Non saluantur terrenis diuicijs, nec mundana potentia, aut regia maiestate, nec corporali sanitate, nec alijs carnalibus bonis. Christus enim non dicit, Qui habuerit multam uim pecuniæ, saluus erit. Nec dicit, Qui habuerit Ducatum aut Regnum in terra, saluus erit. Nec dicit, Qui fuerit sano corpore, saluus erit. Et Propheta ait: Non glorietur sapiens in sapientia sua, non glorietur fortis in fortitudi-

Homines quomodo salui fiant.

Hiere. 9.

titudine ſua, & non glorietur diues in diuicijs ſuis.

Deinde, homines non fiunt ſalui ſua ipſorum iuſticia, aut operum ſuorum meritis. Dicit quidem aliàs Chriſtus: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Sed & iterum dicitur, Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Etſi enim exigitur, ut mandata Deifaciamus, tamen nullus hominum eſt, qui ea tanta faciat perfectione, quantam lex Domini requirit. Quare nullus homo poteſt ſua ipſius iuſticia coram iudicio Dei conſtare, & ſaluus fieri.

Queſo igitur te, dicito tandem nobis, quomodo homines ſalui fiant? Hic mihi uerba Chriſti filij Dei audi. Qui crediderit, inquit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Conſequimur ergo ſalutem, et efficimur ſalui, per FIDEM in Ieſum Chriſtum, & per Baptiſmum. Hæc eſt, ut certiſſima, ita & rectiſſima, adeoq; ſola et unica ueræ et æternæ ſalutis uia. Ecquæ huius rei cauſa eſt, cur ſaluus fiat, qui credit Euangelio Chriſti, & baptiſatur in nomine Chriſti? Num aliena mors (nam ad conſequendam remiſſionem peccati & ueram ac cœleſtem ſalutem collocanda eſt fiducia, non in noſtra, ſed in Chriſti, hoc eſt, in aliena morte) & pauxillum aquæ tanti ſunt momenti, ut homines ſaluent?

Salutis æternæ ueræ uia.

ſaluent? Hæc demum extrema uidetur ſtulticia ſapientibus huius ſeculi. Alius enim quiſpiam dicit:

Cato. *Stulticia eſt morte alterius ſperare ſalutem.*

Et alius:

Ouidius. *Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis,*
Exigua tolli poſſe putatis aqua.

Sed faceſſat in hoc negocio ſapientia huius mundi, quam Deus & infatuat & perdit. Aduertamus autem animum ad ſapientiam Dei. Sic enim Deus æterno & imperſcrutabili ſuo conſilio ſtatuit, ut humanum genus reconciliaretur ipſi morte unigeniti Filij ſui, & ut omnis qui credit in Filium Dei, ac baptiſatur in nomine eius, adoptetur & ipſe in filium Dei, & ſaluus ſit perpetuo. Etſi enim nec fides per ſe in homine, nec aqua per ſe tanti ſunt momenti, ut poßint hominem beare, quippe quòd homo nunquam tantum credat Euangelio Dei, in hac corporali uita, quantum ab ipſo diuinitus exigitur, & aqua baptiſmi per ſe corpus tantum attingat: tamen ſua eſt iuſta & æqua cauſa, cur homo fide in Chriſtum & Baptiſmo ſaluetur.

Homo cur fide in Chriſtum & Baptiſmo ſaluetur.

Nam qui credit in Chriſtum, & induit baptiſmo Chriſtum, is accipit per fidem, propter Chriſtum, remißionem peccati, & adoptatur in filium Dei, ac hæredem cœleſtium bonorum. Vbi autem peccatum eſt remiſſum, & adoptio in filios Dei facta eſt, ibi etſi perdurant adhuc aliquandiu afflictiones

ctiones, tamen non possunt esse nec incommodæ, nec perpetuæ. Et ubi peccatum est remissum, ibi mors absorbetur in victoriam. Reliquum igitur est, ut qui crediderit in Christum & baptisatus fuerit, saluus fiat. Itaq; perpetua nostra salus, et æterna fœlicitas non aliunde pendet, quàm à fide in Christum, et à baptismo, ut sacramento seu signaculo fidei. Et *additur,*

Qui uero non crediderit condemnabitur.

Baptismus habet quidem suum usum, & suam necessitatem, sed ut plurimũ prodest, si fide accipitur, ita nihil prodest, si solus absq; fide fuerit. Nam fides in Christum, id demum organum est, quo homines Christum uere accipiunt, & beneficijs Christi diuinitus donãtur. Quare qui caret fide in Christũ, etiamsi habeat omnia sacramenta, omnes alias uirtutes, omnia alia dona corporalia & spiritualia, omnem sapientiam et potentiam huius mundi, tamen condẽnatur. Vides igitur hac una, eaq; paucissimis uerbis cõprehensa sententia pronunciari iudicium perpetuæ damnationis in omnes Iudæos, Turcas, hypocritas, et sceleratos impœnitẽtes, quia non credunt Euangelio Christi. Solos autem uere Euangelio credentes, saluari, idq; nullo ipsorum merito, sed tantum gratuita clementia Dei, propter filium suum Iesum Christum, per fidem acceptum, & per baptismum in fide consignatum.

Baptismus quando prosit.

DE

DE SYMBOLO APOSTOLICO.

CVm initio Catechumenus interrogaretur, Cuius esset Religionis, & doceretur respondere, Se esse Christianæ religionis, additæ sunt duæ causæ, cur simus & dicamur Christiani, uidelicet, quòd adhibeamus FIDEM Christo, & baptisati simus in Christum. Postquam igitur perstrinximus de Baptismo ea, quæ uidebantur ad nostrum propositum & ad ædificationem Ecclesiæ utilia esse, accedemus nunc, adiuti diuina clementia, ad expositionem Fidei, cuius summa comprehensa est in Symbolo Apostolico. Nam, cum Catechumenus interrogatur, QVID CREDIS? exigitur ab eo, ut recitet Symbolũ, quod uocant Apostolicum, & quod tradiderunt nobis maiores nostri. De hoc Symbolo, pauca quædam dicenda sunt, priusquam singula capita, seu articulos eius attingamus.

Symbola tria.

Solent enim tria Symbola in Ecclesia recitari. Vnum uocatur Apostolicum, Alterum Nicenum, quod collatum est à maioribus nostris in Concilio Niceno, & quod hactenus in publicis sacris decantatum fuit: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uisibilium & inuisi' ili-

uisibilium etc. Tertium, Athanasij. Quicunq; uult saluus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem &c. Porro, nobis erit nunc sermo tantum de symbolo Apostolico, quod solent in duodecim capita, seu, ut uocant, Articulos diuidere, ac sentiunt nonnulli, q; duodecim Apostoli composuerint hoc Symbolum, & singuli singulos Articulos contulerint. Sed quia hoc magis fama, quam certo testimonio constat, sequemur, quod probabilius uidetur. Dicitur enim Symbolum Apostolicum, quòd contineat Epitomen, compendium & summam totius Apostolicæ doctrinæ, imo totius sacræ scripturæ, de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto. Itaq; hoc Symbolum, tanquam parua Biblia, de uera Dei cognitione, merito amplectendum est. Nam & res ipsa testatur, quòd Articuli, qui in hoc Symbolo de Iesu Christo commemorantur, collati sint in hanc Epitomen, ex prima concione, quam Petrus, in die Pentecostes, adstantibus & simul contestantibus reliquis Apostolis, habuit. Quare hoc Symbolum debet nobis esse commendatissimum, & danda est opera, ut non solum uerba eius teneamus, sed etiam recte & pie intelligamus, et testimonia horum Articulorum ex scriptura cognoscamus.

Symbolum Apostolicũ unde sic dicatur.

Credo in DEVM.

ETsi hæc sunt paucissima uerba, tamẽ his plurima, & maxima cognoscenda atq; creden-

credenda docentur. Et quia etiam ſuus alijs huius Symboli articulis explicandis locus dandus eſt, idcirco contrahemus in quatuor tantum partes, ea quæ his uerbis obſeruanda uidentur.

1. pars, q̃ ſit Deus.

Primo', cum Catechiſta docet Catechumenum, Credere in Deum, docet eum certa & firma fide tenere, quòd ſit Deus. Multi fuerunt & adhuc ſunt impij homines, quorum alij dubitant, num ſit Deus, alij ſimpliciter negant eſſe Deum. Hi ſunt homines à Satana excœcati, & indigni uocabulo hominis. Nihil enim certius, quàm quòd ſit Deus. Et homo ad hoc creatus eſt, ut cognoſcat Deum.

Agite ergo ſciamus, unde cognoſcatur, quòd ſit Deus, ut tuto & certo credamus eſſe Deum. Cum enim Deus natura ſua ſit inuiſibilis, ut nec corporalibus oculis uideatur, nec auribus carnalibus audiatur, nec manibus externis tangatur, nec alio exteriori ſenſu percipiatur, exiſtimãt impij, magis ſuperſtitione excogitatum, quàm uerita te cognitum eſſe, quòd ſit Deus, & putant cultum Dei magis ad morem, quàm ad rem pertinere, adeoq̃ à ſapientibus fictum eſſe, ut uulgus hac religione commodius in officio contineretur. Diligenter igitur conſiderandum eſt, unde diſcamus et certo cognoſcamus, quod uere ſit Deus. Quod ut paulo copioſius explicemus, obſerua mihi, Duplicem eſſe librum, ex quo cognoſcimus eſſe Deum. Alter

Liber duplex, ex quo diſcimus eſſe Deum.

uoca-

uocatur liber NATVRÆ, Alter, liber SCRIPTVRÆ. Ex his duobus libris, uere esse Deum perspicue cognoscimus.

Primus igitur liber, qui uocatur Naturæ, est Cœlum, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt uisibilia. Ex his naturaliter cognoscitur, quòd sit Deus. Nam cum uidemus magnitudinem, pulchritudinem, certitudinem, temperationem rerum huius mundi, mirabilem uicissitudinem motuum ac temporum, manifeste significatur nobis, quòd sit Mens diuina, quæ hæc omnia gubernet. Vnde & Paulus ad Romanos scribens: Quæ sunt, inquit, inuisibilia Dei, cognoscuntur ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur. Et Act. 14. Deus non expertem seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo nobis dans pluuias, & tempora fructifera. Et Iob cap. 12. Interroga iumenta, & docebunt te, & uolatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit? Deinde, cum uidemus homicidas, & alios sceleratos, magnis terroribus conscientiæ agitari, etiamsi fuerint Monarchæ, & nullum ultorem in terra metuant: adhæc sæpenumero mirabiliter prodi & ad pœnam rapi, etiamsi Magistratus cessauerit, perspicuum fit, quòd sit Deus, odio habens iniquitatem. Sunt & alia multa indicia diuinitatis in Natura, quæ longum esset enumera-

Liber naturæ quid de Deo doceat

Rom. 1.

re,& extant in alijs ſcriptis copioſe. Atq; hæc quidem cognitio Dei, quæ ex rerum natura colligitur, fuiſſet in homine illuſtris & perfecta, ſi natura noſtra non eſſet peccato uiciata & corrupta. Nunc autem poſtquam homo amiſit Spiritum ſanctum propter peccatum,& factus eſt obnoxius ſpiritui Satanæ, mens eius à Satana ſic excæcatur, ut etiamſi retinuerit aliquam cognitionem de Deo, et poßit de ea ex opificio naturæ aliquo modo admoneri, tamen non retinet hanc cognitionem firmam præſertim in tentatione. Nam cum homines uident impios eſſe felices,& pios infelices, cogitant, nullum eſſe Deum. Si enim eſſet quiſpiam Deus, fieri non poſſet, ut tantam rerum iniquitatem in humanis rebus toleraret.

De ſacræ Scripturæ autoritate.

Neceſſarius igitur nobis eſt ſecundus Liber, uidelicet liber Scripturæ, ut ex eo, certo diſcamus et cognoſcamus, quòd uere ſit Deus. Priuſquam autem progrediamur ad recitanda teſtimonia ex Scriptura, de Deo, cognoſcenda erit autoritas ſcripturæ. Sacra enim Scriptura, (de hac enim & non de alia nunc loquimur) conſtat duabus partibus. Vna pars ſunt ſcripta Prophetica, quæ uocamus, Vetus Teſtamentum. Altera pars ſunt ſcripta Apoſtolica, quæ uocamus, Nouum Teſtamentum. Hæc Scripta habent certißima teſtimonia ueritatis. Nullum enim extat ſcriptum in toto orbe terrarum uetuſtius & antiquius ſcriptis Propheticis, ac præ-

præsertim libris Mosi, qui est Prophetarum princeps. Testimonium autem, quo antiquius est, eo diuinius habetur. Et antiquitas (inquit quidam ex sapientibus huius seculi) quo propius aberat ab ortu & diuina progenie, eo melius ea, quæ erant uera, cernebat. Percurramus ergo Patriarchas à Mose usq; ad Adamum, ut perspicue uideamus Mosen potuisse ea, quæ à condito mundo gesta sunt, & quæ literis suis mandauit, à parentibus et auis suis cognoscere. Pater enim Mosi fuit Amram, Hic Amram uidit et audiuit auum suum Leui, et proauum Iacob, Iacob autem uidit & audiuit auum suum Abraham. Abraham uidit & audiuit patriarcham Nohe, quia uixit cum eo quinquaginta octo annis, Nohe autem uidit & audiuit Enos, cuius auus fuit Adam. Itaq; Moses facile potuit ex commemoratione Maiorum suorum cognoscere, quale fuerit initium mundi, & quis progressus, quæ incrementa mundi, denique omnia ea, quæ scripta sunt in libro Geneseos. Cum igitur scripta Mosi habeant testimonium antiquitatis, ferendum non est, ut hominum nuper natorum leuitate ac temeritate in dubium uocentur. Deinde habent & hæc Scripta testimonium publicæ autoritatis, ab uniuerso mundo, qui quidem hoc est tempore, ab omnibus uidelicet gentibus, quæ nunc sunt in orbe terrarum, Iudæis, Turcis, & Christianis. Omnes enim habent Mosen pro Propheta, & sentiunt scri-

Cicero in Tusc. q.

1. Prophetarum scriptorum uetustas.

2. Prophetarum scriptorum autoritas in uniuerso mundo.

ſcripta eius eſſe diuina. Alij quidem aliter interpretantur ſcripta Moſi, attamen omnes agnoſcunt ſcripta ipſa pro diuinis oraculis. Et contradixerunt quondam his ſcriptis Ethnici, ſed tanta uanitate, ut res ipſa eam manifeſte coarguerit. Perierũt enim Ethnici una cum ſuis Dijs, & mendacijs. Quare qui hæc ſcripta abijcit & damnat, is contradicit publico omnium Gentium teſtimonio, quod certe non eſt ſapere, ſed inſanire, ac plane furere.

3. Propheticorum ſcriptorum certitudo & ueritas.

Præterea, Scripta prophetica confirmata ſunt non tantum certitudine euentus earum rerum, quas Moſes & Prophetæ adnunciarunt, ſed etiam teſtimonio Chriſti et Apoſtolorum, qui cum ediderint magna et multa miracula, atq; adeo mortuos quoq; excitauerint, ac uſi ſint ſcriptis Propheticis, & confirmauerint conciones ſuas autoritate ſcriptorum Propheticorum, perſpicuum eſt, his ſcriptis nihil eſſe nec certius nec uerius. Vnde & Petrus ait: Omnis prophetica Scriptura, non eſt priuatæ interpretationis. Non enim uoluntate hominis allata eſt olim Prophecia, ſed à Spiritu ſancto impulſi, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Paulus, Omnis, inquit, ſcriptura diuinitus inſpirata, et utilis ad doctrinam &c. De certitudine igitur & fide propheticorum Scriptorum nullum plane dubium nobis relinquitur.

2. Petri 1.

Porro ſicut Prophetica, ita & Apoſtolica ſcripta

pta tradita nobis sunt in manus, à maioribus nostris, quos multis ac certis argumentis cognoscimus ea haudquaquam finxisse, imo ne quidem fingere potuisse, Sed & ipsos accepisse ea à suis maioribus, donec perueniatur ad proximos Apostolicis temporibus, qui certo cognouerũt hæc esse ab Apostolis scripta & tradita, qui et uiderunt miracula ab Apostolis edita, & confirmarunt testimonium suum, suo ipsorum sanguine. Maluerũt enim mortem ab impijs Gentibus & Iudæis perferre, q̃ quæ audiuerunt, uiderunt, et reipsa compererunt, abnegare. An iustum sit, inquit Petrus, in cõspectu Dei, uos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possamus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Et Iohannes: Quod audiuimus, inquit, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Sermone uitæ, & uita manifestata est, et uidimus, etiam testamur: et adnunciamus &c. Manifestum igitur est, quòd scripta Prophetica & Apostolica, non sint habenda pro prophanis & incertis scriptis, sed pro cœlestibus ac diuinis oraculis. Apostolicorum scriptorum testimonio. Act. 4. 1. Iohan. 1.

Quod cum ita se habet, uidendum nunc est, quid hæc sacra scripta de Deo testificentur. Diximus enim supra, quòd etsi testimonium libri Naturæ de Deo per se satis est illustre, tamen Satan dominetur in hominem potentius, quàm ut sinat eum hoc testimonio firmiter et constanter uti. Necessa-

rium igitur erit testimonium libri sacræ Scripturæ, quod cum sit oraculum Spiritus sancti, fieri nõ potest, quin Satanam una cum omnibus suis sophistis refutet, si ei ex fide obijciatur.

Liber scripturæ quid de Deo doceat.

Nihil ergo manifestius, nihil magis perspicuum est, quàm quod sacra Scriptura tradit, esse Deum, & docet, quòd hic Deus patefecerit sese humano generi uarijs modis. Non recensebimus nunc priuatas reuelationes, & singularia miracula, quibus Deus patefactus est, sed tantum publica & generalia. Initio enim Scriptura docet, quòd Deus patefecerit sese CREATIONE. Dicit enim, In principio CREAVIT DEVS cœlum & terram. Et dixit Deus, Fiat, & facta sunt. Deinde docet, quòd Deus sese patefecerit LIBERATIONE ISRAELITARVM ex Ægypto. Sic enim testatur dixisse Deum, Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo seruitutis. De qua re uide Exodum Mosi. Postea docet, quòd Deus patefecerit sese CONSERVATIONE ISRAELITARVM in terra sua Canaan contra omnium finitimarum gentium furorem. In libris enim Iudicum & Regum manifesta extant testimonia, quòd Deus liberauerit populum suum de manibus hostium, & conseruauerit Rempub. eorum mirabiliter. Deinde docet, q. Deus patefecerit sese MISSIONE unigeniti Filij sui IESV CHRISTI, & resurrectione

I. Quibus modis Deus se patefecerit humano generi.

II.

III.

IIII.

ctione eius à mortuis, ac diuulgatione Euangelij inter Gentes, & conseruatione Ecclesiæ in medio inimicorum suorum. Hæc sunt manifesta testimonia sacræ Scripturæ, quòd uere sit Deus. Quare qui contrarium sentit, is damnat non solum naturale hominis iudicium, uerumetiam omnia Prophetica & Apostolica scripta, tot ac tantis testimonijs confirmata. Nec habendus est pro homine sano, sed furioso & in impietate suffocato, qui euersus sit, ut Paulus loquitur, & peccet per se damnatus. Atq; hactenus de primo, quod his uerbis, CREDO IN DEVM, docemur, uidelicet, firma fide tenendum esse, quòd uere sit Deus. Ad Tit. 3.

Secundo, Cum docemur Credere in Deum, docemur credere & confidere, q; Deus sit tam bonas, clemens et misericors, ut si bona fecerimus, & uocationem eius sectati fuerimus, habeat curã salutis nostræ, collaturus sit in nos multa et magna beneficia, tam corporalia quàm spiritualia, tam externa quàm æterna, & seruaturus sit nos in omnibus periculis, et in morte quoq; ipsa ad perpetuam felicitatem. Nec nobis tantum, si piam uitam duxerimus, sed etiam posteris nostris sit benefacturus. Cognoscit & tale quiddam de Deo humana ratio naturaliter. Nam ob hanc præcipue causam Gentes uocauerunt Deum, ὁ ἀγαθὸν, Agathon, quod significat bonum, Vnde et uocabulum Dei germanicum, Goth, deductum & decurtatum II. pars, q; Deus sit omnium bonorum remunerator. ἀγαθὸν. Goth, idem Guth.

tum eſt, quaſi dicas, Guth, quod & ipſum è uoce Agathon decurtatum eſt. Sic autem uocauerunt Deum, quòd ſit omnis boni autor. Sed quia humana ratio ſinit ſibi hanc cognitionem de Deo magnitudine tentationum per Satanam excuti, idcirco neceſſe eſt, ut teſtimonijs Spiritus ſancti muniamur. Quare Spiritus ſanctus teſtificatur in ſacra Scriptura de Deo, quòd benefaciat bonis & rectis corde, & liberet eos ab omnibus malis.

Clementiæ & bonitatis Dei teſtimonia.

Exod. 20. dicitur: Ego ſum Deus faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea.

Deut. 28. Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias & cuſtodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ uerſantur in terra. Venientq; ſuper te uniuerſæ benedictiones iſtæ et apprehendent te, ſi tamen præcepta eius audieris.

Et Pſal. 33. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Ac mox: Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.

Pſal. 36. Salus iuſtorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

Plena eſt Scriptura talibus ſententijs. Et idem de Deo confirmant etiam Scripturæ exempla.

Abra-

Abraham fuit uir iustus, Deus igitur benefecit tã Clementiæ
ipsi, quàm posteris eius, quibus & terram Canaan & bonita-
dedit. Ioseph fuit uir iustus, Quare Deus seruauit tis diumæ
eum in periculis, et fecit eum principem Ægypti. exempla.
Dauid fuit uir iustus in sua uocatione, cum pasce-
ret oues patris sui, et cum seruiret regi Sauli, De-
us igitur benefecit ei, & creauit eum regem Israe
lis. Sed quæ et qualis sit hominum iustitia alias ex
plicabitur. Nam si de perfecta et absoluta iustitia
dicendum est, solus filius Dei Iesus Christus, longe
omnium iustissimus est, nec est in eo ullum uitium
aut peccatum, Quare Deus in tantum dilexit eum
& benefecit ei, ut non solum ipsum liberauerit ex
morte, et constituerit eum super omnia opera ma
nuum suarum, sed etiam uult benefacere & serua
re omnes qui credunt in ipsum. Vides tam senten-
tijs quàm exemplis sacræ Scripturæ comprobari,
q, Deus sit clemens & misericors his, qui sunt iu-
sti, & ducunt honestam ac piam uitam. Cum igi-
tur talis sit Deus, recte docemur credere in eum,
hoc est, sic, ut dictum est, de ipso uere & ex animo
sentire, omnem nostram fiduciam in ipso colloca-
re, & omnia bona ab ipso expectare.

Tertio, Cum docemur credere in Deum, doce- III. pars, q,
mur credere de Deo, quòd sit tam iustus & seue- Deus sit o-
rus, ut odio habeat omnem iniquitatem, & puniat or et seue-
eam non solum in autore, sed etiam in posteris ac ris. uindex
sectatoribus eius, ideoq; iubemur hoc ipso, Deum peccati.

uere & ſerio timere, ac reuereri, ne peccemus, & inique faciamus.

Seueritatis diuinæ teſtimonia.

Eſt & hoc de Deo humanæ rationi aliquo modo cognitum, ſed quia hæc cognitio infirma eſt, & propter peccatum obſcurata, ideo adiuuanda & illuſtranda eſt teſtimonijs ſacræ Scripturæ. In Exodo cap. 20. dicit Dominus, Viſito iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione eorum, qui oderunt me.

Pſalm. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es. Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti omnes qui loquuntur mendacium.

Eſai. 1. Dominus conteret ſceleſtos & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum, conſummentur.

Seueritatis diuinæ exempla.

Hoc idem teſtantur & exempla. Adam peccauit. Ac uidetur quidem peccatum eius admodum puerile, Eſus uidelicet pomi. Sed pœna quæ ſecuta eſt, declarat ſummam Dei ſeueritatem erga peccatum. Deus enim punit hoc peccatum non ſolum in Adamo ipſo, uerumetiam in omni poſteritate eius. Homines poſt conditum mundum, cum eſſent multiplicati, peccauerunt. Oſtendit igitur Deus ſeueritatem ſuam aduerſus peccatum diluuio, quo non ſolum adultos, ſed etiam pueros & infantes deleuit. Sodomitæ peccauerunt, Declarauit ergo Deus iram ſuam aduerſus peccatum incendio, quo

non

non maiores tantum natu, sed & iuniores & infantes perierunt. Sed ira Dei aduersus peccatum maxime omnium conspicua est in passione et morte filij Dei Domini nostri Iesu Christi. Nam cum filius Dei suscepisset peccata hominum expianda, et si ipse innocens erat, tamen non uoluit ei Deus parcere, sed obiecit ipsum probrosissimæ morti, ut manifestum fieret Deum serio & ex animo odisse peccatum. Cum igitur manifestum sit, Deum esse extremum osorem, & seuerissimum uindicem peccati, recte docemur Deum fide nostra talem agnoscere, & timere ac reuereri eum, ne peccatis nostris iram eius excitemus.

Quarto, Cum docemur credere in Deum, iubemur credere de Deo, q. etsi non continuo benefacit bonis, & punit malos, tamen non relinquat bonum irremuneratum, nec malum impunitum, sed executurus sit tandem iudicia sua, et unicuiq; redditurus iuxta opera eius. Cum enim longanimitas magna sit uirtus, & omnes uirtutes sint in Deo perfectissime, Deum longanimem esse, perspicuum est. Quare cum docemur in Deum credere, docemur non solum fiduciam nostram in eo collocare, uerumetiam si distulerit auxilium suum in aduersis, patienter expectare, et in inuocatione eius perseuerare. Nec hoc quidem de Deo ignorat omnino humana ratio. Hinc est, quòd sapientes huius seculi scribant, iram Dei seram quidem esse, sed grauem, & uin-

IIII. pars, q. Deus sit longanimis &c.

Liuius.

Valer. Maximus.

& uindictam Dei lento gradu procedere, sed tarditatem grauitate compensare.

Cum autem & hæc cognitio ualde sit imbecillis in natura hominis, idcirco intuendum potius est in testimonio sacræ Scripturæ. Deut. 32. Et dixi, Vbi nam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum, Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum. Eccle. 8. Quia non profertur cito contra malos sententia, absq; timore ullo perpetrant filij hominum mala. Attamen peccator ex eo q, centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui uerentur faciem eius. Et Rom. 2. An diuicias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatisq; contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei inuitat te ad pœnitentiam? &c.

Lõganimitatis diuinæ testimonia.

Lõganimitatis diuinæ exempla.

Testatur etiam Deus longanimitatem suam multis & uarijs exemplis. Tulit patienter homines ante diluuium multo tempore in peccatis impunes, & cum iniquitas ad summum peruenisset, non tamen statim effudit diluuium, sed dedit eis spacium pœnitentiæ centum annos. Sic multo tempore tulit Israelitas in impietate, ac misit eis Prophetas, qui ipsos ad pœnitentiam uocarent. Mittebat, inquit Scriptura, Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum de nocte consurgens, & quotidie commonens, eo quòd parceret populo & habitaculo suo.

2. Par. ult.

Sic

Sic fert toleranter uniuersum mundum, quam uis homines nunquam non blasphement, perierent, & immania quæuis scelera designent, donec nouissimus dies ueniat. Vnde & Petrus ait: Haud tardat Dominus, qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, Verum paciens est erga nos, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Quare cum Deus sit longanimis, recte docemur longanimitatem eius fide nostra agnoscere, & expectare ab eo, ut seruet nos in uocatione eius ambulantes, puniat autem & perdat eos, qui nos affligunt, etiamsi & nostri liberationem, & horum perditionem in multa tempora reijciat. 2. Pet. 3.

Habes quæ in hoc Apostolici Symboli particula, CREDO in Deum, cognoscenda & credenda de Deo proponuntur, uidelicet, q. sit Deus, q. Deus sit remunerator omnium bonorum, quòd sit punitor omnium malorum, et q. sit longanimis quidem, sed tamen adiuuet tandem sperantes in ipsum, & perdat omnes operantes iniquitatem, ideoq; collocanda sit in Deo omnis fiducia nostra, & ipse colendus ac reuerendus sit, ut in timore & tremore seruiamus ei, & expectemus ab ipso liberationem.

Etsi autem hæc seu cognitio de Deo, seu fides in Deum, recta est, & ad consequendam ueram salutem necessaria, tamen nondum satis est explicata. Nam quæ hactenus commemorauimus de

Deo

Deo, non ſunt humanæ rationi omnino ignota. Nec ulla gens eſt tam fera, tam immanis, tam ab omni religione aliena, quæ talia de Deo credere non uideatur. Et tamen cum Deum cognoſcant, non ut Deum glorificant ſicut Paulus loquitur, nec uere in uerum Deum credunt. Quare adduntur in Symbolo Apoſtolico alij articuli, qui, ut præcipue explicant ueritatem Dei, ita ea nobis de deo tradũt, non quæ ſunt ab humana ratione excogitata aut ei naturaliter inſculpta, Sed quæ ſunt diuinitus patefacta, ut uero Deo uerè cognito, ueram et æternam ſalutem conſequamur. Poſtquam enim dictum eſt, CREDO in Deum, mox ſequitur, Patrem.

Patrem.

Vnus deus, & tres perſonæ diuinitatis

QVid ſibi uelit hoc Patris uocabulum, nõ eſt oſcitanter præteriundum. Sciamus igitur, q̃ unus tantum ſit Deus, ſeu una tantum diuina natura & eſſentia, Sed in hac una natura, ſunt tres diſtinctæ & per ſe ſubſiſtentes proprietates, quas uocamus Perſonas, uidelicet, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Non enim ſentiendũ eſt, q̃ ſint natura multi dij, ſicut uulgus Ethnicorũ ſenſit, qui poſuerunt etiam ſuum inter deos diſcrimen et ordinem, Ac alios quidem uocauerunt deos Maiorum, alios deos Minorum gentium, hoc eſt, alios ſummos, alios mediocres & infimos. Nec exiſtimandum eſt, quód

quòd una tantum ſit perſona in diuinitate, ſicut Iudæi & Turcæ ſentiunt. Sed firma & certa fide tenendum eſt, quòd natura & eſſentia unus tantũ ſit Deus, tres autem diſtinctæ perſonæ. De hac autem re non eſt conſulenda humana ratio, ſed diuina Scriptura, quæ perſpicuè tradit unum tantum eſſe uerum, uiuum, & æternum Deum.

Deut. 4. Scito hodie & cogitato in corde tuo, q̃ Dominus ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, ET NON EST ALIVS. Teſtimonia q̃ ſit unus deus.

Deut. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt.

1. Paralip. 18. Domine, non eſt ſimilis tui, & non eſt alius Deus abſq; te, ex omnibus quos audiuimus auribus noſtris.

Eſaie 45. Nunquid non ego Dominus, & non eſt ultra Deus abſq; me? Deus iuſtus et ſaluans nõ eſt præter me &c.

1. Cor. 8. Scimus quòd nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt alius Deus niſi unus &c.

Eadem teſtimonia extant Deut. 32. Prouer. 7. Oſeæ 13. & in alijs locis.

Quòd autem in hac una diuinitate ſint tres diſtinctæ, per ſe ſubſiſtentes Perſonæ, teſtatur eadem Scriptura in multis locis. Nos nunc paucis contenti erimus. Teſtimonia Trinitatis.

Eſaiæ 48. Non à principio in abſcondito locutus ſum. Ex tempore antequam fierent, ibi eram

eram. Et nunc Dominus Deus misit me, & Spiritus eius. Hæc loquitur Meßias, quem Pater in 2. Psalmo, dicit à se genitum. Ego hodie, inquiens, genui te. Habes igitur personam Filij. Is autem Filius dicit, quòd Dominus Deus et Spiritus eius miserint ipsum. Habes igitur alias duas personas, Patrem, & Spiritum sanctum.

Esaiæ 61. Spiritus Domini super me. Hæc loquitur Meßias, qui est Filius Dei, & secunda persona in diuinitate. Dicit autem, quòd super ipsum sit Spiritus Domini. Hic habes duas alias personas, Spiritum sanctum, & Dominum Patrem.

Non ignoro ea testimonia, quæ de tribus Personis è propheticis Scriptis produci solent, obscura uideri, & quæ facile eludi queant, Sed quia Apostolica scripta, quæ de tribus Personis perspicue concionantur, sunt commentarius Propheticorum scriptorum, idcirco recitabimus quædam testimonia ex illis scriptis, ut per ipsa explicentur et confirmentur ea, quæ de tribus Personis in Propheticis scriptis continentur.

Matth. 3. cũ baptisaretur Christus à Iohanne, manifestabat se Pater uoce, Filius humanitate, & Spiritus sanctus specie columbæ.

Matth. ultimo iubet Christus Apostolos docere & baptisare omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Iohan

Iohan.14. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, Spiritum ueritatis. Hic loquitur Christus Filius Dei, & dicit, quòd Pater missurus sit Spiritum. Habes igitur manifeste tres Personas diuinitatis.

Sunt multa alia id genus testimonia in Nouo Testamento, quæ superuacaneum est nunc hoc loco recitare. Hæc autem eo recitauimus, ut sciamus fidem nostram de uno Deo, & tribus in una diuinitate personis, non esse speculationibus ociosorum hominum excogitatam, sed cœlestibus oraculis reuelatam & nobis traditam. Etsi enim non possumus tanta diuinitatis mysteria humana ratione perscrutari & intelligere, possumus tamen, adiuuante Spiritu sancto, & debemus ea sic credere, quemadmodũ diuinitus reuelata & tradita sunt, donec peruenerimus in futuro seculo ad cœleste Regnum. Tunc enim, quæ nunc ex uerbo Domini recte credimus, manifeste cognoscemus, & intelligemus. Cernimus nunc, inquit Paulus, per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Iohannes: Si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Quæ cognitio & uisio, summa est & perpetua beatitudo. Hæc cum ita se habeant, percurramus nunc singulas Personas diuinitatis, in Symbolo nostro Apostolico.

DE PRIMA PERSONA, QVÆ EST Pater.

Pater quare ita dicatur.

PRima Persona diuinitatis, Pater, sic dicitur, quòd ab æterno, ex sua ipsius substantia & natura genuerit Filium suum unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, In qua generatione nihil corporale cogitandum est. Omnia enim huius generationis sunt spiritualia, cœlestia & diuina.

Quòd Deus habeat Filium.

In Psal. 2. dicit Christus: Dominus dixit ad me, Filius meus es, ego hodie genui te. Cum igitur alius sit gignens, alius genitus, necesse est alium esse Patrem, alium Filium.

Iohan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam ueluti unigeniti à Patre.

Iohan. 3. Pater diligit Filium, & dedit illi omnia in manum.

Ephe. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.

Galat. 4. Postquam uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum &c.

Habés sacram Scripturam prædicare de Deo, q̃ habeat Filium, & quia huic Filio tribuitur diuina natura, sicut postea sequitur, ideo necesse est, q̃ non sit tantum dilectione, seu adoptione Filius, sicut homines dicuntur Filij Dei, sed q̃ sit ab æterno ex substantia Dei genitus. In hoc igitur articulo discerni-

discernitur nostra, hoc est, uera Religio ab omnibus alijs religionibus. Aliæ enim religiones non sentiunt, non credunt de Deo, q̃ sit Pater, qui genuerit Filium ab æterno. Qui autem hoc non credit de Deo, is non habet ueram fidem in Deum, etiam si de Deo multum glorietur. Quare omnes aliæ religiones impiæ sunt, & damnatæ.

Sed sciamus, Deum non tantum ob id dici Patrem, q̃ ex substantia sua genuerit ab æterno Filium, uerumetiam quòd habeat paternum affectum erga omnes pios, & adoptet eos in filios & hæredes suos. Tunc autem Patris uocabulum non conuenit tantum primæ personæ in diuinitate, sed etiam alijs duabus personis, Filio, & Spiritui sancto. Sic enim non est nomen, ut uocant, personale, sed essentiale. Vnde & Christus uocatur Pater futuri seculi apud Esai. cap. 9. Et quia Spiritus sanctus dicitur Paracletus orphanorum, non absurde etiam dici potest Pater orphanorum, q̃ paterno affectu orphanos complectatur.

Paternum autem affectum Dei erga nos, impetrauit nobis Iesus Christus unigenitus & naturalis Filius Dei, qui expiatis peccatis nostris, cum Deo ita nos reconciliauit, ut non solum nobis sit propicius, sed adoptet etiã nos in filios suos, & hæredes cœlestium bonorum, si Iesum Christum fide amplectamur. Cum igitur recitamus Symbolon, et peruenimus ad nomen PATRIS, cogitemus hoc uo-

cabulum non solum de prima Persona dici, uerum etiam ad totam diuinitatem pertinere, ut excitemur ad certam & firmam fiduciam inuocandi Dei, ut propicij Patris, quo seruet nos in omnibus aduersis. Quis ex uobis (inquit Christus) pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris, quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum poscẽtibus se. Et Psal. 102. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se etc. Nam in hunc etiam usum instituit Deus Coniugium, & indidit parentibus animum propicium erga liberos, ut haberemus in nobis ipsis ex eo affectu qualecunq; exemplar affectus Dei Patris erga nos, si fuerimus per Iesum Christum in filios adoptati. Et tamen paternus Dei erga nos affectus, superat omnes humanorum parentum affectus. Nunquid obliuisci potest, (inquit Dominus apud Esaiam cap. 49.) mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Hæc sunt in commemoratione huius uocabuli, Patris, meditanda, ut fides nostra ad ueram et piam inuocationem excitetur.

Omnipotentem.

SIcut Patris uocabulum aliquo modo commune est tribus personis, et tamen principali-

cipaliter tribuitur primæ personæ duabus de causis, Altera est, q̃ ab ea Filius sit ab æterno genitus. Et sic etiam proprie ad primam tãtum Personam pertinet. Altera, quòd habeat paternum & propicium erga pios affectum. Et sic tribuitur primæ Personæ, non quòd ipsi soli conueniat, sed quòd ipsa sit fons et origo paterni affectus in reliquis duabus Personis, ita & Omnipotentis uocabulum commune quidem est Patri, Filio, et Spiritui sancto. Recte enim dicit Symbolon Athanasij: Omnipotẽs Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, adscribitur tamen Patri, q̃ sit fons et origo omnipotentiæ, et transfundat, ut ita dicam, omnipotẽtiam ab æterno, in Filium & Spiritum sanctum. Hæ enim tres personæ sunt unus tantum Deus omnipotens, non tres omnipotentes. Quod cum ita se habet, uideamus nunc testimonia scripturæ de omnipotentia Dei. Gen. 17. Ego Deus omnipotens.

De omnipotentia Dei testimonia.

Esai. 14. Dominus Zebaoth decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis poterit auertere?

Esai. 43. Vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud?

Hiere. 10. Dominus Deus uerus est. Ipse Deus uiuens, & Rex sempiternus. Ab indignatione eius commouebitur terra, et non sustinebunt gentes cõminationem eius. Et mox: Qui facit terram in fortitudine

cabulum non solum de prima Persona dici, uerum etiam ad totam diuinitatem pertinere, ut excitemur ad certam & firmam fiduciam inuocandi Dei, ut propicij Patris, quo seruet nos in ommbus aduersis. Quis ex uobis (inquit Christus) pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filijs uestris, quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum poscẽtibus se. Et Psal. 102. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se etc. Nam in hunc etiam usum instituit Deus Coniugium, & indidit parentibus animum propicium erga liberos, ut haberemus in nobis ipsis ex eo affectu qualecunq; exemplar affectus Dei Patris erga nos, si fuerimus per Iesum Christum in filios adoptati. Et tamen paternus Dei erga nos affectus, superat omnes humanorum parentum affectus. Nunquid obliuisci potest, (inquit Dominus apud Esaiam cap. 49.) mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Hæc sunt in commemoratione huius uocabuli, Patris, meditanda, ut fides nostra ad ueram et piam inuocationem excitetur.

Omnipotentem.

Sicut Patris uocabulum aliquo modo commune est tribus personis, et tamen principali-

cipaliter tribuitur primæ personæ duabus de causis, Altera est, q̃ ab ea Filius sit ab æterno genitus. Et sic etiam proprie ad primam tãtum Personam pertinet. Altera, quòd habeat paternum & propicium erga pios affectum. Et sic tribuitur primæ Personæ, non quòd ipsi soli conueniat, sed quòd ipsa sit fons et origo paterni affectus in reliquis duabus Personis, ita & Omnipotentis uocabulum commune quidem est Patri, Filio, et Spiritui sancto. Recte enim dicit Symbolon Athanasij: Omnipotẽs Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, adscribitur tamen Patri, q̃ sit fons et origo omnipotentiæ, et transfundat, ut ita dicam, omnipotẽtiam ab æterno, in Filium & Spiritum sanctum. Hæ enim tres personæ sunt unus tantum Deus omnipotens, non tres omnipotentes. Quod cum ita se habet, uideamus nunc testimonia scripturæ de omnipotentia Dei. Gen. 17. Ego Deus omnipotens.

De omnipotentia Dei testimonia.

Esai. 14. Dominus Zebaoth decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, & quis poterit auertere?

Esai. 43. Vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud?

Hiere. 10. Dominus Deus uerus est. Ipse Deus uiuens, & Rex sempiternus. Ab indignatione eius commouebitur terra, et non sustinebunt gentes cõminationem eius. Et mox: Qui facit terram in fortitudine

titudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extẽdit cœlos. Ad uocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ. Fulgura in pluuiam facit, & educit uentum de theſauris ſuis.

Hiere. 32. Ecce tu feciſti cœlum & terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento. Non erit tibi difficile omne uerbum.

Lucæ 1. Non erit impoßibile apud Deum omne uerbum.

Matth. 19. Omnia ſunt poßibilia apud Deum.

Quibus rebus omnipotentiam ſuam Deus patefecerit.

Porro autem, Deus non ſolũ teſtificatur omnipotentiam ſuam uerbis ſacræ Scripturæ, ſed etiam proponit eam nobis uiſibilem rebus ipſis, ac operibus ſuis. Primum enim patefecit eam Creatione omnium rerum ex nihilo. De qua Creatione poſtea.

II. Deinde patefacit eam Conſeruatione rerum creatarum. Deus enim non creauit tantum cœlum & terram, ſed etiam conſeruat ea, alioqui ruitura.

III. Præterea Deus declarat ſuam omnipotentiam miraculis, quæ ab ipſo eduntur contra rerum naturam, Exiccatione maris rubri, ut Iſraelitæ ſicco pede tranſirent, cœleſti Manna, Aqua de petra, Excitatione mortuorum, & infinitis alijs miraculis.

IIII. Adhæc declarat Deus etiam hoc ipſo omnipotentiam ſuam, q, ad conficiendas res inſtitutas non indigeat cuiuſquam creaturæ ſeu auxilio, ſeu miniſterio, ſed poteſt omnia ſine ullius creaturæ ope per-

perficere & absoluere. Solet quidem sæpe ac multum creaturis, tanquam organis & instrumentis uti, sed non est ad hæc organa alligatus. Pascit homines pane, Sed potest etiam eos sine pane pascere, quemadmodum testantur exempla Mosi, Eliæ, & Christi. Dat regibus uictoriam per multos milites, Dat etiam uictoriam per paucos, & aliquoties sine militibus. In primo libro Regum cap. 14. dicitur: Non est difficile Domino saluare uel per multos uel per paucos. In Iosua cap. 5. concidunt muri Iericho sonitu buccinarum. In Iudic. cap. 10. hostes conijciuntur in fugam buccinis & lampadibus. In 4. Regum cap. 19. fugatur Sanecherib, & occiduntur multa milia hominum, nullo militis gladio, sed tantum Angeli potentia. Quid pluribus opus? Siue ordinariam rerum creationem, siue miracula intuearis, ubique obuia sunt omnipotentiæ Dei exempla.

Omnipotentiæ diuinæ cognitio qd prosit nobis

Sed priusquam ad alia progrediamur, ostendendum erit, in quem usum omnipotentia Dei nobis cognoscenda proponatur. Sciamus igitur, cognitionem eius nobis necessariam esse, non hoc tantum nomine, ut quod est officij nostri, de Deo recte sentiamus, sed etiam, ut possimus certam & firmam fidem de paterna ipsius uoluntate erga nos, & de promissionibus eius concipere. Deus enim cum adoptet nos in filios propter Christum,

suscipit erga nos paternum animum, & cupit nobis ex toto corde benefacere, sicut pater filio suo. Sed inter patres huius seculi, & Deum Patrem, suum est discrimen. Illi enim, & si uehementer cupiunt beneficia in liberos suos conferre, tamen impotentiores sunt, quàm ut possint uoluntatem suam pro animi sui desiderio explere. Deus autem est omnipotens. Quare quod paterno animo uult, hoc etiam omnipotenti uirtute sua implere potest. Huc accedit, quòd promissiones Dei soleant fere esse contra rerum naturam. Promisit Deus Abrahamo filium ex Sara, Hoc uidebatur naturaliter impossibile esse: Erat enim Abraham centenarius, Sara autem nonagenaria. Promisit Israelitis liberationem ex Ægypto, de manu Regis potentissimi. Hoc propter summam Ægyptiorum potentiam uidebatur magis ridiculo somnio, quàm oraculo diuino simile. Promisit Filium suum nasciturum ex Virgine. Promisit nobis Resurrectionem à mortuis, & multa alia, quæ uidentur ex ... metro cum rerum natura, ac naturali rerum cursu pugnare. Necessaria igitur est cognitio diuinæ Omnipotentiæ, ut sciamus, quòd quæ Deus uult & promittit, ea etiam præstare & implere possit.

Omnipotentis Patris et terrenorũ patrum collatio.

Promissiones Dei cõtra cursum rerum naturalem.

Creatorem cœli & terræ.

IN hac particula multa ueniunt considerãda, quorum præcipua recensebimus ordine, sed paucis. Nam copiosa eorum explicatio fiet alias opportunius.

Primo, quod ad uerba Germanica attinet, non nulli dicunt, Schepffer Himels vnd der Erden. Alij dicunt, Schepffer Himelreichs vnd Erdreichs, Sed utrum dixeris, recte dices, nisi quod hæc uocabula (Himelreichs vnd Erdreichs) latius patent, quàm illa (Himel vnd Erden) Nam si dixeris (Himel vnd Erden) necesse habes intelligere, non tantum duo ista corpora, Cœlum & Terram, sed etiam omnem plenitudinem eorum, id quod hæc uocabula, (Himelreich vnd Erdreich) clare exprimunt. Deus enim non tantum creauit ista duo corpora, sed etiam omnia quæ in eis continentur, sicut mox dicemus. Cœlum & terra quid significent.

Secundo, Quod ante diximus de Omnipotente, uidelicet, quòd non tantum Patri, sed & Filio & Spiritui sancto competat, idem etiam de hac particula, Creatorem cœli & terræ, dicendum est. Pater enim est Creator, Filius est Creator, Spiritus sanctus est Creator, Et tamen unus tantum est Creator, quia unus tantum est Deus. In Genesi cap. 1. de Patre dicitur, Dixit Deus, Fiat Lux, & facta est Lux. Iohan. 1. de Filio dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. In Psalmo 32. de Patre, Filio, & Spiritu sancto simul dicitur: Verbo Domi- Creatio an soli Patri asscribatur.

ni cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uir-tus eorum. Adscribitur autem hoc Patri in Symbolo, propterea, quòd Pater sit diuinitatis, à qua omnia creata sunt, fons & origo.

De mundi origine.

Tertio, Variæ fuerunt opiniones Gentium de mundo, de cœlo & terra. Alij dixerunt, Mundum fuisse ab æterno. Alij dixerunt, eum factum ex Chao, alij, exortum esse à se ipso. Est et de tempore inceptionis controuersia. Alij dixerunt, mundum constitisse plusquam quadringentis septuaginta millibus annorum, alij numerant his quidem pauciores, attamen multos millenarios. Sed hæc Gentium deliria uitanda & reijcienda sunt. Id autem nobis agnoscendum & firma fide tenendum est, q̃ nobis Spiritus sanctus in sacra Scriptura, quæ est ueritas ipsissima, & cœlestibus miraculis confirmata, tradit.

Cic. lib. 2. de Diuina.

Gen. 1. In principio creauit Deus cœlũ et terrã

Psal. 123. Adiutorium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Psal. 145. Spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram.

Creationis monumentum.

Sed Scriptura plena est horum testimoniorum. Et in monumẽtum Creationis, instituit Deus apud Patriarchas Sabbatum, quo homines admonerentur, mundum non extitisse ab æterno, sed initio creatum esse à Deo, sex diebus. Sic enim in Sabbati instauratiõe Exo. 20. dicitur: Sex diebus fecit Deus cœlum

cœlum & terram & mare & omnia, quæ in eis sunt. Et requieuit indie septimo, &c.

Quarto, Per cœlum & terram non tantum corporalia et uisibilia intelligenda sunt, sed etiam omnia, quæ in cœlo & in terra. siue uisibilia, siue inuisibilia continentur, In cœlo sunt stellæ uisibiles. Sed & nomine cœli intelligamus ignem et aerem. Intelligendi quoq; sunt spiritus seu angeli inuisibiles. Nomine autem Terræ intelligitur & Aqua, & quæcunque in his continentur, aut ex his componuntur. Coloss. 1. Per illum creata sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt &c. Cœlum. Terra.

Quinto, Deus creauit cœlum & terram, non ex aliqua præexistente materia, sed ex nihilo, uidelicet, cum diceret & iuberet res esse, quæ ante non erant. Gen. 1. Dixit Deus, Fiat lux, et facta est lux. Et mox: Dixit Deus, Fiat firmamentum &c. Psal. 32. Ipse dixit, et facta sunt, mandauit, & creata sunt. Materialis causa mundi.

Sexto. Non est sentiendum, quòd Deus, postquam creauit mundum, discesserit ab eo, & non habeat amplius curam de ipso, sicut Faber lignarius discedit à domo, quam architectatus est, sed quod quæ creauit, ea etiam conseruet & admi-

administret omnipotentia, sapientia & bonitate sua, alioqui uno omnia momento peritura. Nam & cœlum constat, quòd regulari suo motu semper circumfertur, quòd terra non immergitur aquis, quòd profert fruges, non fit rerum ipsarum uirtute aut potentia, sed potentia et gubernatione Dei, qui sicut initio omnia cõdidit uerbo suo, ita etiam conseruat adhuc omnia uerbo suo. Nam quod initio dixit: Germinet terra herbam uirentem, & facientem semen &c. hoc uerbum adhuc sonat, ut ita dicam, in auribus terræ, & efficit, ut suis à Deo ordinatis temporibus herbæ nascantur. Vnde recte dicit Basilius: Diuinum uerbum esse rerum naturam. Et uocem Dei esse Naturæ effectricem. Nam quòd Deus non deseruerit res creatas, sed eas gubernet, satis perspicua extant testimonia in Scriptura.

In Exacmeron.

Esaiæ 66. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.

Hiere. 23. Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.

Matth. 10. Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre uestro. Vestri etiam pili capitis numerati sunt.

Actorum 17. In ipso sumus, uiuimus, & mouemur.

Septimo, Cum Deus omnia condiderit bona, Vidit

dit enim Deus (inquit Scriptura) cuncta quæ fecerat, & erant ualde bona. Quæri solet, Vnde ueniant mala? Manichæi posuerunt duo æterna rerum principia, Vnum, bonorum, Alterum, malorum. Sed hæc sunt deliria humanæ sapientiæ. Vnum enim tãtum est æternum rerum principium, unus tantum est uerus & æternus Deus, creator omnium, uisibilium & inuisibilium. Cum autem dicendum est de malis, & de origine eorum, sciamus duplicia esse malorum genera. Alterum uocant Malum pœnæ, Cuius generis sunt ea, quæ hominibus uel propter peccata, uel propter alias causas diuinitus infliguntur, ut sunt, Pestis, grando, incendium, morbus, rerum penuria, fames, bellum, malæ bestiæ, ignominia, contemptus, mors. Hæc etsi uidentur nobis, pro carnali iudicio, mala, tamen in suo genere, et quatenus sunt organa Dei ad exequendam uoluntatem eius, bona sunt, & utilia. Primum enim utilia sunt erga impios et sceleratos, q. Deus infligat eis ista, ut excitentur ad pœnitentiam, aut ut scelera eorum puniantur. Vnde & Mala pœne uocantur, ideoq; bona sunt, q. sint scelerum pœna, quæ bona est. Deinde sunt & utilia ac bona erga pios & iustos, quòd exerceant fidem eorum, et contineãt ipsos in officio obedientiæ. Hoc genus mali à Deo creari, & immitti non est apud homines pia doctrina eruditos dubium. Esaiæ 45. Ego Dominus & non est alter, formans

De malorũ origine.

Malum pœnæ.

lucem

lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Hiere. Thre. 3. Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino nõ iubente? Ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala?

Malum culpæ.

Alterum genus mali, uocant Malum culpæ, quod usitate dicitur peccatum. De hoc constanter sentiendum est, q; Deus non sit eius uel autor uel approbator. Psal. 5. Non Deus uolens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Nam, quòd Deus non uelit nec approbet peccatum, sed extremo odio prosequatur, patefecit primum præceptis. Prohibet enim peccatum seuerissime, quemadmodum Decalogus testatur. Deinde, Supplicijs, quæ diuinitus uel per Magistratum, uel per alia organa scelera tis inferri solent. Postremo significauit se punitu rum peccatum æterna pœna & igni inferni. Quare si esset autor peccati, & faueret ei, certe nec prohiberet ipsum tanta autoritate, nec puniret tanta seueritate.

Peccati autor.

Quis est ergo peccati autor? Non profecto alius præterquam Diabolus, quem uocamus Satanam. Deus enim creauit non solum hunc uisibilem mundum, sed etiam inuisibiles Angelos, quemadmodum supra diximus. Inter Angelos autem, optime à Deo optimo creatos, defecit Satan, cum satellitibus

litibus ſuis à Deo, & excogitauit peccatum à ſe ipſo. Non igitur Deus, ſed Satan autor eſt peccati, qui cum maluerit uanum ſuum ipſius figmentum, quàm bonam Dei conditionem, ſequi, effecit, ut pec catum intraret in orbem. Vnde Chriſtus Iohan. 8. dicit: Cum diabolus loquitur mendacium, ex pro prijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius. Et 1. Iohan. 3. Qui facit peccatū, ex diabolo eſt, quia ab initio diabolus peccat. Quare, cum aut nos pec camus, aut uidemus alium peccare, ſentiamus non Deum, ſed diabolum eſſe peccati autorem, & do minare in homine propter peccatum. Quod certe excitare nos debet, ut quàmprimum reuertamur pœnitentia ad Dominum, ne una cum diabolo in tartarum præcipitemur.

Octauo, cum conſtet mundum non fuiſſe ab æ terno, ſed creatum à Deo, & habuiſſe principium, quæri ſolet, quot ſint anni à condito mundo, uſq; ad tempus natiuitatis Chriſti. Nã tempus poſt na tiuitatem Chriſti, ut uulgo numeratur, non eſt i gnotum. Ac alij quidem, in numerandis annis mũ di, aliam ſequuntur Arithmeticam. Sed ea certiſ ſima eſt, quæ ab initio à Patriarcharum ætate & ſucceßione, è ſacris Literis accipitur, & poſtea à probatißimis Scriptoribus. Quare, ſi annos ab ini tio conditi mundi uſque ad natiuitatem Chriſti, è libro Geneſeos, non quidem iuxta interpreta tionem Septuaginta interpretum, qui in annis Patriar

Annimũd.

Hier. in He brai quæſ.

Patriarcharum pro centum annis, transtulerunt ducentos, sed iuxta ueritatem Hebraicam, & ex alijs tum sacris, tum externis probatioribus libris, supputaueris, inuenies Annos 3960. hoc est, Ter mille, nongentos, & sexaginta. Hæc pij non debent nescire, ut cum Christus ab initio conditi mundi septimo uidelicet die primi anni promissus sit, cognoscant, quid & quomodo quouis tempore per Patriarchas & Prophetas de Christo sit prædicatum, & quomodo omnia Patriarcharum & Prophetarum oracula, in Iesu filio uirginis Mariæ impleta sint, nec alium Meßiam, seu Christum, præter hunc Iesum agnoscant.

Mundi finis seu dies ultimus.

Nono, Si hic mundus incepit, num desinet etiam aliquando? De hac re audiamus sententiam sacræ scripturæ. Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut uestimentum ueterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Matth. 24. dicit Christus, Cœlum & terra præteribunt, Verba autem mea non præteribunt.

2. Pet. 3. Qui nunc sunt cœli ac terra, eiusdem sermone repositi sunt, et seruantur igni, in diem iudicij, et perditionis impiorum hominum. Et mox: Veniet dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli, pro-

procellæ in morem transſibunt, elementa uero æſtuantia ſoluentur, terraq́;, & quæ in ea ſunt opera, exurentur &c. Sed quo tempore uenturus ſit hic dies, et hæc cœlorum mutatio, ac elementorum ſolutio per ignem, etſi alij alias habent coniecturas & opiniones, nobis tamen tenenda ſunt uerba illa Chriſti, quæ ad Apoſtolos dicit: De die illo, ac tempore nemo nouit, ne Angeli quidem qui in cœlo ſunt, nec ipſe Filius, ſed ſolus Pater. Et iterum: Non eſt ueſtrum noſſe tempora & articulos temporum, quos Pater poſuit in ſua poteſtate. Et Paulus 1. Theſſal. 5. De temporibus & articulis temporum, fratres, non eſt opus, ut uobis ſcribam, Ipſi enim plane ſcitis, quòd dies ille Domini, ut fur in nocte ita uenturus ſit. Cum enim dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, ſicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Mar. 13. Act. 1.

Poſtremo, conſiderandum eſt, Quis ſit uſus cognitionis de diuina creatione mundi, & de adminiſtratione eius. Nam, primum, Deus creauit hunc mundum, ut eſſet quaſi templum, in quo prædicaret & patefaceret homini ſuam potentiam, maieſtatem, bonitatem & clementiam. Quæ ſunt, inquit Paulus, inuiſibilia Dei, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipſaq́; æterna eius potentia ac diuinitas &c. Deinde, cum Deus non ſolum creauit hunc mundum, ue- Vſus cognitionis de creatione. Rom. 1.

rumetiam adhuc administrat eum, sciamus, omnia bona ab ipso petenda, & omnia aduersa patienter ferenda esse, quippe quod omnia sint, administrante Deo, adiumento in bonum his, qui diligunt Deum. Hæc meditanda, hæc considerandæ sunt, cum recitamus in Symbolo, Creatorem cœli & terræ.

DE SECVNDA PERSONA in Diuinitate.

Credo in Iesum Christum.

QVæ uidebantur in explicatione Symboli Apostolici de Deo, & de prima persona in diuinitate, quæ persona uocatur PATER, dicenda, hactenus exposuimus. Nunc accedendum est ad secundam Personam. Ostendimus enim unum quidem tantum uerum, uiuum & æternum Deum, Sed in hac una diuina natura tres esse distinctas personas. Quarum secunda uocatur Filius Dei, Iesus Christus. Initio autem uidendum est, quid sibi uelint hæc nomina, IESVS, CHRISTVS.

IESVS.

Hoc nec est Germanicum, nec Latinum, sed Hebræum uocabulum, & significat SALVATOREM, ein Heiland. Fuerunt autem multi, qui sunt hoc nomine uocati. Nam & nomen Iosuæ, qui

qui ſucceſsit Moſi in ducatu Iſraelis, idem eſt uocabulum cum Ieſu. Et Zachari. cap. 3. mentio fit Ieſu Sacerdotis magni. Et eſt Ieſus, filius Syrach, autor libelli, quem uocamus Eccleſiaſticum. Sed ſolus filius uirginis Mariæ, Chriſtus Dominus noſter, nomine Ieſu, hoc eſt, Saluatoris, iuſte & digne uocatur. Alij enim, etſi uocati fuerunt Ieſus, ſeu Saluatores, tamen aut nullam attulerunt populo ſuo ſalutem, aut ſi quam attulerunt, fuit tantum mundana & politica. Nam Ioſua introduxit Iſraelitas in terram Canaan, et diuiſit eā tribubus Iſrael. Quæ fuit quidem ſalus magna, ſed corporalis & externa. Et Ieſus filius Syrach contulit bonas ſententias in unum libellum, Quæ & ipſa eſt ſalus non contemnenda, ſed externi tantum Doctoris, non ueri liberatoris. Chriſtus autem filius Dei, & Mariæ uirginis ſolus uere uocatur Ieſus. Nec impoſitum eſt ei hoc nomen fortuito, ſed diuino conſilio. Lucas dicit ca. 2. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod uocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Et Matth 1. Angelus dicit ad Ioſeph: Pariet Filium, & uocabis nomen eius Ieſum. Et addit etiam huius nominis rationem. Is enim, inquit, SALVVM faciet populum ſuum à peccatis ſuis. Hæc ſola eſt uera & ſufficiens SALVS ad æternam iuſticiam & fœlicitatem, uidelicet, ſi quis ſaluatur à peccatis ſuis. Siue enim quiſpiam conſequitur in morbo, ſanitatem corporalem, ſiue in

Chriſtus ſolus uere eſt Ieſus.

paupertate pecuniam, siue in periculo mortis, uitam corporis, nondum tamen uere saluatur, sed tum demum uere fit saluus, cum saluatur à peccatis suis. Etenim qui saluus fuerit à peccatis suis, huic nec morbus, nec paupertas, nec mors ipsa possunt esse detrimento. Qui autem à peccatis non fuerit saluus, hunc non iuuat nec sanitas, nec diuitiæ, nec uita corporalis, nec quicquam aliud terrenorum bonorum.

Iesus quib. sit Iesus.

Sed exponito nobis, Quibus Iesus sit Iesus, hoc est, Saluator à peccatis ipsorum. Euangelista dicit, Saluum facit populum suum. Non facit saluos alienos, Sed S V V M populum. Alieni sunt, quotquot non credunt in ipsum, quòd solus ipse sit peccatorum nostrorum expiator, siue illi sint Iudæi siue Gentes. Sui autem sunt, siue & ipsi fuerint Iudæi siue Gentes, quotquot agnoscunt eum fide sua, & amplectuntur eum, ut uerum & solum Placatorem diuinæ iræ, ac uictorem mortis & inferni. Quare, qualicunq; externa gente fueris, si credideris Euangelio Christi, efficeris per fidem membrum populi eius, & Iesus sit tibi uere Iesus.

Deinde nec hoc negligendum est, quomodo Iesus saluet, iuxta nominis sui significationem, à peccatis. Non enim saluat hoc modo, quòd respiciat humana merita, et remitat propter ea peccatum. Humana enim merita non possunt placare iram

Dei,

Dei. Nec ſaluat hoc modo, q̃ auferat in homine omnem ſenſum peccati, & faciat eos in hac uita re ipſa puros à peccato. Quia peccatum ſemper inhæret carni, donec uitam in hoc ſeculo duxerimus. Sed ſaluat, primum, quia expiat peccata coram Deo per mortem ſuam, ut Deus placatus humano generi remittat iram ſuam. Deinde, Si quis credit in Ieſum, non imputat ei peccata, ſed condonat ei, et donat credenti ſuam ipſius iuſticiam, ut ea corã tribunali Dei confidat. Poſtremo dat etiam Spiritum ſanctum, qui etſi non omnino euellit peccatũ ex carne in hac uita, tamen mortificat peccatum, et compeſcit affectus eius, ne dominetur in homine Quare nomine Ieſu, admoneamur de uera cœleſti ac perpetua noſtra ſalute, quam habemus in Chriſto Domino noſtro per fidem. Vnde et Petrus recte dicit Act. 4. Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et Paulus Philip. 2. Dedit ei nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium et infernorũ. Sed hæc dicta Petri & Pauli de nomine Ieſu, non ſunt hypocritice aut ſuperſtitioſe intelligẽda. Petrus enim non hoc uult, q̃ literis & ſyllabis huius nominis, Ieſus, inſit aliqua arcana uirtus, quæ tũ ſit efficax, et pericula ac ſatanam ipſum depellat, cum uoce profertur & ingeminatur, Sed q̃ nulla alia res, nec in cœlo angelus, nec in terra homo, nec in ſacris, ſacrificiũ

Ieſus quomodo ſaluet.

nec in operibus, humana iusticia, nec in passionibus, mors cuiusquam, proposita nobis sit, propter quam consequamur coram Deo ueram salutem, præter solum Iesum Christum unigenitum Filium Dei, in quem, quisquis crediderit, saluus erit. Sic etiam, quod Paulus de nomine Iesu dicit, non sic intelligendum est, quòd semper ad mentionem huius nominis externa genua flectenda sint. Etsi enim in externa genuflexione, honesta suis temporibus & locis pædagogia seruanda est, & assuefaciendi sumus ab ineunte ætate, ut hoc nomen summa semper reuerentia excipiamus, tamen Paulus non exigit hoc dicto externam gesticulationem, sed concionatur de spirituali & uera genuflexione, qua omnes creaturæ, siue cœlestes, siue terrenæ, siue infernæ agnoscũt se subiectos Domino nostro Iesu Christo. Quæ subiectio et genuflexio creaturarum, etsi nondum manifesta est oculis corporalibus, et diabolus ac homines impij uidentur Christum magis pedibus suis conculcare, quàm genua coram eo flectere, et ipsum adorare, tamen semper patet oculis cœlestis curiæ, et manifestabitur palam suo tempore, coram uniuerso mundo. Quare, q. omnes creaturæ necesse habent nomini Iesu re ipsa præstare, nos præstemus ei, etiam per fidem, agnoscamus eũ solum Saluatorem nostrum, inuocemus eum in omnibus aduersis nostris, obediamus uocationi eius, ut sit nobis uere Iesus, hoc est, æternus Saluator.

Genuflexio ad nomen Iesu.

CHRI-

CHRISTVS.

Hoc est cognomen Iesu. Non est autem uel Latinum uel Hebræum uel germanicum, sed Grecum uocabulum. Quod enim Hebræis est Meßias, hoc Græcis est Christus, Latinis Vnctus, Germanis, ein Gesalbter. Etsi autem in politeia Mosaica, ungebantur initio sacerdotes tantum, cùm publice consecrarentur. Oleum, inquit unctionis fundes super caput eius, atq; hoc ritu consecrabitur, tamen post quam instituendum esset regnum in Israel, usitatum fuit, ut & Reges olco unctionis consecrarentur. Vnde Reges dicti sunt Meßiæ, seu Christi. Sic Saul dictus est Christus Domini. Sic & Dauid dictus est Christus, hoc est, Vnctus, seu Oleo unctionis consecratus. Sed & Patriarchæ dicti fuerunt Christi, quòd consecrati essent in populum Dei, non quidem externa, sed cœlesti Spiritus sancti unctione. Nolite, inquit Psalmus, tangere Christos meos, hoc est, Patriarchas mihi sanctificatos. Similiter Cyrus rex Persarum, uocatur apud Esaiam, Christus, quòd esset à Deo selectus, ut debellaret Babylonem, & liberaret Iudæos è Babylonica captiuitate. Vides igitur nomen CHRISTI late olim patuisse.

Vnctio sacerdotum.

Exod. 29.

Regum unctio, qui & Meßiæ dicti sunt.

Psal. 104.

Esai. 45.

Sed quemadmodum nomen Iesu nulli hominum uerius competit, quàm Christo filio Dei, ita cognomen Christi nulli Regum, nulli Monarcharum rectius tribuitur, quàm IESV seruatori nostro,

Iesus recte dicitur Christus.

ſtro. Alij enim reges, præſertim in Iſrael, uncti & ſanctificati fuerunt externo oleo, in regnum mundanum & interiturum. Ieſus Chriſtus autem unctus eſt ſpirituali oleo, ad cœleſte et perpetuum regnum. Spiritus Domini, inquit, ſuper me, ideo unxit me, ad prædicandum Euangelium pauperibus miſit me &c. Et cum Ieſus baptiſaretur, & ad ſuſcipiendum gubernaculum Regni ſui conſecraretur, non ſolũ audita eſt uox de cœlo, quæ diceret: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, Hunc audite, uerumetiam deſcendit ſuper eum Spiritus ſanctus ſpecie columbæ. Hæc eſt Vnctio Ieſu, qua ut reportat cognomẽ Chriſti, hoc eſt, Regis, ita & conſecratur ac inueſtitur in poſſeßionem et adminiſtrationẽ æterni ſui regni. Dabit illi Dominus Deus (inquit Angelus) thronum Dauid patris ſui, regnabitq; ſuper domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Tribuitur autem Ieſu cognomen Chriſti, hoc eſt, Regis, et collocatur in regio throno Dauidis, non quòd regnum eius ſit mundanum, quale fuit Dauidis, Sed quòd ſit ſpirituale et cœleſte regnũ, et adminiſtret quoq; hoc regnum, ſpirituali et cœleſti modo. De adminiſtratione regni ſui dicit Ieſus ipſe apud Iohan. ca. 16. Si non abiero, Paracletus nõ ueniet ad uos. Si autem abiero, mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, de iuſticia, et de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iuſti-

Eſai. 61.

Vnctio Ieſu.

Ieſus qualis Chriſtus ſeu rex.

iusticia uero, quia ad Patrem uado, & posthac nõ uidetis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Hic recensentur tres partes officij Regis. Vna est, quòd Rex debeat arguere seu punire peccata. Altera, quòd debeat iuste iudicare, & eum, qui habet iustam causam, defendere. Tertia, quòd debeat hostes propulsare, ut ciues ducant uitam tranquillam. Has officij Regij partes alio modo administrant Reges mundani, & alio modo Iesus Christus. Nam rex mundanus, iudicaturus de peccato, non curat impietatem & incredulitatem cordis, sed tantum externa scelera, quæ uidentur cum publica honestate & tranquillitate pugnare, quæ et tantum externo supplicio punit. Christus autem Rex cœlestis iudicaturus de peccato, respicit maxime omnium in cordis incredulitatem, et pronunciat eum non externa tantum, sed etiã æterna pœna dignum, qui in ipsum non credit. Qui nõ crediderit, inquit, condemnabitur. Deinde Rex mundanus, pronunciaturus de iusticia ciuis et subditi sui, sedet pro ciuili tribunali, et absoluit sententia sua ciuem ab accusatione aduersarij. Quæ absolutio tribuit ciui laudem ciuilis tantum iusticiæ, qua inter suos honestus habetur, non autem tribuit ei laudem illius iusticiæ, qua possit uincere mortem, & consistere coram iudicio Dei. Rex Christus autem pronunciaturus de iusticia populi sui, nõ sedet pro

Regis officij tres partes.

ciuili tribunali, sed uadit ad Patrem, et interpellat pro populo suo, ut omnis qui credit in ipsum, reputetur coram Deo iustus. Hæc est iusticia, qua credentes in Christum, constant in iudicio Dei, & seruantur perpetua salute. Postremo, Rex mundanus propulsaturus hostes populi sui, induit arma corporalia, quibus non potest nisi externos & munda nos hostes superare. Rex Christus autem suscipit pugnam armis spiritualibus cum diabolo, qui est capitalis hostis totius humani generis, quem et ita uincit, ut liget eum præcipitatum in tartarum, catenis noctis, quo nulli eorum, qui in Christum credunt, nocere amplius possit. Vnde ait: Princeps mundi iam iudicatus est. De his tantis rebus commonefacere nos debet cognomẽ Iesu, quod est Christus, ut ex recitatione Symboli Apostolici, aut alias ex mentione huius uocabuli, Christus, uerum fructum reportemus.

Filium eius unicum Dominum nostrum.

De persona Iesu.

DIximus de nomine Iesu, & cognomine eius, quod est Christus. Nunc dicendum est de persona, ac etiam de officio eius. Nam quod ad personam Iesu Christi attinet, non est tantum Deus, nec est tantũ homo, sed est Deus et homo. Vnde recte dicit Symbolon Athanasij: Recta fides est, ut credamus & confiteamur, quia Domi-

minus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt.

Porro, ut nihil eſt magis ſalutare, quàm Ieſum Chriſtum uere cognoſcere, ita nihil maiori cura et ſollicitudine agendum eſt, quàm ut rectam eius cognitionem conſtanter retineamus et tueamur. Nã cum ſolus Chriſtus is ſit, qui conterat Satanæ caput, & liberet humanum genus à tyrannide Satanæ, ſemper iam inde ab initio orbis, Satanæ inſidijs ac furori patuit. Priuſquam enim Chriſtus natus eſt homo, Satan hoc unum egit, ut aut gentem, è qua Chriſtus naſciturus erat, deleret, aut promiſſiones de Chriſto uiles et contemptas redderet: aut efficeret in hominum expectatione, ut Regnum eius tantum pro corporali regno haberetur. Poſtquam autem Chriſtus uenit in mundum, & factus eſt homo, Satan nullum non mouet lapidem, ut Chriſtus mundo ſit inutilis. Ac initio quidem excitauit Pontifices, & ſcribas, ut miniſterio ipſorum tolleret eum prorſus è mundo, & conijceret eum in mortem ac infernum, Sed cum hac non ſuceſſiſſet (Chriſtus enim euaſit mortem & infernum, & exaltatus eſt in ſummam ſublimitatem) aggreſſus eſt alia, & excitauit uarios ac pernicioſos errores de Perſona, et de officio Chriſti. In perſona cauillatus eſt tam diuinitatem quàm humanitatem eius. Ariani enim à Satana excitati, docuerunt, Chriſtum non eſſe uerum ab æterno Deum.

Satanæ inſidiæ & furor erga Chriſtum.

1

2

3

4

5

Deum. Marcionitæ autem et Manichæi dixerunt,
6 Christum non esse uerum hominem. Obscurat etiam officium eius, quod excitat multos, qui sentiũt Christum esse tantum spectatorem humanorum meritorum, & expiasse quidem peccata, sed sic, ut meritis tuorum operum hanc expiationem tibi applices. Itaq; à Simeone uerissime dictum est, Christum positum esse in signum, cui contradicatur. Quare cum Satan toto conatu studeat Christum extremis tenebris inuoluere, ac nobis inutilem reddere, summa opera danda est, ut recta doctrina illustretur, & tam persona quàm officium eius uere cognoscantur.

De diuinitate Christi

Dicemus igitur primum de diuinitate Christi. In Symbolo enim sic recitamus: Credo in Iesum Christum, Filium eius unicum. Hic agnoscimus & confitemur Christum esse Filium Dei unigenitum. Agnoscimus igitur & confitemur eum esse uerum ab æterno Deũ, distinctam quidem personam à Patre & Spiritu sancto, uerum autẽ et æternum Deum. Ac primum, Nõ est dubium, quin sacræ literæ, quæ sunt cœlestis doctrina, uocent Christum, DEVM. Iohan. 1. Deus erat uerbum. Thomas apud Iohan. ca. 20. appellat Christum Dominum suum, et Deum suum. Paul. Ro. 9. Ex quibus, inquit, est Christus, quantũ attinet ad carnem, qui est in omnibus Deus benedictus in secula. Et 1. Ioh. 5. Scimus, quòd filius Dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus

ſcamus illum qui uerus eſt, & ſumus in uero, in filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt uerus Deus, & uita æterna. Et Act. 20. Attendite uobis et cuncto gregi, in quo uos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad regẽdum Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo.

Deinde tribuitur Chriſto, nõ ſolum nomen Dei, ſed etiam uera et æterna eſſentia Dei, ut non ſit talis Deus, quales fiunt homines per adoptionem, ſed ſit uerus ab æterno Deus, omnipotens, rerum omnium creator.

Nam ſcriptura uocat Chriſtum, Vnigenitum filium Dei, Ioan. 1. et 3. Et 1. Ioan. 4. Quo uocabulo diſcernit ipſum manifeſte à filijs adoptiuis. Etſi autem nomen Filij late patet, quia & diſcipuli dicuntur filij præceptoris ſui: & iuniores dicuntur filij maiorum, etiamſi non ſunt inter ſe conſanguinitate coniuncti, tamen ſi de ijs filijs, qui hæreditatem adeunt, ſermo fit, duplices tantum filij ſunt. Alij naturales, alij adoptiui. Scriptura autem uocat Chriſtum, filium Dei Vnigenitum. Homines uero credẽtes in Chriſtum, uocat filios Dei Adoptiuos. Quare perſpicue ſignificat Chriſtum eſſe naturalem Dei filium, natum ex ſubſtantia Patris, ideoq; uerum ab æterno Deum. Sicut enim ex ſubſtantia ueri hominis non naſcitur niſi uerus homo, ita ex ſubſtantia ueri Dei non naſcitur niſi uerus Deus.

Chriſtus filius Dei unigenitus.

Secundo, Deus Pater dedit omnem ſuam gloriam & maieſtatem Filio ſuo. Pater, inquit Ioannes, Ioan. 3.

diligit

Ioan. 17. diligit filium, et omnia dedit illi in manus. Et Chri-
Christo tri- ſtus ipſe ad Patrem dicit: Omnia mea tua ſunt, &
buitur glo- tua mea ſunt. Et iterum: Data eſt mihi omnis pote-
ria diuina. ſtas in cœlo & in terra. Et Paulus: Deus, inquit, ſe-
Ephe. 1. dere fecit Chriſtum ad dexteram ſuam in cœleſti-
bus, ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, &
uirtutem, & dominium, & omne nomen, quod no-
minatur, non ſolum in ſeculo hoc, uerumetiam in
futuro, & omnia ſubiecit ſub pedes illius etc. Deus
autem nō dat nudæ creaturæ, quamuis excellenti,
omnem ſuam gloriam & maieſtatem. Dicit enim
apud Eſaiam, cap. 42. Gloriam meam alteri non
dabo. Cum igitur dederit omnem ſuam gloriam
Chriſto, neceſſario ſequitur, Chriſtum non eſſe ho-
minem tantum, ſed etiam uerum ab æterno Deum.

Chriſtus di- Tertio, Negari non poteſt, quin ubicunq; Pro-
citur Do- phetæ concionantur de Domino Deo Zebaoth, ibi
minus Ze- intelligant uerum & æternum Deum, omnipoten-
baoth. tem rerum omnium creatorem. Apoſtoli autem in-
terpretantur multa eorum Propheticorum loco-
rum, de Domino noſtro Ieſu Chriſto, & aperte ex-
ponũt, quod per Dominum Deum Zebaoth in Pro-
phetis intelligendus ſit Ieſus Chriſtus Seruator no-
ſter. Eſaias ca. 8. dicit: Dominum Zebaoth, ipſum
ſanctificate, & ipſe ſit pauor ueſter, & terror ue-
ſter. Et erit uobis in ſanctificationem. In lapidem
autem offenſionis & petram ſcandali duabus do-
mibus Iſrael &c. Hoc Petrus in priori ſua Epiſto-
la cap.

la cap. 2. clare significat de Iesu Christo intelligendum esse. Hic, inquiens, factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali &c. Similiter & Simeon Luc. 2. Ecce positus est hic in ruinā, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicitur.

Præterea Esa. cap. 6. dicit, se uidisse Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & Seraphim clamasse alterum ad alterum, Sanctus Sanctus Sanctus DOMINVS Deus Zebaoth etc. Hoc Iohannes Apostolus & Euangelista cap: 12. de Christo manifeste interpretatur. Hæc, inquiens, dixit Esaias, quando uidit gloriam eius (uidelicet Christi. Loquitur enim ibi de Christo) & locutus est de eo.

Adhæc Esaias cap. 45. dicit: Conuertimini ad me, et salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus & non est alius. In memetipso iuraui: Egredietur de ore meo iusticiæ uerbum, & nō reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, et iurabit omnis lingua. Paulus autem clare exponit hoc de Iesu Christo, ad Romanos cap. 14. ita scribens: Omnes stabuemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego dicit Dominus, mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Sic & Psal. 44. de uero Deo dicit: Thronus tuus Deus in seculum seculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Et Psal. 101. Tu initio Domine terram

fundasti

fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes &c. Epistola autem ad Hebræ. cap. 1. perspicue docet, q̃ hæc dicta sunt de Christo filio Dei. Quare Prophetæ et Apostoli uno ore confitentur Iesum Christũ filium Dei, esse uerum æternum Dominũ Deum Zebaoth. Quis autem Prophetarum & Apostolorum confessioni fidem non adhiberet? Quis tam impudentis esset impietatis, qui oraculis eorum cõtradiceret? Habent enim cœlestia testimonia, q̃ conciones ipsorum sunt oracula Spiritus sancti. Reliquum igitur est, quòd Iesus Christus filius Dei, non tantum sit Deus, ut nonnulli loquuntur, nuncupatiuus, sed uerus omnipotens & æternus Deus. Hoc idem sibi uult appendix, quæ huic particulæ in Symbolo additur, DOMINVM NOSTRVM. Significat enim Christum sic esse Filiũ Dei, ut sit uerus Deus & Dominus Saluator noster, in quo omnis spes salutis nostræ sit collocanda, & per quem liberemur ab æterna morte, & donemur cœlesti fœlicitate. Vnde pueri assuefaciendi sunt, ut cum interrogantur, quo nomine uocetur Dominus Deus noster, respondeant, quòd uocetur Iesus Christus. Sic enim admonentur de discrimine, quod est inter nostram ueram, et inter Ethnicorum, Iudæorum, Turcarũ & aliorum populorum ficticiam religionem, qui etsi et ipsi profitentur se credere in uerum Deum, tamen quia non credunt Iesum Christum esse uerũ Deum

Christus nõ tantũ nuncupatiuus Deus.

De Christi officio.

Deum, nec petunt ex ipso salutem suam per fidem, uana est religio ipsorum, & necesse habent, nisi conuertantur ad Christum, perpetuo interire.

Porro autem, Etsi Iesus Christus est uerus Deus, non est tamen à seipso, sed est à Deo Patre, ex substantia eius, ab æterno genitus, ideoq; dicitur Filius Dei unigenitus. Hæc autem diuina generatio, non fit humano, sed diuino, ac nobis in hac uita incomprehensibili & ineffabili modo. Epistola ad Hebræos uocat Christum splendorem gloriæ, et expressam imaginem substantiæ Dei. Sicut ergo, cum sol est, continuo etiam est splendor, seu radius solis, ita et cum Deus, qui uerus est Sol, sit ab æterno, et Christus sit splẽdor eius, necessario sequitur, q, Christus sit ab æterno à Deo Patre suo genitus. Sed nulla est uel terrestrium uel cœlestium rerum similitudo, quæ nobis hoc diuinæ generationis mysterium perfecte intelligendum adumbrare possit. Proponitur enim nobis, in hac corporali uita, non humana ratione uel perscrutandum, uel intelligendum, sed obedienti fide credendum, donec in futuro seculo cœlestem hæreditatem consequamur. Tunc enim cognoscemus, quemadmodum cogniti sumus, & uidebimus eum, sicuti est. Agnoscamus igitur nunc fide nostra Iesum Christum, unigenitũ filium Dei, uerum & æternum Deum, de uero & æterno Deo Patre suo natum, ut & nos propter ipsum in filios Dei adoptati, uera tandem diuini-

Christus nõ est à seipso, sed à Deo Patre.

Ebræ. 1. Christus splendor gloriæ Patris.

tatis cognitione, quæ summa erit fœlicitas, in cœlesti regno fruamur. Nam hic est proprius fidei in Iesum Christum naturalem & æternum Filium Dei usus, ut & nos propter Christum adoptemur in filios Dei: & sicut Christus est Deus naturalis, ita nos per ipsum fiamus Dij adoptiui, & capiamus unà cum ipso hæreditatem cœlestis regni. Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in Nomen eius. Et Paulus: Non accepistis spiritum seruitutis ad timorem, sed spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater.

Qui conceptus est de Spiritu sancto.

De Christi humanitate.

HActenus de diuinitate Iesu Christi, nunc etiam de humanitate eius dicamus. Primum autem omnium considerandum est, quòd Iesus Christus sicut in cœlo non habet matrem, ita in terra non habet patrem. Deus est sine matre, homo sine patre. Vnde & adumbratus est per Melchisedec, qui in Genesi sine patre & sine matre describitur, quemadmodum Epistola ad Hebræos copiosè docet.

Melchisedec typus Christi, Ebræ. 7.

Deinde, Si Christus non habet patrem hominem in terris, uidendum erit, quomodo ipse sit homo conceptus & natus. Conceptus igitur est, in Maria

Maria uirgine, non ex patre homine, sed de Spiritu sancto. De qua re audienda sunt testimonia scripturæ. Christi conceptio.

Matth. 1. Angelus dicit ad Ioseph: Ne metuas adiungere tibi Mariam uxorem tuam, Quod enim in illa conceptum est, à Spiritu sancto profectum est. Mat. 1

Lucæ 1. Angelus dicit ad Mariam: Ecce concipies in utero & paries Filium. Et mox: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi &c. Testificantur idem etiam Prophetica scripta. Luc. 1

Gene. 22. Benedicentur in Semine tuo omnes Gentes. Hoc Semen est IESVS Christus, quemadmodum Paulus ad Galatas cap. 3. & Petrus Actorum 3. interpretantur. Omne autem humanum semen, ab Adamo proficiscens, obnoxium est maledictioni propter peccatum. Quare, si in semine Abrahæ, quod est Christus, Gentes sunt benedicendæ, necessario sequitur, quòd hoc Abrahæ Semen sit benedictum, & non ex Adamo, sed de Spiritu sancto conceptum.

Esai. 7. Ecce uirgo concipiet, et pariet Filium. Si concipit uirgo, manens uirgo, conceptus diuina uirtute fiat necesse est. Quare Symbolon uere & pie docet, credendum esse in Iesum Christum filium Dei unicum, Dominum nostrum, qui conceptus sit de Spiritu sancto.

Etsi autem non est conceptus de homine uiro, sed de Spiritu sancto, tamen est uerus homo, & habet omnem humanam naturam, præter peccatum. Habet corpus & animam, & cum in hoc mundo ageret adhuc uitam, affectus est, præter peccatum, omnibus humanis corporis & animæ seu imbecillitatibus, seu afflictionibus, seu alijs affectibus. Doluit, tristatus est, lætatus est, timuit, speravit, esuriuit, sitiuit, sudauit & alsit, ac tandem etiam mortuus est.

Christus uerus homo.

Philippen. 2. Is affectus sit in uobis, qui fuit & in Iesu Christo, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed exinaniuit semetipsum, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Phil: 2

Heb. 2. Non assumit Angelos, sed semen Abrahæ. Vnde debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset, & fidelis Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quòd ipsi contigit tentatum esse, potest & his, qui tentantur, succurrere.

Heb: 2

Heb. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum

tum per omnia, iuxta similitudinem, ABSQVE PECCATO.

Christi conceptiõis cognitio quid prosit.

Postremo considerandum est, quòd conceptio Christi sit initium placationis diuinæ iræ erga humanum genus. Nam ante Christi conceptum, quot quot Deus uidit homines in utero materno conceptos, eos uidit conceptos in peccato originali, idcoq; maledictos & abominabiles. Etsi enim Deus fauit multis Patriarchis, Prophetis, & alijs pijs, priusquam Christus conceptus et natus esset, tamẽ non fauit eis propter ipsorum sanctitatem, sed propter hunc Filium suum, sine peccato concipiendũ. Nam quod ad ipsorum & omnium aliorum hominum naturam attinebat, uidit Deus omnes in peccato conceptos & natos.

Gen. 8. Sensus & cogitatio humani cordis, malum sunt ab adolescentia sua.

Psal. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Rom. 5. Per unius delictum propagatũ est malum in omnes homines ad condemnationem &c.

Ephe. 2. Eramus natura, hoc est, conceptione, filij iræ.

Vnde & hoc sequitur, quod Psal. 13. dicit: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirens Deũ. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt &c. Postquam enim Adam peccauit, introijt peccatum in

mundum, in omnes homines, ut quotquot ex Adamo naſcuntur, non ſolum ſint ſubiecti ſupplicio peccati, uerumetiam ſint peccatores ipſi. Nam cũ natura priuati ſint Spiritu ſancto, afferunt ſecum in hunc mundum omnia genera uiciorum, Ignorantiam Dei, dubitationem de Deo, incredulitatem, contemptum Dei, ſecuritatem, contumaciam cordis aduerſus legem Dei. Itaq; quocunq; reſpiciebat Deus, inueniebat homines in peccato conceptos, ideoq; deteſtandos & abominandos. Sed poſt quam inuenit & uidit Ieſum Chriſtum filium ſuum, in utero matris, ſine peccato conceptum, idq; de Spiritu ſancto, in tantum delectatus eſt eo, ut faueat propter ipſum toti humano generi, & remittat peccatum omnibus illis, qui credunt in Chriſtum. Remittitur autem peccatum, non ut non ſit amplius in carne & ſanguine, ſed ut non imputetur. Peccatum enim ſemper manet in carne uſque ad mortem, etiamſi non ſemper proferat externos aut ſenſibiles fructus, ſed non imputatur his, qui credunt in Chriſtum, & ambulant ſecundum ſpiritum. Quare cum tentamur in conſcientia, de peccato originali, & adhuc nobis inhærente, & adhuc Satan uociferatur in corde noſtro, nos eſſe à Deo abiectos, & damnatos, quòd non ſimus toti puri & ſancti, ſicut res ipſa, & conſcientia noſtra teſtantur, tunc reuocandus eſt nobis in memoriam hic articulus fidei de conceptiõe Chriſti, ut cognoſcamus

scamus peccatum, etiamsi inhæreat adhuc carni nostri, tamen non imputari nobis propter Christum, si credimus in ipsum. Vnde & hic Articulus tanti reputatus est à maioribus nostris, ut dicauerint ei singulis annis proprium diem Festum, quem uocant diem Annunciationis Mariæ, non hoc consilio, ut docerent honorem soli Christo debitum, in Mariam transferendum esse. Sed ut Ecclesia suo ordine de hoc Articulo publice admoneretur, & disceret unde petenda essent uera remedia aduersus tentationes de peccato originali. Dies Annũciationis Mariæ. 3

Natus ex Maria uirgine.

4

EST & hic articulus tam memorabilis & obseruabilis iudicatus, ut commendatus sit nobis à maioribus nostris, non solum singulari & publico Festo die, uerumetiam multis ac uarijs ritibus et carminibus, quibus memoria Natiuitatis Christi menti puerorum infigeretur. Omnino enim ad salutem nostram necessarium est, ut certo cognoscamus, Christum, qui per Prophetas promissus est, iam natum esse. Nam si Christus nondum esset natus, uanæ & mendaces essent Propheticæ promissiones de Christo, uana item & falsa esset fides nostra. Iacob patriarcha dixit, Christum tunc uenturum in hunc mundum, cum sceptrum à Iuda fuerit ablatum. Daniel numerat septuagin- Christi natiuitatis cognitio necessaria. Gen. 49. Dan. 9.

ta hebdomades annorum, ab exitu uerbi, ut Hieru salem iterum ædificetur, usq; ad Christum ducem.

Aggæi. 2. Aggæus cum dicit, maiorem futuram gloriam secundæ domus, seu templi post reditum è Babylone instaurati, quàm primæ domus, ædificatæ à Salomone, haud obscure significat Christum uenturum stante adhuc secundo templo, et prædicaturum in eo Euangelium suum, ac æditis illic multis et magnis miraculis, sacrificium suum pro peccatis humani generis Deo Patri oblaturum. Præterierunt autem his temporibus plusquam sesqui mille anni, ex quo et externum sceptrum à Iuda est ablatum, & hebdomadæ Danielis ad finem suum excurrerunt, & secundum templum solo æquatum est. Quare si Christus nondum natus esset, quæ esset harum promissionum uanitas? quæ nostra religionis incertitudo? Sed bene habet. Quæ Prophetica scripta de tempore aduentus & Natiuitatis Christi uaticinantur, ea sic impleta sunt, ut nihil inter res in hoc mundo gestas certius extet. Ea etiam in Iesum natum ex Maria, sic conueniunt, ut nullum plane dubiũ relinquatur, quin hic Iesus filius Mariæ, solus sit uerus ille Christus, qui per Prophetas est promissus. Conferamus igitur ea inter se, quantum quidem ad hunc de Natiuitate Christi articulum explicandum in præsentia opportunum uidebitur, ut certo sciamus, nullum alium, præter hunc Iesum filium Mariæ, pro Messia seu Christo, agnoscendum & adorandum esse. De

De genere seu familia Christi.

Prophetica scripta testificantur Christum uenturum ex genere Abrahæ & familia Dauidis, Gene. 22. dicit Dominus de Christo ad Abrahamum, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Et 2. Reg. 7. dicit Dominus ad Dauidem de Christo: Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo Regnum eius. Ipse ædificabit domum Nomini meo, & stabiliam thronum Regni eius, usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Hanc promißionem de Christo, è semine Dauidis uenturo, Prophetæ copiose explicant, quod longum esset nunc pluribus commemorare.

Manifestum autem est, quòd Iesus filius Mariæ sit ex genere Abrahæ & Dauidis. Matthæus Euangelista sic incipit librum suum: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Et Angelus dicit ad Mariam Lucæ 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris ipsius etc. Et Paulus 2. Timoth. 2. Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine Dauid secundum Euangelium meum.

De tempore aduentus Christi.

Oſtendimus ſupra, Iacobum patriarcham, Danielem & Aggæum definiſſe certa tempora, quibus Chriſtus in hunc mundum aduenturus eſſet, uidelicet, cum ſceptrum ablatum eſſet à Iuda, & reliquæ adhuc eſſent ſeptuaginta hebdomadæ annorum à promulgatione edicti de inſtauranda urbe Hieruſalem, poſt reditum è Babylone, & cum adhuc ſecundum templum ſtaret. Non eſt autem obſcurum, quòd quo tempore Ieſus filius Mariæ natus eſt, regnauerit in Iudæa Herodes, qui non erat de familia Dauidis, ſed alienigena. Itaque ſceptrum fuit eo tempore à Iuda ablatum. Similiter Hebdomadæ Danielis properabant iam ad finem ſuum, & ſecundum Templum nondum erat dirutum.

De perſona matris Chriſti.

Prophetica ſcripta docent Chriſtum naſcituxum ex matre uirgine, quæ non ex uiro, ſed de Spiritu ſancto Chriſtum concipiat. Geneſ. 3. Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Quod hic dicitur, Semen mulieris, idem eſt quod filius uirginis. Sic enim interpretatus eſt poſtea Eſaias cap. 7. cum ait, Ecce uirgo concipiet & pariet filium. Oſtendimus autem antea, de conceptione Ieſu, quòd Maria conceperit Ieſum uirgo, non ex ſemine uiri, ſed de Spiritu ſancto.

De Ioa-

De loco natiuitatis Christi.

Locum natiuitatis Christi definit Propheta Micha cap. 5. Tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millenarijs Iuda, Ex te egredietur mihi, qui sit Dominator in Israel &c.

Manifestum autem est, quòd Iesus natus sit ex Maria uirgine in Bethlehem.

Denique, Omnia ea, quæ Prophetæ, non solum de natiuitate, uerumetiam de humiliatione Christi, de prædicatione Christi, de miraculis à Christo edendis, de passione & morte eius, de glorificatione & Regno eius uaticinati sunt, conueniunt tantum in hunc Iesum filium Mariæ, quemadmodum articuli, qui in symbolo sequuntur, exponunt. Quare non est alius, præter hunc Iesum, natum ex Maria uirgine, pro Messia seu Christo seruatore nostro agnoscendus, & colendus.

Nota autem est historia natiuitatis Iesu Christi ex Matth. cap. 2. & Luc. cap. 2. Cum enim Cæsare Octauiano Augusto, describeretur uniuersus orbis Syriacus, profectus est Ioseph unà cum Maria desponsa sibi uxore, è Galilæa, ad Bethlehem, ut ibi nomen suum profiteretur. Etsi enim commorabatur in Nazareth Galilææ, tamen natus erat è tribu & familia Dauidis, cuius familiæ metropolis erat Bethlehem in Iudæa. Postquã igitur eo uenerat Maria, quæ ante cõceperat è Spiritu sancto, peperit

peperit Filium ſuum primogenitum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et quia Chriſtus receperat ſe, non dominaturum in hoc ſeculo, mundano modo, ſed humiliaturum ſe iuxta uoluntatem Patris ſui, uſq; ad mortem crucis, idcirco noluit etiam natiuitatem ſuam coram mundo illuſtrem eſſe. In tanta enim paupertate natus eſt, ut parentibus eius non fuerit locus in diuerſorio, ſed poſtquam peperit eum mater eius, neceſſe habuerit eum faſcijs inuoluere, & in præſepe reclinare. Quem uero homines in terra aut ignorant, aut contemnunt, eum Angelus de cœlo Paſtoribus magna maieſtate commendat. Ecce, inquiens, adnuncio uobis gaudium magnum, quod futurum eſt toti populo, quia natus eſt uobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus in ciuitate Dauid.

Cum igitur natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti commendata nobis ſit tam Prophetico, quàm Angelico præconio, nec unquam admirabilior fuerit natiuitas in terris, quippe quod alias nunquam pepercerit uirgo filium, adeoq; talem filium, conſiderandum erit, quam utilitatem afferat hæc natiuitas humano generi.

Natiuitatis Chriſti utilitas.

Ac primum, hac natiuitate effectum eſt, ut Deus ipſe uiſibiliter in terris conuerſatus ſit. Nam ante natiuitatem Chriſti, Deus nunquam fuit inter homines uiſibilis. Etſi enim reuelauit aliquoties Patriarchis præſentiam ſuam aliquot externis

nis signis, tamen ea signa non fuerunt eadem persona cum Deo. Et deliria Ethnicorum, qui existimauerunt Deos inter homines uisibiliter ambulare, manifestiora sunt, quàm quæ hoc loco refutari debeant: quanquam uerisimile est, eos tale quid è Patriarcharum narrationibus accepisse, qui dixerunt, futurum, ut Deus inter homines uisibilis appareat. Postquam autem Iesus Christus, uerus & æternus filius Dei, natus est homo ex Maria uirgine, tunc uenit uerus Deus ad homines uisibilis, & cum uides infantem hunc in præsepi iacentem, uides uerum & æternũ Dominum Deum nostrum. Philippe, inquit, qui uidet me, uidet & Patrem meum. Non credis, q̃ ego in Patre sum, & Pater in me? Et Paulus Col. 2. In illo inhabitat omnis pleni tudo deitatis corporaliter. Porro Deus idcirco uenit ad homines, et factus est homo, ut homines uenirent ad Deum, & fierent per ipsum, dij. Homines enim, etsi fuerant initio creati ad imaginem & similitudinem Dei, tamen facti erant per peccatum, mancipia Satanæ. Postquam autem uenit Christus in hunc mundum, & factus est homo, dedit hominibus potestatem, ut fierent filij Dei, ut sicut ipse est naturalis Deus, ita homines fierent per ipsum dij adoptiui. Dedit, inquit Iohannes, eis potestatem filios Dei fieri, nimirũm his, qui credunt in nomen eius. Quare Natiuitas Christi affert nobis hanc utilitatem, ut non solum ipso uiso, uerum &

æternum

æternum Deum uideamus, ſed etiam, ut ſi credi-
mus in eum, fiamus & nos dij cœleſtes, cum antea
eramus tantum homines terreſtres.

Iuſtitiam attulit Chris

Deinde, Chriſtus attulit Natiuitate ſua iuſtici-
am in hanc terram. Ante enim natiuitatem Chriſti
nullus erat in terra homo uere iuſtus. Omnes decli
nauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. In natiuitate au
tem Chriſti, uenit in terram homo uere iuſtus, Ieſus
ipſe Chriſtus, qui peccatum non fecit, nec eſt inuen
tus dolus in ore eius. Venit autem, non ut ipſe tan-
tum ſua Iuſticia frueretur, ſed ut omnes, qui in i-
pſum credunt, reputarentur propter ipſum, coram
Deo iuſti. Quare, cum fit mentio Natiuitatis Chri-
ſti, cogitemus & cognoſcamus, qualis ſit Chriſtus,
uidelicet, uere iuſtus & ſanctus, & credamus in
eum, ut Iuſticia eius nobis imputetur.

Vita æ-

Poſtremo, Chriſtus attulit Natiuitate ſua æter
nam uitã. Erant enim omnes homines propter pec
catũ obnoxij morti, et neceſſe habebant omnes mo
ri. Nunc autem natus eſt homo, uictor mortis. Etſi
enim Chriſtus, quem nunc natum prædicamus, pau
lo poſt mortuus et ſepultus dicetur, tamẽ mors non
potuit eum detinere, nec potuit ei nocere, ſed eua-
ſit & uicit mortem, et impetrauit obedientia ſua à
Deo Patre ſuo, ut omnes qui in ipſum credunt, uin
cant et ipſi mortem, et fruantur fœlicitate æternæ
uitæ. Per mortẽ, inquit Epiſtola ad Ebræ. aboleuit
eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabo-
lum,

lum,& liberos reddidit eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant seruituti. Et apud Iohan. inquit Christus: Ego sum resurrectio et uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Hæc est utilitas Natiuitatis Christi. Et hæc nobis in articulo de natiuitate Christi cogitanda ac meditanda sunt, ut in aduersis & tentationibus confirmemus fidem nostram aduersus iudicium peccati, & horrorem mortis ac inferni.

Passus sub Pontio Pilato.

IN explicando hoc articulo primum omnium considerandũ est, quis fuerit Pontius ille Pilatus, cuius hic fit mentio. Ac nomen quidẽ eius satis notum ac uulgatũ est ex Euangelistis, qui consentientibus etiam aliorũ scriptis, tradunt, hũc Pilatum fuisse uirum Ethnicũ, quem Claud. Tiberius, tertius Romanorum à Iulio Cæsare, & secundus ab Augusto, Imperator, ordinauit in Præsidem Iudææ, ut contineret Iudæos in officio & obedientia Imperij Romani. Itaq; hic Pilatus fuit iudex in causa Pontificum & reliquorum Iudæorum, aduersus Iesum Christum. Etsi autem initio susceptæ huius controuersiæ multa excogitauit, ut Iesum Christum ab accusatione Iudæorum liberaret: Videbat enim eum innocentem, & ex inuidia accusatum

Pilatus q: fuerit.

Euangelistæ

facium Pilati mentionem

Fuit Ethnicus a Tiberio ordinatus in præsidem

Iudex

ſatum, tamen poſtremo maluit innocentem damnare, quàm uulgi fauorem amittere, & ſe periculis exponere, cum non conſideraret, ſe iniqua innocentis condemnatione multo maiora & grauiora pericula adire, quàm ſi æqua & iuſta innocentis pro officio ſuo abſolutione & liberatione obiectus fuiſſet tam uulgi furori, quàm Romani Imperatoris indignationi. Sed ſi cui de Pilato plura cognoſcere libet, conſulat Ioſephum, In Antiqui. libro. 18. cap. 5. 6. & 7. Et in bello Iudaico lib. 2. cap. 8.

Pilati cur fiat mẽtio.

Admirabitur autem quiſpiam, quo conſilio factum ſit, q̃ nomen Pilati poſitum ſit in Symbolo noſtræ religionis, & q̃ uir tam impius, & iudex tam iniquus obtineat in Chriſtianiſmo tam illuſtrem locum, ut nomen eius in eo Symbolo, quod eſt noſtræ fidei compendium, et cuius profeßio exigitur abomnibus tam adultis, quàm pueris, publice et priuatim recitari ſoleat. Sed dubitandum non eſt, quin hoc à maioribus noſtris optimo conſilio inſtitutum ſit et ordinatũ. Primum enim Euangeliſtæ omnes faciunt in deſcribenda paßione Chriſti mentionem huius Pilati. Quare his, qui collegerunt hos articulos fidei noſtræ, uiſum eſt, nomen Pilati in hoc articulo recitandum eſſe, ut mentione Præſidis & iudicis in hac forenſi Iudæorum, cum Chriſto diſceptatione, tota hiſtoria paßionis Chriſti paucißimis comprehenderetur, & commendaretur.

Vnde

Vnde & Paulus ad Timotheum scribens: Iesus Christus, inquit, testatam fecit sub Pontio Pilato bonam professionem &c. Deinde Propheta Daniel dicit cap. 9. quòd Christus occidetur post septem & sexaginta duas hebdomadas, hoc est, post 483. annos ab exitu sermonis. Collocatur ergo in Symbolo Apostolico nomen eius præsidis Romani, sub quo Christus passus & occisus est, ut possimus ab eo tempore annos retro usque ad exitum sermonis apud Danielem computare, & certo cognoscere, quòd is Iesus, sit uerus ille Messias seu Christus, de quo Daniel uaticinatus est. Non enim est ignotum ex historijs, quo tempore, & quo Cæsare Romano Pilatus fuerit præses Iudææ. Nomen igitur Pilati positum est in Symbolo, ad commonefaciendam Ecclesiam de impletione Prophetiarum, quæ de passione & morte Christi extabant, & ad refutanda commenta Iudæorum, qui nugantur Iesum Christum nostrum alijs fuisse temporibus, ut uideantur quandam impietatis suæ excusationem habere. 1. Timot. 6. Dan. 9.

Sed ut excitemur ad considerandam magnitudinem eius utilitatis, quæ humano generi, ex passione Christi contingit, noluit Christus passionem suam temere & ex improuiso suscipere, sed uoluit ut ea longe ante adnunciaretur, & uarijs ac multis figuris adumbraretur. Ab initio enim orbis terræ, postquam Adam peccauit, & peccato suo meritus

Passio Christi ab initio mundi adnũciata & adumbrata multis figuris.

ritus est, una cum omni posteritate sua, æternum exitium, statim ut promissus est Christus, prædicatum etiam est de passione Christi, Nam cum ad serpentem, qui erat organon Satanæ, diceretur de Christo, Ipse conteret caput tuum, mox additur: Et tu insidiaberis calcaneo eius. Hæc est prima cõcio de passione Christi, uidelicet, quòd Satan insidiaturus esset uitæ eius, & cumulaturus eum omni genere afflictionum.

Concio prima de passione Christi.

Deinde, ut passio Christi semper ob oculos uersaretur, instituta fuerunt sacrificia, quæ & postea per Mosen fuerunt in legitimum ordinem reuocata & determinata. Visum enim fuit Spiritui sancto, talibus sacrificijs passionem Christi adumbrare, donec ueniret plenitudo temporis, & Christus passione sua uerum & perfectum sacrificium absolueret. Nam quòd Abel obtulit Deo de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, non erat, nisi concio de futura passione Christi, & publica professio, qua Abel testabatur, se in solo sacrificio promissi Semimis quærere peccatorum suorum remissionem, & ueram iusticiam ac salutem. Idem etiam de aliorum Patriarcharum & piorum sacrificijs sentiendum est. Secutæ sunt postea Prophetica conciones & explicationes, quæ de passione Christi uerbis minime obscuris uaticinantur.

Sacrificia umbra sacrificij ueri.

Conciones propheticæ de passione Christi.

In Psal. 21. dicit Christus: Tribulatio proxima

est,

est, & non est, qui adiuuet. Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me. Et mox: Circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.

Psal. 39. Circundederunt me mala, quorum non est numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ (uidelicet quas expiandas suscepi) & non potui, ut uiderem.

Psal. 68 Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis &c.

Vide totum cap. 53. Esaiæ.

Et Zach. cap. 13. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super Pastorem meũ &c. Quid multis opus? Christus ipse testatur, Prophetas de passione sua palam concionatos esse. O stulti, inquiens, & tardi corde ad credẽdum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum? etc. Et iterum: Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati.

Et Petrus Act. 3. Deus quæ prænunciauerat per os omnium Prophetarum suorum, Christum passurum, impleuit sic.

Et 1. Pet. 1. De qua salute exquisiuerunt et scrutati sunt Prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quem aut cuiusmodi temporis articulum significaret, qui in illis

erat Spiritus Christi, qui priusquam acciderent, testabatur uenturas in Christum afflictiones, &c.

Cum igitur Prophetica scripta prædicauerint iam inde ab initio humani lapsus de passione Christi, haud obscure significant, utilitatem eius longe omnium maximam et excellentissimam esse. Vtautem de ea utilitate semper admoneremur, uisum est maioribus nostris etiam hunc de passione Christi articulum, in Symbolo religionis nostræ nominatim collocare. Sciamus igitur nos recitatione huius articuli, primum omnium admoneri de uera expiatione peccatorum nostrorum. Sola enim passio Christi, est uera & perfecta peccatorum nostrorum expiatio.

Articulus de passione Christi qd admoneat.

Heb. 9. Christus accedens pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manufactum, hoc est, non huius structuræ, neque per sanguinem hircorum ac uitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione reperta.

Et iterum cap. 10. Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

1. Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Et cap. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum sed pro totius mundi.

Et 1. Petri 3. Christus semel passus est pro peccatis

catis noſtris, iuſtus pro iniuſtis. Hoc autem meritum paßionis Chriſti, non applicatur nobis muſſitatione Miſſarum, quemadmodum ſupra indicauimus, ſed prædicatione Euangelij & diſpenſatione ſacramentorum Chriſti. Et quia recitatio huius articuli in Symbolo admonet nos uniuerſi Euangelij de paßione Chriſti, idcirco applicat etiam nobis meritum & fructum paßionis Chriſti, ſi eam fide apprehendamus, ac inſuper refutat quoque omnem doctrinam, quæ tribuit expiationem peccatorum Indulgentijs Pontificum, meritis humanæ iuſticiæ, & ritibus cærimoniarum. Deinde admonemur recitatione huius Articuli, quòd & nos debeamus, exemplo Chriſti, aduerſa obedienter pati. Chriſtus enim non eſt ideo paſſus, ut nos nihil patiamur, ſed ut ſciamus, etiam nobis, ſi modo uoluerimus eſſe cohæredes Chriſti, multa ad uerſa in hoc ſeculo patienda eſſe. Dicit enim apud Iohan. cap. 15. Non eſt ſeruus maior Domino. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Et 1. Petri 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inſequeremini ueſtigia ipſius. Et cap. 4. Cum Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, uos quoq; iuxta eandem cogitationem armemini, &c.

Meritũ paſſionis quomodo applicetur.

Aduerſa exemplo Chriſti patienda.

Neceſſe autem habemus, aduerſa exemplo Chriſti pati, non ut paßionibus noſtris expiemus peccata, nec ut in ijs pereamus, ſed ut mortificetur caro

Paßionis et afflictionũ nostrarum utilitas.

nostra, ne obediat peccato, & ut una cum Christo glorificemur. Etsi enim plurimæ sunt causæ, cur pij in hoc seculo aduersis affligantur, quas nunc non est opportunum commemorare, & alias copioſe recensentur, tamẽ hæ, quas diximus, sunt præcipue. Ne excellentia, inquit Paulus, reuelationum supra modum efferrer, datus est mihi stimulus carne, angelus Satanæ, qui me colaphis cæderet, ne supra modum efferrer.

Et 1. Pet. 4. Qui patitur carne, redditur quietus à peccato, in hoc ut iam non concupiscentijs hominum, sed uoluntati Dei, quod superest in carne tempus uiuat.

Et Rom. 8. Simul cum eo patimur, ut & una cum illo glorificemur.

Et 2. Timoth. 2. Si commortui sumus, & conuiuemus, Si sufferimus, & conregnabimus.

Hebræ. 12. Omnis castigatio in præsens quidem non uidetur esse gaudij, sed molestiæ. At postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs, qui per illam fuerint exercitati. Et paulò ante: Si castigationem sustinetis, ueluti filijs suis offert se Deus

Quare cum recitamus in Symbolo hunc articulum de Iesu Christo, Passus sub Pontio Pilato, nõ prætereamus eum oscitanter, sed commonefaciamus nos tam de merito paßionis Christi quàm de exemplo eius, uidelicet, ut cogitemus Christum ex

piasse

piasse passione sua peccatum nostrum, et præbuisse nobis exemplum, ut sicut ipse passus est aduersa sua obedienter, ita & nos obediamus Deo patienter in aduersis nostris, quo & unà cum Christo liberemur & seruemur.

Crucifixus.

IN priori articulo confitemur Christum passum esse, In hoc autem articulo recitatur, quod passionis & mortis genus Christus in se susceperit. Afflictus quidem est ab ineunte ætate multis et uarijs passionum generibus. Passus est esuriem, sitim, conuicia, sputa, alapas, et flagella, quæ et ipsa ad expianda nostra peccata susceptit. Nos autem loquimur nunc de publico et nouissimo passionis genere, quo diem corporalis suæ uitæ obijt. Quo igitur tẽpore Christus susceperat mortem, multa fuerunt publicarum passionum, seu suppliciorum genera, quibus scelerati tam inter Iudæos, quàm inter Ethnicos afficiebantur, uidelicet, Lapidatio, combustio, occisio gladij, strangulatio, suffocatio, defossio in terram, sectio in partes, excoriatio, & alia. Christus autem nullo horum suppliciorum genere affectus fuit, sed est affixus cruci, quod supplicij genus, ut erat apud Romanos, qui tunc in Iudæa rerum potiebantur, usitatum, ita habebatur pro contumelioßimo supplicij genere, & iudicabatur à Iu-

Passionum publicarũ genera.

dæis ſumma & extrema abominatio, propterea q; dictum erat Deut. 21. Maledictus à Deo qui pendet in ligno. Vnde & mandatum erat, ut cadauer ſuſpenſi eodem die deponeretur. Ne contamines, inquit, terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeßionem. Videamus igitur, quo conſilio Chriſtus filius Dei hoc genus ſupplicij ſuſcepe rit. Non enim ſentiendum eſt, quòd coactus ſit humana libidine & tyrannide, ut affigeretur cruci, ſed q; ſua ſe ſponte, & iuſtis de cauſis permiſerit, ut tali ſupplicio afficeretur. Non haberes, inquit ad Pilatum, ullam in me poteſtatem, niſi tibi deſuper datum eſſet.

Crucis ſuppliciũ cur Chriſtus ſuſceperit.

Primum igitur Chriſtus ſuſcepit ſupplicium crucis, ut obediret & ſatisfaceret uoluntati Dei patris ſui, qui ſignificauerat iã antea Spiritu ſancto ſuo, in Scripturis, Chriſtum cruci affigendum. In Pſalmo enim 21. ſic dicitur: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Hæc eſt deſcriptio crucifixionis. Cuius & in Numeris cap. 21. extat adumbratio in ſerpente æneo, qui percußis ab ignitis ſerpentibus afferret aſpectu ſui ſanitatem. Quod Chriſtus ipſe ſignificat, cum ait, Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Et alias clare dicit ſe crucifigendũ. Tradent, inquiens, Filium hominis Gentibus ad il-

Iohan. 3.

Matth. 20.

ludendum

ludendum, flagellandum, & crucifigendum. Quare ſuſcepit ſupplicium crucis, non coactus humana uiolentia, ſed ut obediret diuinæ uoluntati. Deinde maluit hoc, quàm aliud ſupplicij genus ſuſcipere, ut cum expianda eſſent maxima humani generis peccata, & placanda ſeuerißima ira Dei, ſubiret etiam ignominioſißimum & grauißimum genus ſupplicij. Quod cum ita ſe habeat, conſideremus nunc utilitates crucis Chriſti, ut ſciamus, de quibus rebus recitatio huius articuli nos commonefacere debeat. Nam cum Paulus dicat, Non iudicaui me quicquam ſcire inter uos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et iterum, Abſit, ut glorier, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, manifeſte nos ſuo exemplo cohortatur, ut ſummo ſtudio crucem Chriſti, & utilitates eius cognoſcamus. 1. Cor. 2. Galat. 6.

Ac initio, Chriſtus obedientia ſua, qua ſeſe in mortem crucis demiſit, meritus eſt ſibi ſummam in cœleſti regno maieſtatem. Præbuit, inquit Paulus, humilem ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit illum in ſummam ſublimitatẽ, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen &c. Crucis Chriſti utilitas. 1

Deinde, Chriſtus meritus eſt cruce ſua, non ſibi tantum cœleſtem maieſtatem, ſed etiam Nobis, in ipſum credentibus, ſumma & æterna beneficia. Etſi autem, quod Paulus ad Epheſios cap. 2. ſcri- 2

bens, affirmat inimicitiam inter Iudæos et Gentes, peremptam esse per crucem, & ambos per eam reconciliatos Deo, & coniunctos in unum corpus, non extremum locum inter beneficia crucis Christi obtinet, tamen quæ alias de beneficijs per crucem Christi impetratis recensentur, longe omnium maxima sunt. Scribit enim Paulus ad Colossenses cap. 1. Complacitum est, inquiens, Patri inhabitare in Iesu Christo omnem plenitudinem, & per eum reconciliare erga se cuncta, pacificatis per sanguinem CRVCIS eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Hic testatur Paulus, quòd cum omnia tam cœlestia, quàm terrestria essent Deo, propter peccatum, & interitum hominis, in cuius usum illa condiderat, abominanda, &, ut ita dicam, iniucunda, Christus impetrauerit cruce, seu obedientia sua, quam in sufferenda morte crucis Deo præstitit, ut nunc omnia illa essent ipsi grata, accepta & iucunda. Postquam enim peccatum hominis expiatum est cruce Christi, & homo reconciliatus est cum Deo, per Christum, redijt Deus in gratiam cum omnibus creaturis, quæ antea factæ erant ipsi, propter peccatum hominis, abominabiles. Quare, cum Symbolum admonet nos de Christo cruci affixo, admonet etiam nos de reconciliatione cum Deo, quam Christus omnibus creaturis, cruce sua, impetrauit.

Christus qd nobis cruce sua impetrauerit.

Reconciliatio creaturarum cũ Deo.

Sed

Sed non minus exponit Paulus utilitatem crucis Christi, cum ad Col. 2. ita scribit: Vos cum essetis mortui per delicta, et per præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, deleto, quod aduersus nos erat, chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, & illud sustulit è medio, affixum cruci. Sustulit, inquit, è medio chirographum, cruci affixum. Nõ enim sentiendum est, quòd Christus in cruce pendens, & ibi sanguinem suum effundens, irrigauerit tantum sanguine lignũ, in quo pependit, sed deleuit etiam & induxit sanguine suo chirographũ Dei, quod secum in crucem assumpserat. Hoc Dei chirographum, est Decalogus, digito Dei scriptus, ex quo uenit agnitio peccati, et qui testificatur in conscientia nostra, quam aiunt esse mille testes, aduersus peccatum nostrum, & conuincit nos peccati, coram iudicio Dei. Itaq; hoc chirographo tradimur satanæ & æternæ damnationi. Sed Paulus Spiritu sancto edoctus, affirmat illud chirographũ unà cum Christo cruci affixum, & sanguine eius deletum esse, non quod Decalogus non debeat amplius cognosci, & seruari, (De uero enim usu Decalogi supra copiose diximus) sed quòd non possit amplius Satanæ tradere eos, qui credunt in Christum. Postquam enim peccatum expiatum est per crucem Christi, & imputatur credentibus iustitia Christi, Decalogus non habet ius accusandi & dam-

Chirographum Dei.

& damnandi credimus in Christum, coram iudicio Dei. Quo beneficio crucis Christi nihil potuisset nobis utilius contingere.

Porro quo utilitas crucis Christi clarius cognoscatur, non est committendum ut prætereamus ossitanter, quod Paulus de Christo affixo crucis ligno, ad Galat. cap. 3. scribit: Christus, inquiens, redemit nos à maledictione legis, dum factus est pro nobis maledictio. Scriptum est enim, Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Multa enim & uaria sunt genera maledictionum, quas lex Dei imprecatur peccatoribus, & quibus peccatores execratur. Nam quemadmodum uirulenti homines solent alijs, quibus male uolunt, maledicere, & ei pessima quæq; aduersa, uidelicet, morbos, pestilentiam, ignes, suffocationes, laqueos, cruces, subitaneas mortes, atq; adeo quoque ignem infernalem imprecari, ita solet & lex Dei peccatoribus maledicere, & eis omnia genera malorum imprecari, sed hoc discrimine, quòd quæ homines sibi inuicem uirulenter imprecantur, ea faciunt impie quidem, sed inefficaciter. Quæ autem uel lex diuina, uel homines diuino Spiritu excitati, ut Noha, Eliseus, & alij, peccatori imprecantur, ea faciunt & pie & efficaciter. Talis enim maledictio & imprecatio tam efficax est, ut etiamsi non continuo reueletur, tamen afferat suo tempore tam externam quàm æternam internecionem. Inter omnia autem

autem genera maledictionum, quibus peccatores in lege affici ſolebant, maxime omnium horribile eſt, Crucis ſupplicium, & qui alteri imprecabatur crucem, is uidebatur in eum extrema quæque mala, adeoq; æternam damnationem cumulare. Hoc enim ſupplicio afficiebantur non uulgares malefactores, ſed qui inſigne et immane ſcelus deſignauerant. Et qui in crucem ſuſtollebatur, is habebatur tam maledictus, ut ſi cadauer eius in cruce ſuſpenſum perduraret, crederetur terram contaminare, quemadmodum ſupra indicauimus. Chriſtus igitur filius Dei, etſi fuit innocentißimus, ſuſcepit tamen hoc genus ſupplicij, & factus eſt, quaſi eſſet nocentißimus, extrema maledictio. Quam ob cauſam, & in quem finem? Vt nos, inquit Paulus, redimeret à legis maledictione. Sumus enim natura peccatores. Lex igitur Dei imprecatur nobis maledictionem morborum, crucis, mortis, & damnationis propter peccatum. Sed quia Chriſtus ſuſcepit in ſe maledictionem crucis & mortis, ac expiauit peccatum noſtrum, effecit, ut maledictio illa uerteretur nobis in benedictionem, ut etiamſi hæc mala nobis accidant, non tamen poßint nobis eſſe exitio, ſed neceſſe habeant nobis ad ueram & æternam ſalutem, propter Ieſum Chriſtum, credere. Quare, cum recitamus in Symbolo hunc articulum, CRVCIFIXVS, non eſt feſtinanter & oſcitanter progrediendum,

Crucis ſupplicium omnium maximi horribile.

ſed

ſed paſſiſper in eo commorandum, ut cogitemus, q̃ Chriſtus obedientia ſua, qua paſſus eſt ſe crucifigi, impetrauerit, ut non ſolum ipſe extolleretur in ſummam maieſtatem, uerumetiam nos ipſi, ſi in eũ credimus, reconciliaremur cum Deo, & liberaremur à maledictione legis, ac conſequeremur æternam benedictionem.

Crux Chriſti quid in nobis efficiat.

In commemoranda autem crucifixione Chriſti, conſideremus non ſolum, quid Chriſtus cruce ſua nobis coram Deo patre ſuo impetrauerit, ſed etiã quid crux eius in nobis, aut in carne noſtra efficiat. Nam ſi uere credimus Chriſtum pro nobis crucifixum, Spiritus huius fidei tam efficax eſt, ut teneri non poßit, quin ad teſtificandam Chriſto gratitudinem ſuam, crucifigat carnẽ cum affectibus ſuis. Qui nõ accipit, inquit Chriſtus, crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et Paulus: Qui ſunt Chriſti, crucifigunt carnem cum affectibus & concupiſcentijs. Chriſtus enim non ſuſcepit crucẽ, ut nos delitijs ſtudeamus, & nullam crucem feramus, ſed ut quemadmodum ipſe mortificatus eſt carne in cruce, ita nos debeamus crucem quiſq; ſuam accipere, & carnem crucifigere. Quid ergo faciendum eſt, ut huic uocationi Chriſti obediamus? Num excogitemus propriam quiſque crucem, ut carnẽ affligamus? Baalitæ incidebant ſe ipſos cultris, quæ certe magna crux erat. In Pſalmo 105. effundunt parentes ſanguinem filiorum & filiarum

rum ſuarum, in cultum diuinum. Quod ſine graui cruce & dolore parentum fieri non potuit. Circumcelliones, quorum Auguſtinus mentionem facit, præcipitarunt ſeipſos è ſaxis, ut non diutius in carne aduerſus Deum peccarent. Nunquid hoc uere eſt crucem ſuam tollere, & carnem crucifigere? Alij, cum liceret ipſis agere uitam politicam, ſeligunt ſibi uitam Eremiticam, in qua ſectantur chameunias, agrypnias triduana & quatriduana ieiunia, & multa alia, quibus ſe carnem ſuam crucifigere affirmant.

Circumcellionũ crux.

χαμευνία ἀγρυπνία

Quid ergo dicemus? Num hæ ſunt cruces, quas accipere debemus, & quibus caro uere crucifigitur, & quæ Deo uere placent? Nihil minus. Hæ enim cruces, quas nobis ipſis, noſtro arbitrio, ſine uerbo, ſine mandato Dei imponimus, non placent Deo, nec uere crucifigunt carnem noſtram. Fruſtra, inquit, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et iterum: Quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Non poteſt autem ex fide eſſe, quod ſine uerbo Dei ſuſcipitur, propterea quod fides ſit ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Sed quas Dominus ipſe nobis imponit, & uerbo ſuo ferre iubet, hæ demum cruces ſunt, quas & ſuſcipere debemus, & quibus caro uere crucifigitur.

Caro quomodo crucifigatur.

Imponit autem Dominus nobis duplicem crucẽ. Altera eſt, ut faciamus obedienter ea bona opera,

Crux duplex.

ra, quæ ipse uerbo suo facienda præcepit. Hæc enim, etsi iucunda sunt spiritui, tamen carni sunt crux grauissima. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, Siquidem, ne potest quidem. Si quis, exempli gratia, læsus fuerit à proximo, tunc caro excitatur ad iram & cupiditatem uindictæ. Aut si quis uidet occasionem decipiendi proximi in negocio, excitatur caro ad mendacia & impostura. Hic ergo uerbum Dei iubet ab ira, à uindicta, à mendacio, ab impostura, ab alienis opibus abstinere, quæ iussione imponitur carni grauissimum onus, quod ut hostiliter odit, ita non potest plena & perfecta obedientia ferre.

Concupiscentia carnis quomodo mortificetur.

Quid ergo faciamus? Cum natura carnis non possit in hac uita omnino tolli & euelli, danda est opera, ut affectus & cupiditates eius mortificentur, & compescantur, ne in homine dominentur. Mortificantur autem spiritu. Si spiritu, inquit Paulus, facta corporis mortificetis, uiuetis. Et iterum: Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Hic autem Spiritus intelligendus est de dono fidei in Iesum Christum, quod est donum Spiritus sancti, et affert secum inuocationẽ Dei propter Christum, & excitat hominem ad dilectionem Dei & proximi. Datur autem hoc Spiritus donum, per prædicationem Euangelij de Christo. Fides, inquit, ex auditu est. Auditus autem

per

per uerbum Dei. Et, Accepistis Spiritum, non ex operibus legis, sed ex prædicatione fidei. Quare ad mortificandam concupiscentiam carnis, in faciendis bonis operibus à Deo præceptis, et uitandis peccatis à Deo prohibitis, necessarium est, ut omni quo possumus studio, prædicationem Euangelij de cruce Christi audiamus, & Deum propter Christum filium suum inuocemus, quo corda nostra, ad ueram uerbi eius obedientiam, Spiritu sancto suo excitet & accendat.

Altera crux, quam Dominus nobis imponit, hæc est, ut feramus patienter omnia aduersa, quæ nobis uel propter iusticiam, uel propter iniusticiam accidunt, & quæ non possumus legitime ac in uocatione Dei perseuerantes effugere. Quod genus sunt, Morbi ordinaria medicina incurabiles, paupertas, infamia, iniuria, contumelia, supplicia publica & priuata, direptiones facultatum, exilia, dolores mortis & inferni. Sicut autem grauis crux est carni, cedere uoluntati Dei, in faciendis bonis operibus, quæ Deus præcepit, ita intolerabile ei onus uidetur, cedere uoluntati Dei in perferendis patienter malis, quæ nobis accidere solent. Caro enim peccato sic uiciata est, ut ne possit quidem mala seu aduersa obedienter, sine ulla aduersus Deum indignatione & murmuratione in hac corporis uita ferre.

Quid ergo faciendum est? Compescendus &

mortificandus est affectus carnis. Quomodo? Spiritu Dei, seu dono fidei. Audiendum enim est Euangelium de cruce Domini nostri Iesu Christi, ut concipiamus & accendamus fidem in Christum, & cognoscamus beneficia crucis eius. Quod cum factum fuerit, teneri non possumus, quin sicut Christus factus est obediens Patri usque ad mortem crucis, ita nos ad declarandam gratitudinem nostram omnibus generibus afflictionum, quæ nobis accidunt, obedienter, si non omnino perfecte (Caro enim non desinit rebellare) certe pro modo in hac uita possibili, subijciamus. Nam qui, cum illustrati fuerint Spiritu fidei, relaxant carni frenos, colunt uentrem suum pro Deo, & curant terrestria, ne crucem sustineant, hos affirmant Apostolica scripta, filium Dei iterum crucifigere, et esse inimicos crucis Christi. Obediamus igitur in ferenda nostra cruce uoluntati Dei, & compescamus affectum carnis nostræ, per Spiritum fidei, ut & beneficijs crucis Christi fruamur.

Aduersa quomodo patienter ferenda.

Ebræ. 6. Philip. 3.

Postremo, In hoc articulo dicenda etiam quædam sunt de abusu Crucis Christi. Alij enim solent per Crucem Christi, temere & sine ulla legitima causa iurare. Hi prophanant sanctam crucē Christi, & peccant contra secundum præceptum Decalogi grauissime. Alij instituūt ligneas, lapideas, aureas, & id genus alias Cruces, quas uenerantur, colunt & adorant. Hi designant idolatriam. Alij solent

Crucis Christi abusus.

lent se cruce digitis formata, signare, ut hoc signaculo tuti sint à diabolo, & tam à se quàm ab his creaturis, quas cruce signant, diabolum abarceant & incantamenta dissoluant. Hæc non est pietas, sed magia. Primum enim, etsi per se non est impium habere figuram crucis Christi, et uti ea pro monumento rerum in cruce gestarum, Sed ante talẽ figuram se procumbere, ut colas eam, & speres te hoc cultu, Christum ipsum uenerari, & gratiam Dei impetrare, magna est impietas, nec differt ab Ethnicorum idolatria. Decalogus enim diserte dicit, Non esse faciendum sculptile, aut ullam figurã eorum, quæ uel in cœlo uel in terra, uel in aquis sunt, ut adorentur et colãtur. Deinde usitatus quidem mos est hominũ in Christianismo, figura crucis, digitis formata, tam sese quàm alia consignare. Sed hic mos recte intelligendus est, Sunt enim qui scribunt, ueteres hoc signaculo usos fuisse in consignandis ijs, qui baptisabantur, aut ad ministerium ecclesiasticũ consecrabantur, ut admonerent eos, quòd necesse haberent propter Christum cruci fixum, suscipere crucem suam, & mortificare carnem suam. Hic mos, etsi est humanum institutum, tamen si non alia accesserit superstitio, fuit adhuc tolerabilis. Alij utuntur hoc signaculo, ut commonefaciant se de beneficijs, quæ nobis ex eo, quòd Christus pro nobis crucifixus est, contingunt. Est et hoc, si pro puerili disciplina obseruetur, tolera-

Exod. 20.

Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia.

Crucis signaculum.

bile. Alij autem utuntur hoc ſignaculo, ut uirtute eius fugent dæmones, & illuſiones eorum, ac bene dicant tam ſe quàm ea, quæ tali cruce conſignant. Hic eſt magicus & impius uſus, imo abuſus ſignaculi crucis. Olim quidem fieri potuit, ut hi, qui fuerunt diuinitus ornati dono ædendorum miraculorum, fugauerint, facto crucis ſigno, dæmones, et reſtituerint dæmoniacos, aut alijs morbis affectos, ſanitati. Sicut & tales ſanarunt multos ægrotos, impoſita manu. Et nonnulli ex impoſitione ſudariorum Pauli conſecuti ſunt ſanitatem. Qui autem ſuſcipiunt ſignaculo crucis dæmones aut morbos fugandos ſine ſingulari uocatione Dei, & ſine dono ædendorum miraculorum, & qui faciunt ex hoc ſignaculo ſacramentum, cuius uirtute benedicantur, & aduerſus diabolum muniantur, hi magiam potius, quàm pietatem exercent. Etſi diabolus, facto hoc ſigno, fugerit, fingit ſe talem crucem metuere, ut homines hac ſimulatione ſeducat, & magicam impietatem confirmet. Nã diabolus non uere pellitur ſignaculo crucis manufacto, nec tale ſignaculum inſtitutum eſt diuinitus, ut ſit Sacramentum, per quod rebus cœleſtis benedictio conferatur. Sed diabolus pellitur, & benedictio confertur, per ueram crucem Chriſti, hoc eſt, quia Chriſtus factus eſt pro nobis in cruce maledictio, & uicit cruce ac morte ſua diabolum. Idcirco, ſi credimus in Chriſtum crucifixum, contingit nobis

Epiphanius contra Ebionæos.

Act. 19.

Vide exemplum Iuliani in Trip. hiſto. lib. 6. cap. 1. Et in Epiphanio

bis per fidem omnis cœleſtis benedictio, & diabolus neceſſe habet nos Chriſto munitos metuere ac fugere. Quare non eſt, ut muniamus nos crucibus manu formatis, ſed credamus in Chriſtum crucifixum, & ſufferamus in nomine Chriſti crucem noſtram obedienter. Quo fiet, ut ſimus aduerſus omnes diaboli aſſultus, ſatis ſemperq; muniti.

Diabolus quomodo pellatur.

Mortuus.

NOn ſentiamus hos articulos de Chriſto, Paſſus, Crucifixus, & Mortuus, fruſtra & ocioſe, aut ordinis tantum gratia in Symbolo religionis noſtræ, à maioribus noſtris collocatos eſſe, Sed neceßitas exegit, ut hæc in Catechiſmo nominatim commemorentur. Nam cum Paſſio, Crucifixio, & Mors Chriſti, conferant ad nos ueram ſalutem & liberationem, Satan in hoc ſtudium maxime omnium incumbit, ut paßionem & mortem Chriſti, aut obſcuret aut euacuet. Ac initio quidem, cum Chriſtus ageret in hac terra corporalem uitam, Satan magnam dedit operam, ut Chriſtus morti traderetur. Poſtquam autem ſenſit, quòd homines liberentur beneficio mortis Chriſti, à peccatis & morte, inuertit ſtudium ſuum, & dat operam, ut mors Chriſti, aut nulla aut uana habeatur. Itaq; excitauit alios, qui dixerunt, non Ieſum Chriſtum, ſed Simonem Cyrenæum à Iudæis crucifixum, & occiſum eſſe. Deinde excita-

De paßione & morte Chriſti ſatanæ mẽdacia. Baſilidiani.

2 Cerdoniani & Manichæi.

uit alios, qui docuerunt Christum non uere mortuum, neq; quicquam passum, sed simulasse tantum passionem & mortem. Excitauit & alios, qui dicunt Christum translatum in Paradisum, Iudam autem Ischarioten passum. Postremo excitat hypocritas, qui affirmant quidem Christum uere mortuum, sed non recte sentiunt de applicatione beneficiorum, quæ Christus morte sua nobis impetrauit. Quæ enim beneficia Christus applicari nobis per prædicationem Euangelij, & dispensationem Baptismi ac Cœnæ Dominicæ, & per fidem accipienda instituit, ea hypocritæ uociferantur applicari nobis murmurationibus Missarum, & aliorum operum.

3 Mahumetistæ.

4

Quod cum ita se habeat, necessarium uisum est, ut hi articuli de passione & morte Christi, in Symbolo nostro nominatim recitarentur, quo Ecclesia de ueritate & utilitate mortis Christi semper admoneretur, & in officio uerę fidei contineretur. Dicamus igitur primum de ueritate mortis Christi. Nam Christum uere passum & mortuum esse testificantur non solum sacrificia ueterum, quæ passionem & mortem Christi adumbrarunt, uerumetiam Prophetæ, qui de passione & morte Christi lõge ante, quàm Christus homo natus esset, uaticinati sunt. In Psal. 21. dicit Christus, Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea. Esaias cap. 53. dicit, Christum posituru[illegible]

Passionis et mortis Christi ueritas.

Sacrificia ueterum

Psal. 21

Esa. 53

ſiturum animam ſuam, hoſtiam pro peccato. Ergo manifeſte docet eum moriturum. Daniel cap. 9. dicit: Poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur Chriſtus. Cum igitur Prophetæ tam clare, tam aperte de morte Chriſti ſint concionati, mirandum eſt, quòd hi, qui poſtea ueritatem mortis Chriſti negauerunt, ſperauerint ſibi aliquem in Eccleſia populi Dei locum futurum. Deinde teſtificantur Euangeliſtæ uno ore, quòd Chriſtus uere paſſus et mortuus ſit, cum in cruce ualido clamore ſpiritum ſuum tradidiſſet. Idem teſtificantur (interprete Petro) Apoſtoli omnes, in die Pentecoſtes. Ieſum Nazarenum, inquit Petrus, cum accepiſſetis per manus iniquorum, crucifixum interimiſtis &c. Quare nullum dubium relinquitur, quin Ieſus Chriſtus uere paſſus ſit & mortuus. Hoc de ueritate mortis Chriſti idcirco tam ſollicite recitatur, ne ſi ueritatem eius amittimus, etiam utilitatem eius amittamus. Nam ſi Chriſtus non eſſet uere mortuus, mors non eſſet uere deuicta, & oppreſſa.

Videamus ergo nunc utilitatem mortis Chriſti. Ac initio, Chriſtus expiauit morte ſua, peccata noſtra. Animam meam, inquit, pono pro ouibus meis. Et Paulus: Chriſtus, inquit, mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas. Et Rom. 5. Reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius. Hoc beneficium mortis Chriſti, etſi pauciſſimis commemoratur, tamen latiſſime patet. Expiatis enim

Mortis Chriſti utilitas. Iohan. 10. 1. Cor. 15.

peccatis noſtris, & reconciliatis nobis eum Deo, quid reliquum eſt, niſi ut reputemur coram Deo iuſti, adoptemur in filios Dei, & ſeruemur in omnibus malis? Deinde Chriſtus morte ſua uicit mortem, ut nos credentes in ipſum, ſeruemur in morte. Vnde Paulus de Victoria mortis per Chriſtum parta, ex Eſaia & Oſea ſic concionatur, Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in uictoriam. Vbi tuus, mors, aculeus? ubi tua inferne uictoria? Et 2. Timoth. 1. Ieſus Chriſtus aboleuit quidem mortem, uitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium. Et ad Ebræ. 2. Particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum, & liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti.

Vitij mortis

1. Cor. 15.

Mors quomodo abolita.

Cæterum, Chriſtus aboleuit mortem ſua morte, non ut non moriamur corporaliter, ſed ne corporalis mors ſit interitus eius, qui credit in Chriſtum. Hic enim conſeruatur in morte, ad æternam uitam. Siue uiuamus, inquit Paulus, ſiue moriamur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur.

Rom. 14.

Poſtremo, Obſeruandum eſt, quòd ſicut mors Chriſti efficax eſt ad uiuificandos nos, ne in morte pereamus, ita etiam efficax eſt, ſi eam uera fide comple-

complectimur, ad mortificandos nos, ne in peccatis uiuamus, ſed in iuſticia ambulemus. Nam quòd Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, in hoc mortuus eſt, non ſolum, ut peccata noſtra coram Deo expientur, uerumetiam, ut nos peccatis moriamur, & iuſticiæ uiuamus. Qui mortui ſumus, inquit Paulus, peccato, quomodo adhuc uiuemus in eodem? Nam quemadmodum Chriſtus excitatus eſt à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus ſemel fuit, quòd autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos exiſtimate uos ipſos mortuos quidem eſſe peccato, uiuentes autem Deo per Chriſtum Dominum noſtrum &c. Quare cum recitamus in Symbolo hunc articulum, MORTVVS, cogitemus mortem Chriſti non ſolum conſeruare nos in morte ad æternam uitam, ſed etiam mortificare peccata noſtra, in præſenti uita, ut iuſticiæ obediamus. Rom. 6.

Et ſepultus.

VIdetur & hoc ſuperuacaneum in Symbolo commemorare, quippe quod ſolenne ſit mortuos ſepelire, nec uideatur opus eſſe, ut ex eo ſingularem Religionis articulum faciamus. Sed utcunq; prophani homines de hac re ſentiant, certe hæc commemoratio de ſepultura Chriſti, habet neceſſarias cauſas. Sciamus igitur initio hiſto-

riam ſepulturæ Chriſti. Nam Euangeliſtæ recenſent eam unà cum circumſtantijs ſuis diligentiſſime. Poſtquam enim Chriſtus in cruce uere mortuus erat, petijt Ioſeph, ſenator diues, à Pilato, ut liceret ipſi corpus Ieſu ſepelire. Ioſepho adiunxit ſe Nicodemus, allata mixtura myrrhæ & aloes, ad libras ferme centum. Hi collocant corpus Ieſu obuinctum linteis, cum aromatibus in nouo monumento quod erat in petra excisum, & in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Aduoluunt etiam ingens ſaxum ad oſtium monumenti. Et poſtremo munitur ſepulchrum obſignato ſaxo, & adhibitis cuſtodibus. Hæc recitantur ab Euangeliſtis diligenter & magna cura.

Sepulturæ Chriſti hiſtoria.

Quæſo igitur te, quæ eſt tantæ curæ & ſollicitudinis cauſa? Certe Spiritus ſanctus non delectatur multiloquio, ubi non fuerit opus. Cum igitur in deſcribenda ſepultura Chriſti ſit multiloquus, dubium non eſt, quin res ſeria agatur. Primum ergo, ſicut recitatione paſſionis & mortis Chriſti, ita & recitatione Sepulturæ eius commendatur & confirmatur nobis ueritas mortis eius. Oſtendimus enim antea, quòd Satan obſcuraturus fructum mortis Chriſti, excitauerit quoſdam, qui dicerent cum nec uere paſſum, nec uere mortuum, ſed alio translatum eſſe. Deſcribitur ergo Sepultura eius tam diligenter, ut certo cognoſcamus cum uere mortuum, adeoq; mortem uere per ipſum deuictam

uictam esse. Deinde tam accurata sepultura Christi plurimum confert ad testificandam ueritatem resurrectionis Christi à mortuis. Postquam enim corpus Christi mortuum collocatum est in nouo monumento, in quo nullus unquam antea conditus fuerat, & sepulchrum munitum fuit saxo, sigillo, & custodibus, et tamen monumentum, facto terræmotu, & fugatis custodibus, admirabiliter patuerit, ac inuentum sit uacuum, positis tantum linteaminibus, manifestum est, quòd non alius quàm is Iesus Christus, cuius corpus linteis obuinctum in hoc monumentum positum erat, à mortuis resurrexerit. *Sepulturæ Christi cognitio quid prosit.*

CVM igitur recitamus in Symbolo, Christum sepultum esse, admonemur ad considerandas circunstantias sepulturæ eius, ut & resurrectio eius certior nobis reddatur. Quæ cum ita se habeant, uideamus nunc, quam rem Christus in sepulchro confecerit. Etsi enim corpus eius uidetur in sepulchro iacere immotum, ipse tamen non fuit in eo inefficax & ociosus. Visus quidem fuit, cum in sepulchrum conderetur, perijsse, Sed tunc maxime omnium sepulchrum consecrauit, ne homines in eo perirent. Nam si humanos sensus consulas, res ipsa ostendit, quòd homines in sepulchris corrumpantur, putrefiant, & in cinerem, imo in nihilum redigantur. Sed postquam Christus conditus est in sepulchrum, caro eius requieuit, ut *Christus in sepulchro quam rem confecerit.*

Psal-

Psalmus ait, in spe, & non est permissum, ut uideret corruptionem, ideoq; sanctificauit sepulchra, ut nec alios homines possint amplius detinere, & in totum corrumpere. Etsi enim alij homines non resurgunt tertio à sepultura die sicut Christus resurrexit, tamen necesse habent, uel tandem resurgere, & è sepulchris suis uiuentes prodire, ut maxime in cinerem resoluti, aut etiam dissipati fuerint. Veniet hora, inquit Christus, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem Filij hominis, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis. Quare mentione sepulturæ Christi admoneamur de consecratione Sepulchrorum, quòd non sint amplius foueæ, in quibus exuuiæ hominum omnino pereant, ac euanescant, Sed sint cistæ, in quibus homines ad resurrectionem certissime futuram reponantur, & conseruentur.

Iohan. 5.

Sepulchrorum consecratio.

Deinde, non est sentiendum, quòd Iesus Christus solus sit in sepulchrum suum conditus. Etsi enim, quod ad externam eius personam attinet, non est cum ipso, alterius cuiuspiam hominis corpus sepultum, tamen quemadmodum secum sustulit in crucem & mortem omnes credentes in ipsum, ut peccata eorum in cruce delerentur, & morte expiarentur, ita sustulit etiam eos secum in sepulchrum suum, ut peccata eorum sepelirẽtur, et ipsi deinde

Sepultura peccatorũ.

deinceps iusticiæ uiuerent. Consepulti, inquit Paulus, simul cum illo per baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitauit illum à mortuis. Et aliàs: Sepulti sumus una cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Quare is, qui, postquam baptisatus est, & baptismo in sepulturam Christi insitus, obsequitur desiderijs peccati, non alio loco habendus est, quàm quòd sit uiolator sepulchri Christi, & faciat, quantum in ipso est, sepulturam Christi uanam & irritam. Quod cum sit & crudelitatis & impietatis genus, summo studio cauendum est, ne post acceptam beneficiorum Christi cognitionem, in peccatis ambulemus. Colioss. 2. Rom. 6.

Descendit ad inferos.

PEtrus in priori Epistola, capite tertio, de Christo ita scribit: Mortificatus quidē carne, sed uiuificatus spiritu, in quo etiam abijt, & Spiritibus, qui erāt in carcere prædicauit, qui inobedientes fuerant quondam &c. Ex hoc Petri loco sentiunt nonnulli, q̄ Christus, postquam mortuus est in cruce, descenderit Spiritu suo ad limbum, quem ita uocant, Patriarcharum, et prædicauerit eis Euangelium suum, ut è tenebris liberarentur. Hinc & pictores solent pro sua licentia depingere limbum

limbum Patriarcharũ, ad quem accedit Christus triumphator cum uexillo, ac primum educit Adamum cana barba uenerabilem, deinde sequuntur alij Patriarchæ. Sed non sunt tam crassa & carnalia spectacula, in spirituali & cœlesti mundo: & cum Christus iacuerit corpore suo in sepulchro, usque ad tertium diem, manifestum est, quòd interea non descenderit corporaliter ad inferos eo modo, quo corporalibus oculis proponi, aut humano captu cogitari solet. Et tamen, quod proponit nobis Symbolũ de Descensu Christi ad inferos, haudquaquam uanum esse iudicandum est: ideoq; danda nobis est opera, ut hunc Articulum recte intelligamus.

Testimonia de descensu Christi ad inferos.

Sed priusquam ueram huius articuli sententiam explicemus, obseruanda sunt testimonia scripturæ de hoc articulo. Necesse enim est, ut capita religionis nostræ sint certissimis et apertissimis sacræ scripturæ testimonijs confirmata & stabilita.

Psal. 15. dicit Christus: Non derelinques animam meam in inferno. Manifestum igitur est, quòd Christus descenderit anima sua in infernum. Nam hunc Psalmum de Christo intelligendum esse, perspicuum est ex Actis Apostolicis cap. 2. & 13.

Psal. 17. (Nam et hunc Psalmum de Christo intelligendum esse, haud obscure significat Paulus ad Rom. ca. 15.) dicit Christus: Dolores inferni circumde

cumdederunt me. Quomodo autem circumdedissent eum, nisi in infernum descendisset?

Act. 2. dicit Petrus: Propheta præscius, locutus est de resurrectione Christi, quòd non derelicta sit in inferno anima eius &c.

Act. 2.

Ephes. 4. Illud ascendit, quid est, nisi quod etiã descenderat prius in infimas partes terræ?

Ephe. 4.

Cum igitur certissimum sit, q̃ Christus descenderit ad inferos, uideamus nunc, quomodo hic descensus sit intelligendus, & quid Christus descensu suo ad inferos effecerit. Sciamus ergo duplicem esse descensum Christi ad inferos. Primus est, quòd cum adhuc corporalem in terris uitam ageret, suscepit dolores inferni. Hoc autẽ præcipue factum est, cum in cruce clamaret: Deus Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti. Hic clamor significat Christum doloribus inferni obrutum, & flammis inferni accensum fuisse. Nam cum Christus suscepisset peccata humani generis expianda, uidit in se grauitatem iræ Dei, sic deriuatam, ut non pateret ei ulla è præsenti morte euasio. Vidit enim à Deo in extremis uitæ suæ periculis ita desertũ, ut etsi sit filius Dei, non tamen posit à Deo tale aliquod liberationis genus impetrare, quali ueteres Patriarchæ sæpe ac multum adiuti & liberati fuerũt. Vnde et in Psal. 21. sequitur: In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non

Christi duplex descẽsus ad inferos.

Christus in mira doloris tempestate suscepit

non ſunt confuſi. Ego autem ſum uermis et non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Hoc certe eſt ad inferos deſcendiſſe, & flammis inferni ardere. Sic deſcenderunt quondã ad inferos, etiam in hac uita Iob, Dauid, Ezechias, Ionas, et multi alij, Sed longe alia eſt ratio deſcenſus Chriſti ad inferos, quàm aliorum Sanctorum. Hi enim deſcenderunt ad inferos ſuis ipſorum peccatis oppreſſi, quibus etiam periiſſent, niſi alieno auxilio conſeruati fuiſſent. Chriſtus autem deſcendit ad inferos alienis tantum peccatis oneratus, cum ipſe peccatum nõ feciſſet, nec inuentus eſſet dolus in ore eius, ideoq; tãtum abfuit, ut perierit, ut potius hoc ſuo deſcenſu effecerit, ne hi, qui credunt in ipſum, in talibus doloribus inferni perirent, Sed ad cœleſtia gaudia conſeruarentur. Et hic eſt primus deſcenſus Chriſti ad inferos.

Secundus eſt, cum, poſtquam mortuus fuit, depoſitus eſt de cruce, & in terram ita ſepultus, ut uideretur prorſus interiiſſe. Non habuit amplius uitam corporalem. Non erat ulla ſpes reuiuiſcentiæ eius, Sed reponitur in ſepulchrum, & relinquitur ab hominibus, quaſi occubuiſſet perpetuo interitu. Hoc autem eſt deſcendere ad inferos, uideli cet, uideri prorſus & omnino interire, Quod Germanice dicimus, zu grund gehen. Quare, cum & Chriſtus, poſtquam ſepeliebatur, uiſus fuit prorſus interiiſſe, recte dicitur tunc ad inferos deſcendiſſe.

Deſcendere ad inferos.

Non

Non enim sentiendum est, quòd Christus passus sit post mortem suam aliquem in inferno dolorem. Dicit enim ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiso, Sed quòd uisus fuerit in oculis hominum omni salute destitutus, atq; à Deo ipso maledictus et abiectus. Quid ergo dicemus? Num qualis uisus fuit in oculis hominum, talis etiam fuit in oculis Dei? Nihil certe minus. Descendit quidem coram hominibus ad inferos, sed coram Deo incepit tunc non ipse tantum in cœlum ascendere, uerumetiam omnes credentes in ipsum, secum in cœlum perducere. Hoc enim sibi uult quod Oseas cap. 13. dicit: Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero, inferne. Siue, ut Paulus legit, Vbi tuus, mors, aculeus? Vbi tua, inferne, uictoria? Postquam enim Christus descendit ad infernum, extorsit tanta potentia è manibus inferni uictoriam eius, qua hactenus in humanum genus grassabatur, ut nullo modo possit amplius eos, qui in Christum credunt, detinere, sed necesse habeat eos liberos dimittere, & ad ueram ac æternam cœlestis regni salutem transmittere. Hoc etiam illud est, quod dicitur, Christus Patriarchas ex inferno eduxisse, non quòd corporali descensu abierit ad Patriarchas et eduxerit eos ex inferno corporali manu, Sed quòd suo interitu liberauerit omnes Patriarchas & pios, in ipsum credentes, ab interitu, & impetrauerit eis sempiternam in cœlis fœlicitatem. Sicut enim Christus

Christus quomodo Patriarchas ex inferno eduxerit.

morte ſua deſtruxit mortem, ita & inferno ſeu interitu ſuo deſtruxit infernum ſeu interitum, ut
Iohan. 3. quotquot in ipſum credunt, non intereant, ſed habeant æternam uitam. Nam quod Petrus dicit, Chriſtum uiuificatum ſpiritu, in quo abierit, & Spiritibus, qui erant in carcere, prædicauerit, non concionatur eo loco de deſcenſu Chriſti ad inferos ſed concionatur è 6. cap. Geneſeos, ubi dicitur: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, Et confert diuulgationem prædicationis de pœnitentia, quæ diuulgatio facta fuit tẽporibus Noe, cum ea diuulgatione, quæ facta eſt in orbe terrarum, temporibus Chriſti filij Dei, poſt reſurrectionem eius à mortuis. Sicut enim Filius Dei abierat quondam temporibus Noe, ſpiritu, hoc eſt, Spirituali ſua prædicatione de Pœnitentia, & uocauerat ad pœnitentiam Spiritus qui erant in carcere, hoc eſt, homines impios, qui erant concluſi carcere impietatis, & propter impietatem obnoxij morti & inferno. Vtitur enim Petrus eadem phraſi qua & Eſaias cap. 42. qui & ipſe uocat impios concluſione uinctos, & ſedentes in domo carceris in tenebris. Et quòd Petrus loquatur de ea Pœnitentiæ prædicatione, quæ reuelata fuit temporibus Noe, & propoſita impijs, ut reſipiſcerent, & futurum ſupplicium Diluuij effugerent, perſpicue exponit, cum addit, Qui inobedientes fuerant quondam, cum expectabatur Dei lenitas

nitas in diebus Noe, et cum apparabatur arca etc. Sicut ergo Filius Dei tunc abierat ſpiritu prædicationis ſuæ, ad impios, ut conuerterentur & ſeruarentur, ita & nunc uiuificatus eſt ſpiritu, & inſtituit miſſo Spiritu ſancto, prædicationem Euangelij ſui in toto orbe terrarum, ut quemadmodum tunc hi, qui credebant Spiritui ſancto, ſeruabantur à Diluuio per arcam, ita & nunc qui credunt Euangelio per Spiritum ſanctum reuelato, ſeruentur à uentura ira per Baptiſmum. Hæc eſt uera ſententia Petri, in qua etſi nihil dicitur de deſcenſu Chriſti ad inferos, extant tamen alia teſtimonia ſacræ Scripturæ, quæ ſupra enumerauimus, quibus aperte comprobatur Chriſtum uere ad inferos deſcendiſſe, & deſcenſu ſuo ad inferos, aſcenſum nobis in cœlum impetraſſe.

Infernum Chriſtus quomodo deſtruxerit

Quid ergo dicemus? Num Chriſtus deſcenſu ſuo infernum ita deſtruxit, ut non ſolum pij, ſed etiam nec impij & impœnitentes eo teneri queant? Nihil certe minus. Nam quemadmodum Chriſtus expiauit quidem peccata, hac autem expiatione non omnes fruuntur, ſed hi ſoli qui cre[illegible] Chriſtum, & ſunt membra Chriſti per fidem, ita deſtruxit etiam infernum. Quo beneficio omnes quidem homines frui poſſent, ſi uellent, Sed quia plurimis libet Chriſtum contemnere, ac ne requirere quidem, ſoli hi euadunt infernũ, qui Chriſtum uera fide amplectuntur. Petrus in poſteriori

Epistola cap. 2. ita scribit: Deus Angelis, qui peccauerant, non pepercit, sed catenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit seruatos in iudicium. Sic & omnes impij ac impœnitentes, qui non uoluntati Dei Patris Domini nostri Iesu Christi, sed uoluntati Diaboli & angelorum eius obsequuntur, præcipitantur in tartarum, & seruantur uincti catenis noctis ad iudicium æternæ damnationis. Etsi enim resurgent & ipsi à mortuis, tamen non resurgent ad accipiendum cœleste Regnum, sed resurgent ad sufferendum sempiternum gehennæ ignis supplicium.

Esai. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

Iohan. 5. Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem Filij hominis, et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ, Qui uero mala egerunt, in resurrectionem condemnationis.

Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

2. Thess. 1. Reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem his, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luunt, INTERITVM ÆTERNVM, à facie Domini, & à gloria fortitudinis illius &c.

Cum

Cum igitur Christus filius Dei infernum descensu suo ita destruxerit, ut tamen impij, qui in impietate sua moriuntur, non capiant fructum huius beneficij, idq; non illiberalitate quadam Christi, aut beneficij imbecillitate, sed uicio suo ipsorũ impietatis, conferamus omnem operam nostram in hoc studium, ut Euangelium Domini nostri Iesu Christi recte cognoscamus, & Christum uera fide complectamur, quo una cum Christo, & in Christo flammas inferni euadamus, & in cœlum ascendamus.

Tertia die resurrexit à mortuis.

QVod felix faustumq; sit, emersimus tandem è passione, cruce, morte, sepulchro & inferno, quæ sane tristissima uidebantur. Peruenimus autem ad id, quod est longe omnium iucundissimum, uidelicet, ad Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, qua effectum est, ut illa, quæ uidebãtur esse extrema internetio, habuerint exitum omni felicitatis genere cumulatum. Quare nihil nobis maiori curæ esse debet, quàm ut certissima & firmissima de Resurrectione Christi testimonia habeamus, & ueram de ea fidem concipiamus. Nam si Christus non resurrexisset à mortuis, quid, obsecro, profuisset uel ipsi uel nobis tam horribilem crucis mortem subire, & ad inferos descende

scendere? Inanis, inquit Paulus, esset fides nostra, adhuc essemus in peccatis nostris, & maxime miserabiles omnium hominum essemus. Nunc autem quia Christus uere à mortuis resurrexit, non solum ipse resurrectione sua intrauit in maiestatem Dei Patris sui, uerumetiam contulit ad nos omnem cœlestem salutem.

Recitabimus igitur initio testimonia, ex quibus certo cognoscamus, quòd Christus iuxta hunc Symboli nostri articulum, uere tertia die à mortuis resurrexerit. Deinde exponemus, quantum quidem in præsentia satis uidebitur, quam utilitatem Christi resurrectione sua Ecclesiæ suæ attulerit.

Ac primum, non est sentiendum, quòd Christus ex improuiso, nullo seu testimonio seu uaticinio præcedente, ex morte in uitã emerserit, ac mox ex oculis hominum euanuerit, & sese in Regnum Patris sui, nulla certa resurrectionis suæ significatione post se relicta, proripuerit, Sed multo ante per Prophetas adnunciatum & prædictum fuit, quòd Christus non solum esset moriturus, uerumetiam, quòd esset à mortuis resurrecturus.

Testimonia de resurrectione Christi.

Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec sines, ut Sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi feciſti uias uitæ &c. Hæc est prophetica concio de Resurrectione Christi. Nam quòd hic Psalmus doceat, Christum à mortuis resur-

ſurrecturum teſtatur Petrus Acto. 2. & Paulus Act. 13.

Pſal. 21. Adorabunt in conſpectu eius uniuerſæ familiæ gentium, Quoniam Domini eſt regnum & ipſe dominabitur gentium. Hic Pſalmus cum ante deſcripſiſſet Paßionem & mortem Chriſti, deſcribit his uerſiculis Regnum et maieſtatem eius. Significat igitur clare, quòd Chriſtus ſit à mortuis reſurrecturus.

Eſai. 53. Pro eo quod laborauit anima eius, uidebit & ſaturabitur &c. Hoc certe nihil aliud eſt quàm ſi dixiſſet Propheta, Pro eo quod Chriſtus ſuſcipit dolorem mortis, excitabitur iterum à morte, & conſequetur ſummam fœlicitatem.

Mich. 2. Aſcendit ante eos pandens iter, ſeu perruptor, ac perrumpent ipſi quoq;, & ingredientur ac egrediẽtur per portam. Rex eorum præibit eis, & Dominus erit dux eorum. Hæc concio duo docet. Alterum, quòd Chriſtus perrupturus ſit per crucem & mortem, ad cœleſtem uitam, hoc eſt, reſurrecturum à mortuis. Alterum, quòd Reſurrectione ſua effecturus ſit, ut quotquot in ipſum credunt, perrumpant una cum ipſo per omnia genera malorum, ad uera & perpetua bona.

Quid plura? Vbicunq; Prophetæ concionantur de æterno regno Chriſti, ibi haud obſcure ſignificant, Chriſtum, quem & moriturum uaticinantur, iterum à mortuis reſurrecturum. Quomodo

enim perpetuo regnaret, si mors eum ita detineret, ut non resurgeret?

Prophetæ autem non solum docuerunt Christum à morte resurrecturum, uerumetiam determinauerunt resurrectionis tempus, uidelicet, quòd non sit mansurus multis diebus in sepulchro, sed quòd sit resurrecturus tertia die. Sicut Paulus ait 1. Cor. 15. Resurrexit tertia die secundum scripturas. Ecquæ sunt illæ scripturæ?

Oseæ 6. Viuificabit nos post duos dies. In die tertia suscitabit nos, et uiuemus in conspectu eius. Hoc dictum præcipue concionatur de eo, quòd Christus resurrecturus sit à morte Tertia die. Sententia enim eius hæc est, Resurrectio Christi, quæ fiet tertia die, erit & nostra uiuificatio, resuscitatio, & redemptio.

Ionæ 2. Erat Ionas in uentre piscis, tribus diebus, & tribus noctibus. Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Nam quòd Ionas hac in parte adumbrauerit Christum in tertium tantum diem usq; in morte mansurum, Christus ipse exposuit apud Matth. cap. 12. Sicut Ionas fuit in uentre ceti &c.

Deinde, non Prophetæ tantum, sed & Christus priusquam raptus fuit ad crucem & mortem, manifeste prædicauit se resurrecturum, idq; tertia die, à mortuis. Destruite, inquit, templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Et iterum: Oportet

Filium

Filium hominis multa pati, & reprobari à Senio- Iohan. 2.
ribus & principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & TERTIA DIE resurgere. Sed hæc ex historijs Euangelistarum notiora sunt, quàm ut pluribus hoc loco commemorari debeant.

Postremo, postquam Christus à mortuis resurrexisset, non statim subduxit se oculis discipulorum suorum, sed selegit sibi quadraginta dies, in quibus testatus est palam multis clarissimis & euidentissimis argumentis, se uere à mortuis resurrexisse. Initio, Angeli concionantur Christum resurrexisse & uiuere. Excitat etiam secum à mortuis multos Sanctos, qui ingressi in urbem Hierusalem, apparuerunt multis, & testificati sunt de Resurrectione eius. Deinde reuelat seipse mulieribus, quæ ipsum à Galilæa comitatæ fuerant. Postea uisus est Cephæ, ut Paulus ait, deinde duodecim illis, postea uisus est plus quàm quingentis fratribus simul: Deinde uisus est Iacobo, post Apostolis omnibus Postremo uero omnium, uisus est & mihi, inquit Paulus, uelut abortiuo. Et Petrus Act. 10. ait: Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui COMEDIMVS ET BIBIMVS unà cum illo, postquam resurrexit à mortuis. Et Paulus iterum, Acto. 13. Deus suscitauit eum à mor-

tuis, qui uisus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa ad Hierusalem, qui sunt testes eius apud plebem &c. Non existimes autem eum per hosce dies sic uisum esse, ut cum se se reuelaret, mox è conspectu suorum euanuerit, Sed proposuit sese tangendum, & instituit cum ipsis iucundissima colloquia de Regno Dei, & aliquoties uescebatur etiam cum eis, donec spectantibus ipsis in cœlum ascendit, & postea Spiritum sanctum eis misit, ut loquerentur uarijs linguis, & ederent magna in nomine eius miracula. Quæ certe omnia manifeste confirmant, eum uere à mortuis resurrexisse, nec quicquam certius aut firmius esse, quàm quod deuicta morte acceperit cœleste Regnum, & dominetur ad dextram Dei Patris sui super omnem principatum ac potestatem &c.

Ephes. 1.

Resurrectionis Christi utilitas.

Habes resurrectionis Christi ueritatem. Videamus nunc eius utilitatem. Hæc autem latissime patet, Sed nos conferemus ea in pauca. Christus enim resurrexit à mortuis, ut frueretur quidem ipse cœlesti uita apud Patrem, & dominaretur perpetuo: Non enim sic Resurrexit, quemadmodum filius uiduæ, & Lazarus excitati fuerunt iterum morituri. Nam Christus excitatus à mortuis, ut Paulus ait, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Non autem resurrexit, ut solus frueretur cœlesti fœlicitate, sed ut sua Resurrectione confer

conferret in Ecclesiam suam omne genus ueræ & æternæ salutis.

Primum enim, sicut passione & morte sua expiauit coram Deo Patre suo, peccata nostra, ita et Resurrectione sua impetrauit nobis iusticiam, ut quotquot in eum credimus, reputemur propter ipsum, coram Deo iusti & sancti. Traditus fuit, inquit Paulus, propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Postquam enim Christus resurrexit à mortuis, consedit ad dextram Dei, & intercedit pro nobis, uidelicet, ut Pater, expiatis peccatis nostris, recipiat nos propter ipsum in gratiam, imputet nobis iusticiam ipsius, adoptet nos in filios suos, & agnoscat nos cohæredes ipsius. Quis autem dubitaret, num Deus Pater interceßionem unigeniti, & tam obedientis, & iam recens à morte, quam ex uoluntate Patris susceperat, redeuntis Filij, exaudiret? Quid tam clemens, tam propicius Pater, Filio tam dilecto, tam obsequenti negare posset? Quare cum Christus resurrectione sua intrauerit in regnum Patris sui, & interpellet pro nobis, dubium non est, quin impetret nobis, credentibus in ipsum, ut Deus reputet nos iustos, & adoptet in filios suos propter ipsum. Deinde effecit Resurrectione sua, ut quotquot in ipsum credunt, non pereant æterna morte, sed resurgãt à morte ad æternam uitam & fœlicitatem. Resurgent etiam impij è monumentis suis,

Rom. 4.

Rom. 8.

ſuis, ſed ad ſempiternam condemnationem. Pij autem, qui Chriſtum fide ſua complectuntur, reſurgent in reſurrectionem, ut Chriſtus ipſe loquitur, uitæ, & audient: Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum paratum uobis ab exordio mundi. Nam quòd Reſurrectio Chriſti, ſit & noſtra uita ac reſurrectio, Spiritus ſanctus in Scriptura diligentiſſime exponit, ut cognoſcamus, quo nobis in ſummis & grauiſſimis mortis ac inferni tentationibus confidendum ſit.

Chriſti reſurrectio noſtra eſt reſurrectio.

Iohan. 11. Ego ſum Reſurrectio & Vita, Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum.

1. Corinth. 15. Chriſtus ſurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormierant, fuit. Poſtquam enim per hominem mors, etiam per Hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtum omnes uiuificabuntur &c.

1. Theſſ. 4. Si credimus, quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, Sic & Deus eos, qui obdormierunt per Ieſum, adducet cum illo &c.

Epheſ. 2. Cum eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Chriſto (per gratiam eſtis ſeruati) ſimulq; cum eo reſuſcitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes, &c.

Coloſſ.

Coloss. 2. Vos cum essetis mortui per delicta & per præpucium carnis uestræ simul cum illo uiuificauit &c. Etsi enim, quamdiu in hac corporali uita sumus, nihil minus apparet, propter uarias afflictiones, & mortẽ, quibus sumus obnoxij, quàm quod simus una cum Christo uiuificati, & à mortuis excitati, certißimum tamen est, quòd cum facti simus membra Christi per fidem, acceperimus etiam & poßideamus per fidẽ ius Resurrectionis, ut quod nunc in spe poßidemus, reipsa suo tempore in nobis reueletur. Regenuit nos, inquit Petrus, in spem uiuam, per hoc, quòd resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem immortalem, & incontaminabilem &c. Et Iohannes: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniã uidebimus eum sicuti est. Et Paulus, Noster municipatus in cœlis est, ex quo & Seruatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso secundum efficaciam, qua potest etiã subijcere sibi omnia. Quare excitemus, commemoratione huius articuli de Resurrectione Christi, fidem nostram, & confirmemus animum nostrum in omnibus aduersis & doloribus mortis, ut cum cogitamus nos Resurrectioni Christi incorporatos esse, cognoscamus etiam nos non perituros in morte, sed conseruari potentia

2. Pet. 1.

2. Iohan. 3.

Philip. 3.

tentia Resurrectionis Christi, ad hæreditatem cœlestis & perpetuæ uitæ.

Fidē de resurrectione sequitur nouitas uitæ.

Sciamus autem, q̄ fides de Resurrectione Christi non extendit tantum uires suas in nouissimum huius seculi diem, quo à morte per Christum excitabimur, sed etiam exercet, si uera fuerit, uires suas in præsenti uita, ut cum uere credimus, nos habere ius Resurrectionis, & esse Resurrectionis filios, excitemur per Spiritum sanctum, ut ducamus uitam Resurrectione dignam. Nam, qui post acceptam de Resurrectione Christi doctrinam, pergit desiderijs peccati obsequi, & sceleratus esse, etsi uerbis hunc articulum recitat, tamen uere ludibrio habet in latebris cordis sui Resurrectionem Christi, & palam factis suis testificatur, se potius Condemnationis, quàm Resurrectionis filium esse. Si autem uere credideris Christum à mortuis resurrexisse, et te Resurrectionis eius participē esse, teneri nō debes, quin nouitate & pietate uitæ tuæ declares te ab operibus mortis, quæ sunt peccata, resurrexisse, et iam eam uitā in terris meditari, & exercere, quam sis perpetuo in Resurrectione, cum Christo, et omnibus pijs, in cœlo transacturus. Si resurrexistis, inquit Paulus, unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, superna curate, non terrestria. Siquidem emortui estis, & uita uestra abscondita est in Christo, cum Deo. Quandocunq; Christus manifesta-

Colo. 3.

tus

tus fuerit,uita ueſtra, tunc & uos cum illo manifeſtabimini in gloria. Mortificate igitur mẽbra ue ſtra terreſtria &c. Et iterum: Sepulti ſumus una cum illo per baptiſmum in mortem,ut quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriã Patris,ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Ac rurſus: Si unus pro omnibus mortuus fuit,ergo omnes mortui fuerunt,et pro omnibus mortuus eſt, ut qui uiuunt, poſthac non ſibi uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt,& Reſurrexit &c. Rom. 6. 2. Cor. 5.

Aſcendit in cœlum.

ASCenſus Chriſti in cœlum commendatur nobis non tantum ſolenni recitatione eius in Symbolo,uerumetiam publico & anniuerſario die feſto, ut cum cognoſcimus etiã hoc, quod Prophetæ de Aſcenſu Meßiæ in cœlũ uaticinati ſunt,in Ieſu filio uirginis Mariæ impletũ eſſe, certo ſciamus hunc ſolum Ieſum eſſe uerum Meßiam,nec aliũ Meßiam ac Seruatorem eſſe agnoſcendum. Audiamus igitur initio narrationẽ rei geſtæ,ſicut eam Marcus capite decimo ſexto,& Lucas capite uigeſimo quarto, & Act. 1. deſcribunt. Poſtquã enim Ieſus Chriſtus reuelauerat ſeſe Diſcipulis ſuis ſæpe ac multum,per quadraginta dies à Reſurrectiõne, & comprobauerat multis, uarijs, & manifeſtis argumentis, ſe uere à mortuis reſurrexiſſe Hiſtoria aſcenſionis Chriſti.

rexisse, educit quadragesimo die discipulos una cõ gregatos, cum dedisset eis mandata, de expectando Spiritu sancto Hierosolymis, & diuulgando Euangelio suo in totum orbem terræ, ad Bethaniam, in montem Olueti, & ibi sublatis in altum manibus, benedixit eis, ac statim uidentibus ipsis sublatus est in altum, in cœlum, & nubes subduxit eum ab oculis eorum. Duo autem Angeli, qui amicti albis uestibus, prope astabant ex improuiso, iubent eos ad Hierosolymam reuerti, & docent eos, q; Iesus Christus, quem uidissent in altum ferri, nõ sit perditus, sed in cœlum assumptus, & sic reuersurus ad iudicandos uiuos et mortuos, quemadmodum uidissent eum in cœlum euntem.

Hæc est narratio rei gestæ de Ascensu Iesu Christi in cœlum. Sciamus autem Prophetas quoq; de Ascensu Christi uaticinatos esse, et manifestum sit hoc spectaculum non fuisse temere institutum, sed diuinitus ordinatum.

Vaticinia prophetarum de ascensu Christi.

Psal. 46. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in uoce tubæ. Hic enim Psalmus concionatur de Christo, & Regno eius dilatando inter omnes gentes. Quare commemorat eum Ascendere in cœlum, et agere cœlestem triumphum, ut fiat Rex omnis terræ.

Psal. 67. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Nam hoc dictum

Psal

Psalmi intelligendum esse de Ascensu Christi in cœlum, perspicue interpretatur Paulus ad Ephes. cap. 4.

Zach. 14. *Stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Hierusalem, ad orientem, & scindetur mons Oliuarum, ex media parte sui ad orientem & occidentem &c.* Hoc loco Propheta significat Christum non solum ascensurum in cœlum, sed etiam ascensurum eo, in monte Olineti. Et cum addit, Montem Oliueti scindendum ex media parte sui ad orientem & occidentem &c. tunc impletum est, cum Apostoli regressi sunt ex monte Oliueti ad Hierusalem, & diuulgauerunt inde, accepto Spiritu sancto, Euangelium Christi in uniuersum orbem, ad orientem, occidentem, meridiem & septentrionem. Sicut Christus dicit: Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq;, denique usq; ad extrema terræ. Hoc uere fuit scindi montem Oliueti, ex quo Christus in cœlum ascenderat, ad quatuor partes huius mundi.

Quod cum ita se habet, uidendum nunc erit, quid sibi uelit hic ascensus Christi in cœlum. Non est autem sentiendum, q. Christus hoc ascensu significauerit, se hactenus non fuisse in cœlesti Regno Patris sui. Christus enim statim Resurrectione sua intrauit in gloriam Patris, & accepit cœleste Regnum. Nec est sentiendum, quòd Christus sic

An christg prius in coelo fuerit?

aſcenderit in cœlum, ut commoretur in hoc exter no & utſibili cœlo,& habitet ibi localiter. Dicit enim Paulus Ephe. 4. Aſcendit ſuper omnes cœ- los,ut impleret OMNIA, uidelicet, tam infera quàm ſupera.

Aſcenſus Chriſti qd doceat.

I Quid ergo Chriſtus ſibi hoc aſcenſu uoluit? Primum,ſignificauit ſe deinceps uſque ad nouiſſi- mum huius ſeculi diem non conuerſaturum eſſe cum hominibus in hac terra niſibiliter, ſicut ante paßionem ſuam conuerſatus eſt cum eis triginta tribus annis,& poſt Reſurrectionem, quadragin- ta diebus. Voluit enim ante paßionem conſuetudi- nem uitæ inter homines agere, ut prædicaret Eu- angelium ſuum, ut teſtificaretur miraculis uerita tem Euangelij, atque perficeret myſterium redem ptionis noſtræ, ad quod peragendum aſſumpſerat humanam naturam. Poſt reſurrectionem uero uo- luit ſeſe uiuum & palpabilem diſcipulis pateſa- cere, ut ueritatem Reſurrectionis ſuæ certißimis argumentis comprobaret. Nunc autem aſcendit quadrageſimo die à Reſurrectione, in cœlum,ut ſi gnificet ſe poſthac, donec nouiſſimus ueniat dies, non eſſe in his terris uiſibilem & palpabilem quæ rendum. Viſus quidem poſtea eſt Stephano,et Pau lo,non autem corporali modo & conuerſatione, ſed in cœlis,& in Maieſtate ſua,quatenus quidem ſeſe reuelare uoluit,et illi capere potuerunt. Qua re poſtquam Chriſtus aſcendit in cœlum, non eſt

nobis

nobis amplius uisibile eius colloquium in his terris expectandum, Sed audienda est apostolica de Christo doctrina, in qua & nobis acquiescendum est.

Et recte intellexit ueram ascensus Christi rationem senex ille Eremita, cui cum se Diabolus in Angelum lucis transformatum ostentaret, ac diceret, En respice, Ego sum Christus, confestim clausit oculos, & respondit: Ego hic Christum uidere nolo, sed in alia uita. Et alius quispiam, cum Dæmones pollicerentur se demonstraturos ei Christum, abominatus eos, dixit, Anathema & uobis, & de quo dicitis. Ego autem credo meo Christo, dicenti, Si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere.

Eremita

Alius

Deinde, Christus significauit ascensu suo in cœlum, quod etsi accepit dominationem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, tamen Regnum eius non sit mundanum, nec tueatur ac seruet suos mundano more, sed habeat regnum cœleste, et seruet suos spiritualiter, donec aduenerit nouissimus dies, quo reuelabitur uera salus piorũ, quæ & perpetuo constabit. Oportet eum, inquit Petrus, cœlũ accipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium Sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Hoc autem de Ascensu Christi in cœlum eo diligentius considerandum est, quo admirabilius uidetur, quòd cum Christus Filius Dei possideat Regnum cœli & terræ,

Act. 3.

posit tamen conniuere, non solum, ut Ecclesia sua grauissime in hoc seculo affligatur, uerumetiam suum ipsius nomen ab impijs uirulentissime proscindatur, et extrema contumelia afficiatur. Nam huius conniuentiæ & tolerantiæ causam exponit Ascensus Christi in cœlum. Iudæi Stephanum, uirum optimum, lapidibus crudeliter obruunt. Herodes occidit gladio Iacobum Apostolum, Christo dilectissimum. Nero sæuit ense suo in Paulum, electum organon Christi. Ethnici grassantur immanissime omni suppliciorum genere in eum populum, propter quem Christus filius Dei è cœlo descenderat. Cur ergo Christus tantam crudelitatem & immanitatem tolerat? Cur non statim uindicat eam fulminibus? Causa huius rei est, Quia Ascendit in cœlum, & accepit Regnum spirituale. Epicurei suauiter secum rident Euangelium Christi. Iudæi & Turcæ inuehuntur ad Christum manifestis blasphemijs. Extant & inter Iudæos uirulentissimi libelli de Iesu Christo. Cur ergo Christus ad hæc conuicia & blasphemias conniuet? Cur non statim mittit ignem de cœlo, qui blasphemos unà cum scriptis suis deuoret? Causa huius rei est, Quia Christus ascendit in cœlum, & administrat Regnum suum spiritualiter, uindicaturus quidem suo tempore omnem impietatem & blasphemiam, interea autem expectans iuxta diuicias bonitatis suæ, impiorum pœnitentiam.

Quid

Quid igitur dicemus? Num propter tolerantiam Christi, qua expectat pœnitentiam impiorum, pereundum est pijs in hoc seculo, & gloria nominis eius extinguenda? Nihil certe minus. Etsi enim Christus sinit suos affligi, & gloriam nominis sui sordidari, tamen nunquam dormitat qui custodit Israel. Aut enim liberat aliquoties suos è periculo I manifestis miraculis, ut gloriam Nominis sui aliquo modo illustret, sicut liberauit, misso Angelo, Apostolos è carcere, Act. 5. & Petrum Act. 12. Aut II si non liberat eos externis miraculis, tamen mitigat eis afflictiones, & conseruat eos, etiam in media morte, ut accipiant æternam salutem. Nam quemadmodum duxit secum Ecclesiam suam, in mortem & sepulturam suam, ut supra indicauimus, ita etiam reduxit eam secum in uitam, et auexit ipsam secum in cœlum, ut habeat in ipso & propter ipsum ius cœlestis Regni. Conuiuificauit nos, inquit, Paulus, una cum Christo, simulq; cum Ephe. 2. eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Quare fieri non potest, ut Ecclesia in aduersis & afflictionibus suis pereat, etiamsi uideatur in oculis huius mundi penitus oppressa & deleta.

Postremo, hic articulus de Ascensu Christi in 3 cœlum, non tantum est consolatio, ut aduersa quæque fortiter feramus, quod una cum Christo ascendimus in cœlum, et habeamus in eo ius cœlestis Re-

gni, sed etiam est admonitio, ut cum noster municipatus nunc sit in cœlo, excitemur ad deserendam terrestrem uitam & ad sectandam uitam cœlestem. Terrestris uita est, quæ seruit peccato, & obsequitur desiderijs peccati. Cœlestis uita est, quæ seruit iusticiæ, & obsequitur uocationi Dei. Cum igitur ascensu Christi facti simus ciues cœli, debemus etiam uitam cœlestium ciuium sectari, ut & bonis eorum perpetuo fruamur.

Sedet ad dextram Dei patris omnipotentis.

HIc est obseruabilis articulus, qui, cum exponat summam & cœlestem maiestatem Domini nostri Iesu Christi, affert nobis magnam in omnibus aduersis, adeoq; in ipsis mortis doloribus consolationem. Quare multa diligentia adhibenda est, ut eum recte intelligamus, & ueram atq; constantem ei fidem adhibeamus.

Ac initio, percurramus quædam testimonia sacræ scripturæ, quibus hic articulus nobis traditur, & comprobatur.

Christum sedere ad dextram Patris.

Psalm. 2. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam &c. Cum Deus Pater agnoscit Christum filium suum, quem ab æterno, è substantia sua genuerit, haud obscure significat

cum

eum ſedere ad dextram ſuam, & eiuſdem cum ipſo maieſtatis eſſe.

Pſal. 109. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.

Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Habere autem poteſtatem omnem in cœlo & in terra, eſt ad dextram Dei ſedere, ut poſtea explicabitur.

Marc. 16. Conſedit ad dextram Dei.

Ephe. 1. Exercuit efficaciam in Chriſto, cum ſuſcitaret eum à mortuis, et ſedere fecit ad dextram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum & poteſtatem &c.

Philip. 2. Dedit ei nomen ſuper omne nomen, ut in nomine eius flectant &c.

1. Pet. 3. Per Reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt ad dextram Dei profectus in cœlum, ſubiectis ſibi Angelis, poteſtatibus, & uirtutibus.

Act. 7. Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei &c.

Heb. 1. Conſedit in dextra maieſtatis in excelſis. Et ca. 10. Perpetuo ſedet ad dextram Dei etc.

Christus qñ & quomodo ſedeat ad dextrã Patris.

Sed hæc teſtimonia in præſentia ſufficiant. Nam omnia enumerare longum eſſet. Videamus autem nunc, quomodo hic articulus intelligendus ſit, ut & uſum eius cognoſcamus. Non enim ſentiendum eſt, quòd Chriſtus filius Dei tunc primum conſederit ad dextram Patris ſui, cum aſcendit

in cœlum. Nam quod ad diuinitatem eius attinet, conſedit ſemper ab æterno ad dextram Patris, q̃ ſit eiuſdem cum ipſo eſſentiæ, & maieſtatis. Quod autem attinet ad humanitatem eius, conſedit quidē ipſa rei ueritate, ad dextram Dei Patris, quàm primum uerbum caro factum eſt. Vna enim eſt perſona, Deus & homo: reuelatione autem & glorificatione non ante dicitur ad dextram Patris conſediſſe, quàm reſurrexit à mortuis, & aſcendit in

Act. 2. cœlum. Tunc enim, miſſo Spiritu ſancto, declaratum eſt, quòd Deus fecerit, quemadmodum Petrus loquitur, Ieſum, quem Iudæi crucifixerunt, Chriſtum & Dominum, & q̃ exaltauerit eum ſu-

Ephe. 1. pra omnem principatum, ut Paulus ait, ac poteſtatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, uerumetiam in futuro &c. Deinde, non eſt ſentiendum, quòd in cœlo ſint tam craſſa ſpectacula, ut filius ſedeat in externo throno, ad externam Patris dextram, quemadmodum in hoc ſeculo filius aliquoties aſsidet Patri ſuo, ſed cũ dicitur, Chriſtum ſedere ad dextram Dei patris ſui, intelligendum eſt, quòd Chriſtus filius Dei, homo factus, regnet in cœlo eadem omnipotentia & maieſtate cum Deo

Sedere q̃d ſignificet. Patre ſuo. Sedere enim in hoc articulo, non eſt ſimpliciter ſedere, pro hominum uulgarium more, ſed eſt Sedere more regio, hoc eſt, regnare & imperare. Hinc Metropoles Regum ſolent dici, Throni

aut

aut Sedes Regiæ. Dextera autem Dei, non est corporale membrum, sed uirtus et omnipotentia Dei. Vnde Psalm. 117. dicitur: Dextera Domini fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit uirtutem. Hic uides, dexteram Dei dici omnipotentem uirtutem Dei. Quare Sedere ad dextram Dei, est regnare omnipotenti & diuina maiestate. Sic & illud intelligendum est, quod Stephanus ait, Iesum à dextris Dei stare, non quòd stet crasso modo, sed quòd habeat una cum Patre suo Regnum stabile, firmum, & nunquam in æternum deijciendum.

Dextra qd sit.

Sedere ad dextram.

Quod cum ita se habet, considerandum est, quem usum nobis hic articulus, per fidem acceptus exhibeat. Sciamus igitur, quòd sicut Christus accepit secum Ecclesiam suam in crucem, in mortem & sepulturam, similiter, ad resurrectionem, & in cœlum, ita accepit etiam eam secum ad dexteram Patris sui, ut non solum ipse consederit ad dexteram Patris, & factus sit omnipotens, uerumetiam fecerit cum ipso & in ipso Ecclesiam suam omnipotentem. Sic enim Paulus ad Ephesios scribens: Deus, inquit, conuiuificauit nos una cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes &c. Etsi enim tantæ sunt ærumnæ Ecclesiæ in hoc seculo, ut uideatur potius sedere cum Satana in tenebris inferni, quàm cum Christo in maiestate cœlesti, tamen cum certifica-

Vtilitas sessionis Christi ad dextram patris.

Ephe. 2.

ti ſimus uerbo Domini, et ſciamus per fidem, quòd Chriſtus ſedeat ad dextram Dei Patris ſui, et nos ſimus membra eius, fieri nõ poteſt, ut ærumnæ nos opprimant, & uictoriam è nobis reportent, ſed neceſſe habeant nos tam ſaluos dimittere, quàm Ieſum Chriſtum Dominum & caput noſtrum dimiſerunt. Quare ſi magnitudo peccati, & grauitas iudicij eius tibi moleſta eſt, & conatur te in ignem inferni detrudere, tunc ſumendus eſt hic articulus in manus fidei. Cogitandum eſt, quòd Chriſtus, qui eſt caro & ſanguis noſter, ſedeat in omnipotentia Dei, & collocauerit nos in eadem maieſtate. Sicut ergo peccatum non poteſt dominari in Chriſtum, & detrahere eum de maieſtate ſua in infernũ: ita nec poteſt nos, qui ſumus membra Chriſti, & habemus idem cum ipſo ius cœleſtis maieſtatis, in infernum deijcere. Etſi enim nos hi ſumus, qui & peccatum in carne geſtamus, & fructum eius protulimus, tamen Chriſtus expiauit morte ſua peccatum, & impetrauit nobis, ut cum credimus in ipſum, peccatum nõ imputetur nobis. Quòd ſi uel morbus, uel exilium, uel alia calamitas ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis minatur nobis exitium, reuocandum eſt in animum, quòd Chriſtus ſedeat ad dextram Dei, & collocarit nos, qui credimus in eum, in eodem throno, ut quemadmodum nulla afflictio poteſt ei exitio eſſe, ita nec nobis queat eſſe detrimentoſa. Quòd ſi mors minatur

tur nobis internecionem, ponamus nobis hunc articulum ob oculos, & sentiamus, quòd sicut mors non amplius dominatur Christo sedenti ad dexteram Dei, ita nec nobis, quos Christus secum ad dextram Dei assumpsit, dominari posit. Siue enim uiuimus, inquit Paulus, siue morimur, Domini sumus. Et iterum, Quis est ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Rom. 14. Rom. 8.

Inde uenturus est ad iudicandum uiuos & mortuos.

A Bascensu Christi in cœlum, et sessione eius ad dextram Dei Patris sui, peruenimus mox ad commemorationem extremi iudicij, quo Christus uenturus & iudicaturus est uiuos et mortuos. Quid ergo de tanto saltu dicemus? Numerantur hoc anno, quo ista scribimus, A natiuitate Christi, Mille, quingenti, & quinquaginta anni. A quibus si detraxeris annos uitæ Christi, in hoc seculo, uidelicet, Trigimta tres, reliqui erunt anni mille, quingenti decem & septem à Resurrectione & Ascensu Christi in cœlum. Et quis nouit, quot adhuc reliqui erunt usque ad nouissimum diem? Nihil ne interea temporis, aut factum est, aut

adhuc

adhuc fiet, quod fide nostra cognoscendum & susscipiendum præscribitur, Sed, postquam Christus ascendit in cœlum, aliud nihil nobis expectandum erit in terris, præterquam extremum iudiciam, in tot iam annos dilatum? De hac re quædam, priusquam extremum iudicium explicamus, dicenda erunt.

Regnorũ duo genera

Sunt enim duo genera Regnorum in his terris. Alia sunt Regna huius seculi. Aliud est Regnum Christi, filij Dei. Quod igitur ad Regna & imperia huius seculi attinet, nihil aliud Ecclesiæ post Ascensum Christi in cœlum, & missum Spiritum sanctum, præscribitur, quàm ut unusquisq; obediat in rebus ciuilibus suo Magistratui, & commendet Domino precibus suis publicam Regnorum tranquillitatem, quam et alijs, quibus potest, officijs adiuuet. Nam priusquam quidem Christus hominem assumpserat, necessarium erat, ut Prophetæ docerent Ecclesiam de successionibus & mutationibus regnorum huius mundi, ut Israelitæ, è quibus Christus uenturus erat, cognoscerent certam durationem politiæ suæ, & certum tempus aduentus Christi. Vnde Hieremias concionatur de septuagintà annis captiuitatis Babylonicæ, & postea Daniel de successione quatuor Monarchiarum usque ad Christum, ut Ecclesia Domini sciret, in tantis regnorum mundanorum mutationibus, politiam Israeliticam certo conseruandam, donec ueniret Chri-

stus

ſtus. Erat enim Eccleſiæ certa, uſq; ad Chriſtum, ſedes & politia promiſſa.

Sed poſtquam Chriſtus aduenit, & abſoluit in terris miniſterium ſuum, non eſt nobis opus Prophetis, qui adnuncient mutationes & ſucceßiones Regnorum in hoc ſeculo, propterea quòd nec Eccleſiæ certa ſedes in terris ſit definita, ſed ſparſa in totum orbem, nec aliquod mundanum regnum Eccleſiæ in his terris promiſſum, nec certum tempus Secundi aduentus Chriſti oſtenſum. Quare, cum mutationes & ſucceßiones Regnorum in terris, poſt Aſcenſum Chriſti in cœlum, nihil ad Eccleſiam & Religionem eius pertineant, uiſum eſt nihil de his in Symbolo commemorare. Multum quidem refert, ad Regum & Principum ſalutem, ut & ipſi agnoſcant Chriſtum, & præbeant Eccleſiæ Chriſti hoſpitia, ac promiſſum quoque eſt diuinitus, aliquot Reges & Principes fore Eccleſiæ nutritores, Sed ad cõſeruandam Eccleſiæ ſalutem, nihil magis refert, quis ſit terræ Monarcha, quàm quis ſit unius aut alterius oppiduli præfectus. Quod autem ad regnum Chriſti attinet, omnia nobis ad ſalutem cognitu neceſſaria patefiunt, cum traditur nobis iuxta Symbolum, quòd ab aſcenſu Chriſti in cœlum, uſque ad extremum iudicium, Chriſtus filius Dei ſedeat ad dextram Dei Patris omnipotentis. In hoc enim comprehenditur, quòd Spiritus ſanctus miſſus ſit Apoſtolis in die Pentecoſtes

coſtes, q. Euangelium uulgatum ſit per Apoſtolos in uniuerſum orbem terræ, q. multæ quidē et graniſſimæ ſint afflictiones Eccleſiæ, quæ inferuntur ei partim à tyrannis, partim ab hæreticis, partim ab Antichriſto, & ſatellitibus eius, adeoq; ab omnibus impijs, inter quos commorari ſolet, Chriſtus autem tueatur eam, & miniſterium Euangelij eius, in medio inimicorum eius, & conſeruet eam uſq; ad nouiſſimum huius ſeculi diem, quo pij, perditis omnibus impijs, cœleſtem gloriam cōſequentur. Quare, cum in Symbolo non aliud nobis poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, & ante extremum iudicium traditur, quàm quòd Chriſtus ſedeat ad dextram Dei Patris omnipotentis, ſentiamus omnia nobis ſufficienter tradi, quæ operæprecium fuerit de rebus uſque ad nouiſſimum diem in terra euenturis, cognoſcere. Sed de his hactenus. Videamus nunc de extremo iudicio, de quo hic articulus concionatur. Ac primum, de certitudine huius Iudicij. Deinde, quis ſit futurus Iudex. Præterea, Quos ſit iudicaturus. Poſtremo, ſecundum quas leges hoc iudicium ferendum ſit.

De certitudine extremi Iudicij.

ETSI incertum eſt, quo tempore, quo die, qua hora futurum ſit generale, & extremum Iudicium: De die illo, ac tempore, inquit Chriſtus, nemo nouit

nouit, ne Angeli quidem, qui sunt in cœlo, nec ipse Filius (iuxta uocationem uidelicet externi sui in hoc seculo ministerij) sed solus Pater, tamen nihil certius est, quàm quòd suo diuinitus definito tempore sit uenturum. Nam res ipsa testatur, q̃ non omnia mala in hoc mundo puniantur, & q̃ maior sit rerum in hoc mundo confusio, quàm quæ ab hominibus corrigi & componi queat. Fieri autem non potest, ut mala maneant semper impunita, & ut tanta rerum confusio perpetuo constet. Manifestum igitur est, q̃ futurum sit generale iudicium, in quo & mala omnia puniantur, & confusa ordinentur, & componantur. Marc. 13.

Sed de hac re audienda sunt testimonia sacræ Scripturæ, quæ sunt certissima oracula Spiritus sancti. Testimonia de Iudicio extremo.

Gen. 4. Si bene egeris, erit remissio, Si uero non bene egeris, peccatum ad fores cubat, hoc est, si fueris iustus per fidem, habebis remissionem peccati, si autem peccaueris, tunc etiamsi peccatum manet aliquandiu sopitum & impunitum, tamen excitabitur uel tandem, et punietur, si non in hoc seculo, certe in futuro.

Iudas, de concione Patriarchæ Enoch, in Epistola sua ita scribit: Prophetauit de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce uenit Dominus in sanctis milibus suis, ut faciat iudiciũ aduersus omnes, & redarguat omnes ex eis, qui sunt impij, de factis

ctis omnibus, quæ impie patrarunt, deq; omnibus duris, quæ locuti sunt aduersus eum peccatores impij.

Psal. 9. Parauit in iudicio thronum suum. Et ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iusticia.

Psal. 61. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia: Quia tu reddis unicuiq; iuxta opera sua.

Esa. 45. In memetipso iuraui, Egredietur de ore meo uerbum iusticiæ, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Nam hunc Esaiæ locum Paulus manifeste exponit de extremo iudicio Rom. 14.

Paulus Rom. 2. Colligis tibi ipsi iram in die iræ, in quo patefiet iustum iudicium Dei, qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua.

2. Pet. 3. Haud tardat Dominus, qui promisit, quemadmodum nonnulli tarditatem existimant, &c. Et mox: Veniet dies Domini sicut fur in nocte &c.

Deniq; uniuersa Scriptura plena est de iudicio futuro inter pios & impios. Hoc autem iudicium nõ uidetur perfecte absolui perdurante adhuc hoc mundo. Impij enim in hoc mundo dominari, pij autem opprimi solent. Quare futurum sit in fine mundi necesse est, quo omnia recte ordinentur & componantur.

Quis

Quis sit futurus Iudex.

NON est obscurum, quòd Scriptura tribuat Domino Deo nostro epitheton ueri & iusti iudicis. Deus, inquit Psalmus, iudex iustus, fortis, & paciens. Et iterum: Deus iudex est, hunc humiliat, et hunc exaltat. Et Paulus: Coronam iusticiæ reddet mihi Dominus in illo die, qui est iustus iudex. Hic autem articulus, in quo dicimus, Inde uenturus est ad iudicandum uiuos & mortuos, clare exponit hunc Dominum Deum, iustum Iudicem, esse Iesum Christum, sedentem ad dextram Dei patris sui omnipotentis. Cuius rei manifesta sunt testimonia Apostolicæ scripturæ. Psal. 7. Psal. 74.

Iohan. 5. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Et mox: Dedit potestatem iudicandi, quia Filius hominis est. Christus est iudex orbis totius in die nouiß.

Matth. 25. Cum uenerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c.

Act. 1. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet, quemadmodum uidistis eum euntem in cœlum.

Act. 10. Præcepit nobis, ut prædicaremus populo, ac testificaremur, quòd ipse sit ille, qui constitutus erat à Deo Iudex uiuorum & mortuorum.

Act. 17. *Statuit diem in quo iudicaturus est orbem terrarum cum iustitia, per eum Virum, per quem decreuerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illum à mortuis.* Vides *Iesum Christum Dominum & Seruatorem nostrum, futurum Iudicem totius orbis terræ in nouissimo die. Etsi enim cooptat sibi in collegas iudicij, Apostolos suos, & omnes pios, Vos, inquiens, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Et *Paulus: An nescitis, quòd Sancti mundum iudicabunt? Et mox: An nescitis, quòd Angelos iudicabimus? tamen summa Iudicij autoritas est penes solum Iesum Christum, cuius assessores, Apostoli & reliqui Sancti idcirco dicuntur, quòd sint membra eius, & quòd iudicium pronunciabitur iuxta prædicationem Apostolorum & fidem Sanctorum, quemadmodum mox dicetur.*

Apostoli et omnes sancti assessores sunt extremi Iudicij.

Cum igitur sciamus Iudicem orbis terræ, in nouissimo die futurum, non Regem quendam aut Monarcham mundanum, non Pharaonem, non Nabuchodonosorem, non Cambysem, non Alexandrum Magnum, non Antiochum, non Herodem, nõ Neronem, non Diocletianum, non Caipham, non Pontificem Romanum, sed Iesum Christum, Mediatorem & Intercessorem nostrum, non metuamus interitum, etiamsi tyranni nos condemnent & occidant

dant, ſed ſperemus certam & firmam ſalutem, q. Ieſus Chriſtus, caput noſtrum, imo et frater noſter, pronunciaturus tandem ſit inter nos & illos uerum iudicium, quo illi perpetuo condemnabuntur, nos autem perpetuo ſalnabimur.

Quos Ieſus Chriſtus ſit iudicaturus.

NEC hoc ſilentio præterit Symbolum. Dicit enim: Venturus eſt ad iudicandum VIVOS ET MORTVOS. Accedunt autem & teſtimonia Scripturæ.

Petrus Act. 10. ait, Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex VIVORVM ET MORTVORVM. Omnes homines eſſe iudicãdos.

2. Timoth. 4. Obteſtor ego coram Deo, & Domino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos.

1. Pet. 4. Reddituri ſunt rationem ei, qui paratus eſt ad iudicandum uiuos & mortuos. Cognoſcamus igitur, quid per Viuos ac Mortuos intelligendum ſit. Ac initio, Viui dicuntur Iudæi, quòd coluerint uiuum ac uerum Deum. Mortui autem dicuntur Gentes incircunciſæ, quæ coluerunt mortua idola, et mortuos homines pro dijs. Sic enim de mortuis loquitur Chriſtus Iohan. 5. Veniet hora & nunc eſt, quando mortui (hoc eſt, Gentes colentes Deos mortuos) audient uocem Filij Dei, & qui

Act. 17. *Statuit diem in quo iudicaturus est or*
bem terrarum cum iusticia, per eum Virum, per
quem decreuerat, fide præstita omnibus, cum exci
tarit illum à mortuis. Vides Iesum Christum Dom*num & Seruatorem nostrum, futurum Iudicem to*
tius orbis terræ in nouissimo die. Etsi enim coopta*sibi in collegas iudicij, Apostolos suos, & omnes p*
*os, Vos, inquiens, qui secuti estis me in regenera*ne, *cum sederit Filius hominis in sede Maiesta*
suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudica
tes duodecim tribus Israel. Et Paulus: *An nescitis,*
quòd Sancti mundum iudicabunt? Et *mox: An ne*
scitis, quòd Angelos iudicabimus? tamen summa
Iudicij *autoritas est penes solum Iesum Christum,*
cuius assessores, Apostoli & reliqui Sancti idcirco
dicuntur, quòd sint membra eius, & quòd iudici
um pronunciabitur iuxta prædicationem Apostolorum & fidem Sanctorum, quemadmodum max.
dicetur.

Apostoli et omnes sancti assessores sunt extremi Iudicij.

Cum igitur sciamus Iudicem orbis terræ, in nouissimo die futurum, non Regem quendam aut Monarcham mundanum, non Pharaonem, non Nabuchodonosorem, non Cambysem, non Alexandrum Magnum, non Antiochum, non Herodem, nō Neronem, non Diocletianum, non Caipham, non Pontificem Romanum, sed Iesum Christum, Mediatorem & Intercessorem nostrum, non metuamus interitum, etiamsi tyranni nos condemnent & occi-

dant

dant, ſed ſperemus certam & firmam ſalutem, q. Ieſus Chriſtus, caput noſtrum, imo et frater noſter, pronunciaturus tandem ſit inter nos & illos uerum iudicium, quo illi perpetuo condemnabuntur, nos autem perpetuo ſaluabimur.

Quos Ieſus Chriſtus ſit iudicaturus.

NEC hoc ſilentio præterit Symbolum. Dicit enim: Venturus eſt ad iudicandum VIVOS ET MORTVOS. Accedunt autem & teſtimonia Scripturæ.

Petrus Act. 10. ait, Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex VIVORVM ET MORTVORVM. Omnes homines eſſe iudicãdos.

2. Timoth. 4. Obteſtor ego coram Deo, & Domino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos.

1. Pet. 4. Reddituri ſunt rationem ei, qui paratus eſt ad iudicandum uiuos & mortuos. Cognoſcamus igitur, quid per Viuos ac Mortuos intelligendum ſit. Ac initio, Viui dicuntur Iudæi, quòd coluerint uiuum ac uerum Deum. Mortui autem dicuntur Gentes incircunciſæ, quæ coluerunt mortua idola, et mortuos homines pro dijs. Sic enim de mortuis loquitur Chriſtus Iohan. 5. Veniet hora & nunc eſt, quando mortui (hoc eſt, Gentes colentes Deos mortuos) audient uocem Filij Dei, & qui

audierint, uiuent. Et 1. Pet. 4. In hoc mortuis (hoc est, Gentibus idolatris) prædicatum est Euangelium &c. Quare cum in Symbolo dicitur, Christum iudicaturum uiuos & mortuos, significat eum iudicaturum omnes homines, siue Iudæos siue Gentes. Fuerunt quidem in terris potentißimi Monarchæ, Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander Magnus, Octauius Augustus, & alij. Nullus autem eorum fuit iudex seu Dominus omnium hominum. Solus Iesus Christus iudicat omnes homines, quocunque nomine uocentur, & in quacunq; terra habitent.

Viui & mortui qui dicantur.

Deinde, per Viuos intelligendi sunt hi, quos nouißimus dies adhuc uiuos in terra deprehendit, Per Mortuos autem intelligendi sunt hi, qui ante nouißimum diem è uita excesserunt. Non enim omnes homines morientur ante nouißimum diem, sed multi deprehendentur à nouißimo die Viui, qui non morientur, sicut alij homines ante se, sed immutabuntur. Ecce, inquit Paulus 1. Cor. 15. mysterium dico uobis, Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Et 1. Thess. 4. Mortui in Christo resurgent primum, deinde nos, qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, et sic semper cum Domino erimus.

1 Cor. 15

1 Thess. 4

Cum

Cum ergo Symbolum dicit, Christum uenturū ad iudicandum uiuos & mortuos, intelligamus Christum iudicaturum omnes homines, siue Iudæos, siue Gentes, siue ante nouissimum diem mortuos, siue in nouissimo die adhuc uiuos inuentos, nec ullum hominem quantumuis potentem, aut sapientem, posse iudicium Christi effugere.

Secundum quam legem Christus pronunciaturus est sententiam extremi Iudicij?

MVLTÆ & uariæ fuerunt & sunt leges in terris. Aliæ sunt Mosaicæ, aliæ Atticæ, aliæ Spartanæ, aliæ Romanæ, aliæ Pontificiæ, quas uocant Canones, aliæ Monasticæ, quas uocant Regulas, ac singula imperia, & singuli hominum cœtus, singulas pene Leges habent, iuxta quas in controuersijs & iudicijs eorum sententia pronunciari solet. Quærimus igitur, iuxta quam legem Christus sit pronunciaturus suam sententiam, ut sciamus, quā legem obseruare debeamus, quo uictoriam in Iudicio eius reportemus.

Primum ergo, Christus non pronunciabit sententiam Iudicij sui secundum Leges ciuiles, siue illas Mosaicas, siue Romanas, siue aliarum Gentium. Quia nec Iudicium nec Regnum eius est ciuile. Et in iudicio Dei damnantur non solum ciui-

lia & externa, uerumetiam ſpiritualia & interna peccata, quorum in Legibus ciuilibus aut prorſus nulla, aut exilis admodum ratio habetur.

Deinde, non iudicabit ſecundum leges Pontificias aut Monaſticas. Hæ enim exigunt & urgent præcipue opera & ſacra, non quæ diuinitus ſunt mandata, ſed quæ humanitus ſunt excogitata, & ab hominibus ſine uerbo Dei inſtituta. De talibus autem operibus & ſacris dicit Chriſtus ex Eſaia: Fruſtra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum &c.

Præterea, etſi Decalogus eſt diuina ſententia, qua omnes homines pronunciantur peccatores & damnati, tamen quia Pater dedit omne iudicium Filio ſuo, & Filius expiauit peccata humani generis, ac liberauit Eccleſiam ſuam à damnatione, idcirco Filius non pronunciabit ſententiam Iudicij ſui ſecundum Decalogum. Nam ſi iudicaret de humano genere in nouiſſimo die iuxta ſeueritatem Decalogi, tunc nullus hominum ſeruaretur. Omnes enim peccauerunt, & uiolarunt Decalogum. Quis igitur poſſet ſalutem conſequi, ſi ſententia extremi Iudicij iuxta Decalogum ferretur?

Quæ ergo eſt illa Lex, ſecundum quam Chriſtus iudex pronunciabit Iudicij ſui ſententiam? Cum enim non ſit tyrannus, qui nullas leges ſibi ſe quendas putat, Sed iuſtus Iudex, qui ſe æquis legibus ſubiectum agnoſcit, certe fieri non poteſt, ut

ſenten-

ſententiam pro tyrannica licentia abſq; certa aliqua & iuſta lege ferat. Sciamus igitur quòd Chriſtus iudicaturus ſit orbem terræ, & pronunciaturus ſententiam Iudicij ſui, ſecundum ſuum ipſius Euangelium, & ſecundum concionem ſuorum Apoſtolorum. Etſi enim Euangelium Chriſti non eſt proprie talis lex, quales ſunt leges ciuiles, aut etiam qualis eſt Decalogus, tamen eſt doctrina docens iuſticiam et damnans iniuſticiam, ideoq; idonea, ſecundum quam ſententia publici Iudicij pronuncietur. Docet enim fidem in Chriſtum, per quã homines uere iuſtificantur. Et damnat incredulitatem, qua homines perpetuo damnantur. Audiamus igitur teſtimonia Scripturæ, quibus comprobatur, quòd Filius Dei pronunciaturus ſit ſententiam extremi Iudicij ſecundum Euangelium ſuum, quod Apoſtoli in toto orbe terrarũ diuulgarunt.

Chriſtus ſecundum Euangelium pronunciabit ſententiam iudicij ſui.

Iohan. 3. Deus non miſit Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Qui credit in eum, nõ condemnatur. Qui uero non credit, iam condẽnatus eſt, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. Hic manifeſte dicitur, quòd ſalus ueniat ex fide, quæ habetur in Chriſtum, per Euangelium eius. Et ꝙ condemnatio ueniat ex incredulitate, qua reijcitur Euangelium Chriſti. Sententia igitur Iudicij pronunciabitur iuxta hoc Euangelium, ut qui crediderit ei, ſeruetur, qui uero non crediderit, condemnetur.

Iohan.12. *Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die &c.* Hic audis, quòd Christus sententiam iudicij sui tam certo, & tam exacte iuxta Euangelium suum sit pronunciaturus, ut affirmet, non seipsum, sed Euangelium suum iudicem fore. Quale quid est, quod aliquoties honesti iudices ad latronem dicere solent, Non se, sed publicas Leges condemnare eum, significantes, se pronunciare sententiam suam, non pro libidine animi sui, sed iuxta Leges publice confirmatas.

Marc.16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) saluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur. Quid manifestius dici posset, quàm quòd extremum Iudicium ferendum sit iuxta Euangelium, quod Christus iussit Apostolos prædicare in toto orbe terrarum? Vnde & apud Matth.ca.19. et Lucam ca.22. dicitur de Apostolis, quòd sessuri sint super duodecim Sedes, & iudicaturi duodecim tribus Israel. Et apud Paulum, quòd Sancti iudicaturi sint mundum. Hoc enim idcirco sic dicitur, non quòd tam crassa spectacula futura sint in extremo Iudicio, ut Iudex sedeat in editiori Tribunali, & habeat ex utroque latere Apostolos & alios Sanctos assessores,

Apostoli cur dicantur assessores iudicij extremi.

res, quale solet esse spectaculum humanorum iudiciorum, Sed quòd sententia nouissimi Iudicij pronuncianda sit iuxta Euangelium, quod Apostoli prædicauerunt, & cui Sancti fidem adhibuerunt. Nam cum Apostoli & alij Sancti passi sint multa aduersa in hoc mundo, & condemnati sint ab impijs, propter Euangelium, condemnabuntur uicissim impij æterno supplicio in extremo Iudicio, q. Euangelio non crediderunt.

Matt. 25. Rex dicet his, qui à dextris sibi erũt, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Esuriui enim, et dedistis mihi edere &c. Dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum &c. His uerbis nõ docet Christus, quod pronunciaturus sit Iudicij sui sententiam iuxta merita operum, sed iuxta fidem Euangelij, quæ si uera fuerit, declarabit sese fructibus caritatis erga eos, qui sunt ministri Christi ac Euangelij eius, etiamsi minimi et abiectissimi omnium hominum fuerint. Quare, qui cibauerit, potauerit, & uestierit ministros Christi, seruabitur, quòd Euangelio crediderit. Si autem fides non fuerit uera, nihil conferet beneficij in ministros Christi, sed potius dimittet eos inanes, & persequetur eos. Quare qui ministros Christi non cibauerint, non potauerint, nec uestierint, con-

demnabuntur, quòd hoc ſuo contemptu perſpicue teſtificati ſint, ſe non uere credere Euangelio. Reliquum igitur eſt, q; ſententia extremi iudicij non pronunciabitur, niſi ſecundum Euangelium Chriſti filij Dei, ut qui credit Filio Dei, ſicut Iohannes Baptiſta dicit, habeat æternam uitam, qui uero nõ credit Filio, non uideat uitam, ſed ira Dei maneat ſuper eum. Quod cum ita ſe habet, maxima omnium diligentia adhibenda eſt, ut Euangelium Chriſti amemus, diſcamus, et uocationi eius obediamus. Non dicamus cum ſeruo malo in cordibus noſtris, Cunctatur Dominus meus uenire, ideoq; incipiamus conſeruos percutere, edere & bibere cum ebrijs, Sed ſimus ſobrij, & uigilemus, ut cum uenerit Iudex, inueniat nos in fide Euangelij ſui, & in uocatione eius, ac transferat nos propicius in æternam Regni ſui maieſtatem.

Iohan. 3.

Matth. 24.

Luc. 21.

Dices autem, Num Filius Dei interea temporis dum nouiſſimus dies aduenerit, nullum ſceleratum iudicat? nullum impium punit? Ergóne impij, oppreſsis et cõculcatis ſemper pijs, in hoc ſeculo, uſq; ad extremum iudicium, ſecure & impune dominabuntur? De hac re audiendus eſt Pſalmus 109. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. hoc eſt, Deus pater iuſsit Chriſtum filium ſuum cœleſte regnum accipere, donec ueniat nouiſſimus dies, quo ſubiecturus ſit omnes hoſtes eius

Chriſtus an puniat impios ante nouiſſimũ diem.

ſub

ſub pedibus eius. Quid ergo? Si Filius Dei accepit à Reſurrectione & Aſcenſu ſuo in cœlum cœleſte Regnum, nihil ne interea peragit in terra, ſed ſinit omnia temere ferri? Sequitur in Pſalmo: Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, Domina in medio inimicorum tuorum. Filius Dei non ociabitur interea temporis in terra. Nam uirga uirtutis eius, hoc eſt, Euangelium eius uulgabitur in die Pentecoſtes, ex Zion, ex urbe Hieruſalem, in totum orbem terræ. Et ipſe dominabitur in medio inimicorum eius. Inimici eius ſunt Iudæi & Gentes. Inimici eius ſunt Reges, Principes, & populi. Quare, inquit, fremunt Gentes, & populi meditantur inania. Coniungunt ſe Reges terræ, & Principes conueniunt in unum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Sed Chriſtus dominatur in medio eorum, quia colligit per Euangelium ſuum, inuitis etiam inferorum portis, Eccleſiam ſuam ex omnibus gentibus: & quanquam Tyranni minantur Eccleſiæ extremam internecionem, Chriſtus tamen ita tuetur & conſeruat eam, ut aut mitiget ei afflictiones in hac terra, aut ſiquod membrum eius occiditur, accipiat pro terrena uita, cœleſtem. Non inuehitur quidem Chriſtus in hoſtes ſuos externa, & tali potentia, quam omnes homines manifeſte uideant, & iudicent eſſe in hoc ſecum potentiam Chriſti, quia Regnum eius non eſt de hoc mundo. Non ſinit autem ſeipſum teſtimo-

Inimici Chriſti.

Impij ſæpe puniuntur diuinitus.

nij

nij expertem. Sed etsi reseruat maiorem partem impiorum, in extremo iudicio puniendos, tamen animaduertit aliquoties in hoc etiam seculo, in unum & alterum tyrannum seuerißime, ut palam testificetur, se nondum esse à dextris Dei extrusum, Sed adhuc omnipotenter regnare, & Ecclesiam suam tueri. Non solent quidem impij uidere, q̃ talia supplicia diuinitus propter impietatem tyrannis immittantur, quippe q̃ in hoc mundo soleant plerunq; æqualia euenire, ut Ecclesiastes ait, iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti uictimas, & contemnenti sacrificia. Pij autem, Spiritu sancto præditi, intelligunt manifeste, talia tyrannorum supplicia in hac terra, uere diuinitus eis immitti, ut mulctato pestilente, sicut Salomon dicit, Stultus sapientior fiat.

Eccle. 9.

Prouerb. 19 & 21.

Herodes occidit Iacobum Apostolum, & sæuit etiam in Petrum, & arrogat sibi diuinam honorem. Quid ergo fit? Etsi erant multi etiam alij persecutores Ecclesiæ, & arrogatores diuini honoris, qui uidebantur in hac terra impunes euadere, tamen Filius Dei uertit sese ad Herodem, & ædit in eo exemplum seueritatis, quo omnibus impijs tyrannis & Euangelij persecutoribus terrorem incutiat. Mittit enim Angelum, qui Herodem ita percutiat, ut consumptus à uermibus, exhalet animam.

Herodes cõsumptus à uermibus.

Act. 12.

Iudæi interficiunt Christum Filium Dei, et per sequun-

sequuntur Apostolos & Ecclesiam eius. Sed post aliquot annos, opprimuntur & uastantur à Roma nis, tanta crudelitate, ut nulla fere gens in toto orbe immanius perierit. Non omnes homines uiderunt hoc supplicium Iudæis, propter impietatem, qua grassati erant in Filium Dei & Ecclesiam eius, accidere. Existimauerunt enim hoc esse tantum supplicium defectionis à Romano imperio. Sed pij manifeste è uaticinio Prophetarum & Christi uiderunt, quòd Iudæi diuinitus propter impietatem suam in Filium Dei & Ecclesiam eius, punirentur. Iudæi perierunt.

Quo astu, quibus dolis Iulianus Imperator, cognomine Apostata, Ecclesiæ Christi exitium meditatus sit, historiæ Ecclesiasticæ perspicue & copiose tradunt. Cum igitur susciperet bellum aduersus Persas, usurus uictoria, quam sibi pollicebatur ad opprimendos Christianos, uictoriam in tantum non reportauit, ut etiam iaculo confossus occubuerit, & manifeste ipse cognouerit, quòd diuinitus à Christo Filio Dei puniretur. Cum enim uulneratus esset, dicitur, manum sanguine suo impleuisse, & proiecto eo in aerem, dixisse: Vicisti Galilæe. Sic enim solebat Christum, contumeliæ gratia, uocare. Videbatur quidem temere uulneratus, sed non pij tantum, uerumetiam Tyrannus ipse congnouit, se diuino supplicio, propter impietatem suam affligi. Quare, etsi multitudo impiorum Iulianus apostata iaculo confossus occubuit. Euse. & Trip historia.

Trip. hist. lib. 6. cap. 47.

solet

ſolet ad ſupplicium extremi iudicij reſeruari, non tamẽ applaudant ſibi tyranni, perſecutores Eccleſiæ, et alij ſcelerati, ſed metuãt ſibi à Filio Dei, quẽ aut contemnunt aut perſequuntur, ne quando ira ſcatur, et incipiat etiam in hoc ſeculo ſeueritatem ſuam erga ipſos reuelare, et corporalibus ac manifeſtis ſupplicijs quaſi gradibus quibuſdã ad barathrum æternæ damnationis deducendos mandare.

DE TERTIA PERSONA in Diuinitate.

Credo in Spiritum ſanctum.

PErſtrinximus articulos, qui docent nos, quid ſit credendum de Deo Patre, & de unigenito Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto. Additur ergo articulus de Spiritu ſancto, ut ſciamus quid & de hoc ſit credendũ. Oſtendimus enim ſupra, q̃ una quidem tantum ſit diuina eſſentia & natura, ſed in hac una diuinitate, ſunt tres diſtinctæ perſonæ, Pater, Filius, et Spiritus ſanctus. Ac de Patre quidem dictum eſt, q̃ ſit fons omnipotentiæ, creationis omniũ rerum, & ſalutis humanæ, & quòd genuerit Filium ab æterno. De Filio autem, q̃ ſit ab æterno, à Deo Patre ſuo genitus, & q̃ aſſumpſerit hominẽ, & omnes humanas imbecillitates, ut hominẽ ab æterno interitu liberaret, & faceret eum ſibi cohæredem cœleſtis regni. Nunc igitur concionatur Symbolũ de Spiritu ſancto, & docet

docet nos, q̃ sicut credimus in Patrem et Filiũ, ita debeamus etiam credere in Spiritum sanctum. Porro, nomen Spiritus, cum significat essentiam spiritualem, cõmune est singulis personis diuinitatis, sicut Christus apud Iohan. cap. 4. dicit: Spiritus est Deus. Sed cum significat proprietatem, per se quidem subsistentem, procedentem autem à Patre & Filio, tunc conuenit soli Spiritui sancto, & est distincta persona à Patre & Filio. Dicturi ergo de Spiritu sancto, duo consideremus. Alterum, quæ sit natura seu essentia eius. Alterum quæ sint officia, quæ uirtutes seu operationes eius. Primum igitur, Sciamus Spiritum sanctum natura sua uerum & æternum esse Deum una cum Patre & Filio. Nam Christus ipse agnoscit eum sibi & Patri in diuinitate esse æqualẽ, cum dicit Matthæi ultimo: Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nisi enim Spiritus sanctus esset uerus Deus, uere æternam salutem tribuens, non coniungeretur in eadem salutis operatione cum Patre & Filio.

Spiritus qd significet.

De Spiritus sancti esse: tia.

Et apud Iohannem: Cum uenerit ille, inquit, qui est Spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Et mox: Ille me glorificabit, quia de meo accipiet &c. Cum Christus dicit, Spiritum sanctum de suo accipere, & alias dicit eum de Patre procedere, haud obscure tribuit ei æqualem cum ipso & Patre maiestatem.

Iohan. 14. & 15.

Vnde in baptismo Christi, cum Pater patefaceret

ret se uoce, Filius carne, patefecit Spiritus sese specie columbæ, ut manifestè significaretur, quòd Spiritus sanctus, eiusdem quidem esset maiestatis cum Patre & Filio, sed distinctam ab eis personam. Idem plane sibi uult, cum patefacit sese linguis igneis, in die Pentecostes.

Paulus 1. Cor. 12. Diuisiones, inquit, donorum sunt, sed idem Spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiens omnia in omnibus. Coniungit Paulus hoc loco Spiritum cum Deo Patre, & Domino Filio, ut doceat unam & eandem esse naturam & maiestatem Patris, Filij & Spiritus sancti.

Ac breuiter, Scriptura tribuit Spiritui sancto potentiam & autoritatem Creandi, uiuificandi et regenerandi, non ut ministro, sed ut autori Deo. Verbo Dei, inquit Psalmus, cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Et iterum: Emittis Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et Paulus ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Iesum Christum &c.

Cum igitur Spiritus sanctus sit creator, uiuificator, & regenerator, manifestum est, quòd natura sua sit uerus & æternus Deus, ideoq; sicut credendum est in Deum Patrem, & Filium, ita etiam

credendum est in Spiritum sanctum: & quemadmodum Pater inuocatur, ut seruet nos, et Filius inuocatur ut seruet nos, ita & Spiritus sanctus inuocandus est, ut nos seruet. Sed de essentia seu natura Spiritus sancti hæc in præsentia sufficiunt, quando quidem hæc diuinitatis mysteria, non possunt ulla humana ratione comprehendi, sed debent fide ex uerbo Domini agnosci, & teneri. Quare cum uerbum Domini, ac præcipue hoc, quod Christus ad Apostolos dicit: Baptisate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, commendet nobis Spiritum sanctum uerum & æternum Deum, eiusdem cum Patre et Filio maiestatis, adoremus Spiritum sanctum unà cum Patre & Filio, et petamus ab eo ueram & æternam nostram salutem.

Deinde dicendum est de officio & de actionibus Spiritus sancti. Quæ idcirco nobis scienda proponuntur, ut cognoscamus aliquo modo magnitudinem beneficiorū Dei, et agamus ei gratias. Præcipuum igitur officium Spiritus sancti est, ea, quæ Pater & Filius facienda suscipiunt, mouere et agitare, ut conficiantur. Cum enim procedat à Patre et Filio, confert, ut ita dicam, operam suam, ut instituta Patris et Filij promoueant, et perficiantur. In rerū creatione, Spiritus sancti actio est, ut quæ Pater per Filium creat, ea Spiritus sanctus una cū ipsis, ut uerus Deus creando, foueat, & conseruet. Vnde Genes. 1. dicitur, Spiritus Domini fereba- Spiritus S. officium.

tur ſuper aquas, hoc eſt, fouebat & conſeruaba
ea, quæ erant à Deo per uerbum ſuum creata. Et
Pſal. 32. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spi-
ritu oris eius omnis uirtus eorum. In Recreatione
autem, ſeu in Regeneratione hominis, ad æternam
ſalutem, multæ ſunt actiones, multa officia Spiri-
tus ſancti. Pater mittit Filium ſuum in hunc mun-
dum. Spiritus ſanctus autem illuſtrat Filium in
die Pentecoſtes multis miraculis, ut Filius agno-
ſcatur uerus Meßias, & uerus ab æterno Deus. Pa
ter iubet homines audire Euangelium Filij ſui. Spi
ritus ſanctus autem conſeruat publice miniſteri-
um Euangelij in orbe terrarum, & priuatim ac-
cendit corda hominum, ut audito Euangelio, cre-
dant ei. Itaq; Fides, quæ adhibetur Euangelio, non
eſt induſtria carnis, ſed eſt donum Spiritus ſancti.
Pater iubet nos inuocare ipſum, in nomine Filij
ſui. Spiritus ſanctus autem excitat et accendit cor
da ad inuocationem, & conſeruat eam in aduer-
ſis, ne extinguatur. Pater remittit nobis peccata
propter Filium ſuum, & iubet nos à peccatis caue
Rom. 8. re. Spiritus ſanctus autem confirmat fidem in re-
miſſionem peccatorum, & mortificat carnem, ne
peccatum regnet in nobis, atq; excitat bonos mo-
tus cordis, ut in operibus iuſticiæ ambulemus. Pa-
ter adoptat nos in filios & hæredes ſuos, propter
Chriſtum filium ſuum. Spiritus ſanctus autem effi
Ibidem. cit ut clamemus Abba Pater, & teſtificatur una
cum

cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Ac breuiter, Pater seruat nos ex mera gratuita caritate sua, in morte, ad æternam uitam, & collocat nos in hæreditate omnium cœlestium bonorum propter Christum filium suum. Spiritus sanctus autẽ diffundit agnitionẽ huius diuinæ caritatis in cordibus nostris, ut certa spe confirmemur & non pudefiamus. Diffusa est, inquit Paulus, caritas Dei, (uidelicet, qua Deus nos amplectitur) in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, hoc est, Spiritus sanctus certificat nos, per Euangelium Christi, & per mortem eius, in cordibus nostris, quòd Deus tanta dilectione, tanta caritate propter Christum Filium suum nos prosequatur, ut teneri non possit, quin nos in Christum credentes, non solum reputet iustos, sed etiam adoptet in filios, & faciat nos cohæredes Christi, unigeniti Filij sui. Rom. 5.

Hæc de Spiritu sancto diligenter cognoscenda sunt, ut habeamus ueram & rectam de eo fidem, & officijs eius iuuemur, ac donis eius ornemur, quo accensi in cordibus nostris, Deum uere inuocemus, & cœlestem hæreditatem consequamur.

Credo Ecclesiam sanctam catholicam.

COmmemorauimus hactenus artículos fidei de Deo Patre, Filio, et Spiritu sancto. Qui articuli sunt breue compendium omnium eorum, quæ de uero et æterno Deo in Scriptura sacra continentur, & quæ de ipso, ad consequendam ueram et æternam salutem credenda sunt. Sequuntur nunc in Symbolo alij articuli, qui concionantur de eo hominum cœtu, in quo Deus uere agnoscitur, et de beneficijs, quæ contingunt his, qui ueram habent fidem in Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritum sanctum eius. Quid enim prodesset publica prædicatio & laudatio de Deo, si nullus esset cœtus hominum, qui Deũ agnosceret, & beneficijs Dei frueretur. Quare additur nunc articulus, de cœtu hominum qui Deum cognoscit, & beneficia Dei accipit. Credo, esse sanctam Ecclesiam catholicam.

Sed priusquam usum huius articuli demonstramus, admonendi sumus de recta sententia uerborũ eius. Germanice sic dicimus, Ein heilige Christliche Kirch. Hoc recte quidem dicitur, Sed iuxta uerborum proprietatem sic dicendum esset: Ein heilige gemeine versamlung. Vel sic: Ein heiliger gemeiner Ausschuß. Nam καθολικὸν catholicum, significat generale seu uniuersale. Et opponitur αἱρετικῷ hæretico, quod significat singulare seu electicium, cum sectatur quispiam, non quod uniuersi sentiunt, sed quod sibi ipse elegit, et excogitauit

Catholicũ.

Hæreticũ.

uit. Ecclesia autem significat concionem, seu cœtũ populi conuocatum, aut collectam hominum congregationem. Cuius nominis usus non tantum est de piorum, uerumetiam de impiorum congregatione. In Psal. 25. fit mentio Ecclesiæ malignantium. Et in Act. cap. 19. cœtus ethnicorum uocatur Ecclesia. Primum igitur hic articulus admonet nos, de discrimine huius mundi, & Ecclesiæ Christi in mundo. Sunt enim qui sentiunt uniuersum mundum, seu omnes homines in mundo esse populum Dei, et Ecclesiã κυριακὴν. Existimant unumquenque in sua religione, siue ethnica, siue Iudaica, siue Mahumetica, si modo iuxta externam speciem coram hominibus honestam uitam ducat, cœlestem salutem ac beatitudinem consequi. Sed hic articulus docet nos, quòd non uniuersus mundus sit Ecclesia Domini, sed quòd in uniuerso mundo sit Ecclesia Domini: et quòd non omnes homines sint populus Dei electus, sed quòd inter omnes homines in hoc mũdo, sit populus Dei dispersus quidem iuxta externam conuersationem, cõgregatus autem per idem Euangelium, in una fide. Et sicut uniuersus mundus non est Ecclesia Dei, ita nec tota aliqua ciuitas, nec etiam totus aliquis pagus est uera Ecclesia Dei, sed in ciuitatibus, & in pagis habet Dominus suam Ecclesiam. Videamus igitur de hac re testimonia Scripturæ.

Ecclesia, ein beruffte vnd versamlete Gemein. Inde Ecclesia κυριακή, die Kirch, hoc est, cœtus populi Domini etc.

Ecclesia nõ sunt omnes homines seu totus mundus.

Iohan. 1. In mundo erat, et mũdus per ipsum factus

ctus est, & mundus eum non cognouit. Si mundus non cognouit Christum, certe mundus non est Ecclesia Christi. Necesse enim est, ut Ecclesia Christi cognoscat Christum.

Iohan. 17. Non pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi.

Matth. 20. Multi uocati, pauci electi.

2. Thess. 3. Orate, ut eripiamur ab importunis & malis hominibus. Non enim est omnium fides.

Act. 4. Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Si homines in solo Christi nomine per fidem salui fiunt, non autem omnes homines credunt in Christum, quid aliud reliquum est, quàm quòd non omnes homines sint Ecclesia Dei. Sentiamus igitur, non uniuersum mundum esse Ecclesiam Dei, sed Ecclesiam Dei esse in uniuerso mundo.

Ecclesia seu populus Dei certus in terris.

Secundo, hic articulus collocatus est in Symbolo, ut refutet eos, qui sentiunt nullam prorsus esse Ecclesiam Dei in mundo. Sicut enim alij existimant uniuersum mundum esse Ecclesiam Domini, ita sunt alij, qui putant nullam esse Domini Ecclesiam in mundo. Hi enim cum uident omnia hoc in mundo plena esse confusionis et perturbationis, ac præsertim eum cœtum, qui nomine Ecclesiæ Dei gloriatur, multo grauius & immanius, quàm aliorum hominum congregationem affligi, existi-

mant

mant Deum non habere aliquam curam rerum humanarum, nec habere peculiarem in terris populum, quem respiciat, & cui cœlestem hæreditatem tribuat. Sed hic articulus damnat eorum opinionem, & docet, quòd etiamsi omnia in his terris susq; deq; ferantur, tamen Deus seligat sibi ex hominibus Ecclesiam, quam conseruet & tueatur.

In 3. Reg. cap. 19. cum Elias conquereretur se solum ex idolatria & tyrannide relictum, nec reliquam esse Ecclesiam Domini in regno Israel, audit: Dereliqui mihi in Israel septem milia uirorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal &c.

Esai. 43. Noli timere, quia redemi te, et uocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te &c. Hic docet Esaias, filium Dei habere & seruare Ecclesiam suam, in his terris, etiamsi ea grauissimis aduersis affligatur.

Esai. 49. Dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Zion est Ecclesia Domini, quæ non deseritur à Domino, etiamsi uideatur coram oculis huius mundi negligi, aut nihil prorsus ad Dominum pertinere.

Iohan.10. *Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, neq; rapiet eas quisquam de manu mea &c.*

Matth. ult. *Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.*

2. Timoth. 2. *Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Nouit Dominus, qui sint sui.*

Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

Quare etsi omnia uidentur in hoc mundo temere ferri, & apparet aut nullam gentem peculiariter, aut quamuis potius, quàm eam, quæ uocatur Ecclesia Christi, Deo curæ esse, tamen nihil certius est, quàm quòd sit Ecclesia Christi in terris, quam Deus tanta cura respiciat, ut conseruet eam in omnibus afflictionibus, & conferat in eam cœleste Regnum.

Hæreticorum conuenticula fugienda.

Tertio, hic articulus collocatus est in Symbolo, ut admoneamur de fugiendis hæreticorum conuenticulis. Sunt enim, qui talem requirunt Ecclesiam Dei, in qua nullum prorsus peccatum, aut uicium inueniatur, ideoq; cum in aliquo cœtu deprehendunt uicia aut infirmitates, solent uniuersum cœtum damnare, & eum deserere, ac propria conuenticula instituere, etiamsi in eo cœtu, quem deserunt

ſerunt, pia ſit doctrina, & rectus uſus Sacramento rum. Quales olim fuerunt Cathari, Nouatiani, Encratitæ, & his temporibus Anabaptiſtæ. Neceſſarium quidem eſt, ut eam deſeramus Eccleſiam, in qua doctrina eſt impia, et impius Sacramentorum uſus. Cauete, inquit Chriſtus, à Pſeudoprophetis, et à fermento Phariſæorũ. Et Paulus, Fugite à ſimulacrorum cultu. Et Iohannes, Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis. Sed deſerere ac damnare eam Eccleſiam, in qua, cum uerbum Dei pure docetur, & Sacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti recte diſpenſantur, quædam adhuc uicia hæreant, & multi mali admixti ſint, hoc demum eſt hæreticũ, aut ut iſti loquuntur, ſchiſmaticum, & coram Deo deteſtabile. Nam et in pijs ipſis ſuæ ſunt imbecillitates, ut mox dicetur, & quanquam ſoli uere pij ſint uera membra Eccleſiæ, tamen ſolent ſeſe inter hos in externa congregatione, & in uſu uerbi Dei ac Sacramentorum eius, multi hypocritæ & impij admiſcere, qui ſæpenumero honeſtiores uidentur, & de nomine Chriſti magis gloriantur, quàm uere pij.

Eccleſia quæ ſit deſerenda.

Hypocritæ & impij multi in Eccleſia.

Matth. 13. Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, ſed dormientibus hominibus uenit illius inimicus, et ſeminauit zizania inter triticum &c.

Et iterum, Simile eſt regnum cœlorum uerricu

lo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti &c.

Hæ parabolæ manifeſte ſignificant, q̃ prædicatione Euangelij congregentur ad externam ſocietatem Eccleſiæ boni & mali.

1. Cor. 10. Patres noſtri omnes ſub nube erant, & omnes per mare tranſierunt. Et mox: Sed plures illorum non approbauit Deus. Proſtrati enim ſunt in deſerto &c. Hoc dictum perſpicue docet in externa ſocietate Eccleſiæ multos eſſe, qui Deo ſunt abominabiles.

Quare ubicunq; doctrina uerbi Dei pure adnunciatur, & Sacramenta rite, iuxta inſtitutionem Chriſti diſpenſantur, non eſt propter malos in priuata conuenticula ſecedendum, Sed in catholica illa congregatione, in qua pia doctrina ſonat, perdurandum, donec meſſores in tempore meſſis colligant primum zizania, et conijciant in ignem, triticum autem congregent in horreum Domini.

Eccleſia nõ alligata ad certum genus hominũ

Quarto, hic articulus monet nos, quòd Eccleſia non ſit alligata, nec ad certum genus hominum nec ad certum locum, nec ad certum imperium. Hæc eſt neceſſaria admonitio. Nam poſtquam reuelatum eſt Euangelium Chriſti, et Apoſtolis mandatum, ut uulgarent Euangelium in orbem terræ, erant multi, qui ſentiebant ſolos circunciſos eſſe populum & Eccleſiam Dei, nec Gentes recipiendas eſſe in communionem Euangelij et catalogum

populi

populi Dei, nisi circunciderentur. Sed hic articulus monet nos, quòd Ecclesia sit catholica, hoc est, uniuersalis, uidelicet, quod pertineat non tantum ad Iudæos circuncisos, uerumetiam ad Gentes incircuncisas. Quæ sententia probatur tam testimonijs Prophetarum, quàm etiam cœlestibus miraculis. De qua re copiosè scriptum est Act. 10. & 15. Et in Epistolis Pauli, præsertim ad Romanos, & ad Galatas.

Sunt & alij, qui sentiunt, Ecclesiam alligatam esse ad Romanum Pontificem, & ad Episcopos eius, ac successores eorum, ut quicquid hi statuerint, agnoscendum sit pro decreto diuino, & qui hos non agnoscat, non sit uerum membrum Ecclesiæ. Negari quidem non potest, quin si hi doceant Euangelion Christi, & dispensent Sacramenta Christi iuxta institutionem eius, adeoq; tales agant Episcopos, quales eos describit Paulus ad Timotheum & Titum, agnoscendi sint pro ueris ministris Ecclesiæ Dei, & ut ipsi loquuntur, pro Seruis seruorum Dei, & habendi sint duplici honore, ut Paulus ait, digni. Et tamen ne sic quidem alligata est Ecclesia ad ipsos, sed potius ipsi alligati sunt ad Ecclesiam, uidelicet, ut non statuant quod ipsis uidetur, sed faciant quod ex uerbo Domini Ecclesia statuerit. Omnia uestra sunt, inquit, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia

Episcopi alligati ad ecclesiam, nõ Ecclesia ad Episcopos.

1. Cor. 3.

omnia, inquam, uestra sunt, uos autem Christi, Christus autem Dei &c.

Quòd si autem non solum non fecerint suum officium, uerumetiam Euangelium Christi persequantur, & idolatrian tueantur, tantum abest, ut Ecclesia sit ad eos alligata, ut potius necesse habeat eos tanquam lupos, & manifestos hostes Dei uitare. Hoc enim sibi uult hic articulus, dum iubet nos credere Ecclesiam Catholicam, hoc est, Vniuersalem, non Pontificalem, aut Episcopalem.

Ecclesia nõ est alligata ad certum locum.

Deinde, Ecclesia cum sit catholica, non est alligata nec ad certum locũ, nec ad certum regnum aut imperium huius mundi. Neq; enim alligata est ad urbem Hierusalem, aut ad urbem Romanam, nec ad imperium Constantinopolitanum, aut regnum Romanum. Nam postquam dictum est ad Apostolos, Ite in uniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Et iterum, Eritis mihi testes, usq; ad extrema terræ, significatur Ecclesiam esse catholicam, nec esse ad certum aliquem locum, aut imperium alligatam.

Ecclesia ubi sit quærenda.

Ad quid ergo alligata est Ecclesia? et ubi quærenda est Ecclesia, si non habet in terris certum locum aut regnum? Dicemus ne Ecclesiam esse inuisibilem, aut imaginariam tantum? Nihil minus. Ecclesia non est inuisibilis & imperceptibilis, sed uisibilis & perceptibilis congregatio hominum. Et habet sua signa, quibus cognoscatur. Consideremus

mus igitur, quod ad uidendam & cognoscendam Ecclesiam Christi, non sunt circumferendi oculi ad externam speciem cærimoniarum, aut ad multitudinem hominum, sed ad uerbum Dei seu ad Euangelium Christi, & ad rectum usum Sacramentorum. Vbicunq; enim prædicatur Euangelium Christi syncere, & dispensantur Sacramenta iuxta institutionem Christi, ibi est Ecclesia Christi, etiamsi non sit externa specie & maiestate illustris. Etsi enim non omnes auditores Euangelij fuerint uera membra Ecclesiæ, tamen cum uerbum, quod egreditur de ore Domini, non reuertatur ad eum uacuum, ut Esaias dicit, dubium nõ est, quin ibi sit uera Ecclesia, ubi uerbum Dei pure adnunciatur, & Sacramenta recte dispensantur. Solet autẽ hoc fieri, uel publice in templis, ubi politicus Magistratus agnoscit Ecclesiam uel priuatim tantũ in domibus, ubi Magistratus est alienæ religionis, ut apud Turcas. Vbicunq; uero Euangelium Christi damnatur, & uerus usus Sacramentorum prohibetur, etsi in ijs locis potest esse Ecclesia, uidelicet, si ibi fuerint pij, qui nõ consentiunt cum aliorũ impietate, tamen manifestum est, q, ij, qui Euangeliũ damnant, & uerum usum Sacramentorum prohibent, non sint uera Ecclesia Christi, etiamsi uideantur potestate, dignitate, addo etiam honestate sua præcipuæ columnæ Ecclesiæ. Nam ueram Ecclesiam alligatam esse ad uerbum Dei, & ibi esse, ubi uerbum

Ecclesiæ signa.

uerbum Dei recte prædicatur, manifesta sunt Scri pturæ testimonia.

Mar. 16. Ite in uniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Iubet Apostolos prædicare Euangelium, & pronuciat eos beatos, qui Euangelio credunt. Eos autem damnatos, qui Euangelio non credunt. Alligat ergo Ecclesiam suam ad Euangelium, ubicunq; illud prædicatum fuerit.

Matth. 3. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, Hunc audite. Iubet nos Deus Pater Filium suum audire. Filius autem docet Apostolos Euangelium suum, & iubet nos eos audire. Qui uos audit, inquiens, me audit. Qui autem uos spernit, me spernit. Alligat igitur nos ad Euangelium suum.

Ro. 10. Quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt, in quem non credunt? Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Et mox: Ergo fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei.

Galat. 1. Si nos aut Angelus è cœlo aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit &c.

Ephe. 2. Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, hoc est, super Euangelium, quod Prophetæ & Apostoli prædicauerunt.

Quare

Quare non ſentiamus, quòd cum credimus Ecclesiam esse Catholicam seu Vniuersalem, & dispersam in toto orbe terrarum, idcirco Ecclesia nusquam uere sit, sed etsi non est alligata, nec ad certa loca, nec ad certum genus hominum, nec ad certum imperium huius mundi, tamen sit alligata ad Euangelium Domini nostri Iesu Christi, ut ubicunq; hoc pure & synceriter prædicatur, ibi sciamus esse uerã Ecclesiam Christi, & debeamus nos fide, caritate, consensu, approbatione & confessione cum ea coniungere, ut ijs beneficijs Christi, quæ ad ueram Ecclesiam pertinent, una cum ipsa fruamur.

Ecclesiæ sanctitas.

Sed nec hoc prætereundum est oscitanter, quòd Ecclesia Christi non solum uocatur Catholica, uerumetiam Sancta. Videndum igitur est, qua in re consistat sanctitas Ecclesiæ. Nam cum dicimus nos credere Ecclesiam esse Sanctam, non est intelligendum, quòd populus Dei debeat in terris tam sanctus esse, ut nullum prorsus uicium in ullo membro eius inueniatur. Omnes enim homines habent natura sua peccatum. Et quanquam nonnulli ex hominibus renascuntur per Euangelium in Christo, & donantur Spiritu sancto, manet tamen etiam in his peccatum, non quidem quod dominatur, sed quod tamen aduersus spiritum concupiscit, et cum spiritu pugnat.

Peccatum in renatis.

Psal. 142. Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia

quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens.

Et Ecclesia orat in oratione Dominica: Remitte nobis debita nostra.

1. Ioh. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est.

Rom. 7. Lex spiritualis est, ego autem carnalis, uenditus sub peccatum. Et mox: Noui, q̃ non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum &c. Et his & alijs id genus testimonijs scripturæ manifestum est, q̃ pij, qui sunt uera Ecclesia Christi, etsi acceperunt Spiritum sanctum, & mortificant facta corporis, tamen gestant adhuc intra se peccatum, propter quod non possunt ex meritis operum suæ ipsorum iusticiæ sancti iudicari.

Ecclesia cur dicatur sancta.

Quomodo ergo Ecclesia dicitur sancta, cum singula membra eius habeant peccatum?

Primum, Ecclesia dicitur sancta, non propter propriam ipsius, aut operum eius sanctitatem, sed propter sanctitatem Christi Filij Dei, qua per fidem donata est & ornata. Nam Euangelium offert Ecclesiæ Christum Filium Dei, qui solus uere sanctus est, & immaculatus coram Deo, & donat eum omnibus his, qui uere in ipsum credunt. Quare, quicunq; accipiunt Christum per fidem, hi reputantur iam sancti coram Deo, non propter sanctitatem suorum operum, quæ ipsi fecerunt, sed propter sanctitatem Christi, qua donati sunt, & quæ ipsis imputatur. Rom.

Rom.8. Qui Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo fieri poteſt, ut non cum eodem omnia nobis donet? Si omnia Chriſti nobis donantur, donatur certe nobis etiam Iuſticia & Sanctitas eius.

Ephe.5. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eã ſibijpſi glorioſam, Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Fieri autem non poteſt, quin ſi conſideretur iuſticia operum, Eccleſia ſit rugoſa & ſordidata. Quia homines quantumuis pij, non poſſunt ullum opus perfecte bonum & iuſtum, in hac uita facere. Reliquum igitur eſt, q Eccleſia idcirco dicatur non habere rugam aut maculam, quia habet Chriſtum ſibi donatum, qui ſolus eſt ſine ruga & macula.

Deinde, Eccleſia dicitur etiam aliquo modo ſancta propter externam uitæ honeſtatem. Etſi enim hæc externa honeſtas uitæ, non eſt perfecta coram Deo iuſticia, tamen neceſſarium eſt, ut qui ſunt uera membra Eccleſiæ, hanc honeſtatem et iuſticiã ex fide in Chriſtum præſtent. Nam qui ſunt impij, & qui ſcelerate uiuunt, non ſunt uera membra Eccleſiæ. Poſſunt quidem fieri Eccleſiæ membra per fidem, aut ſi exciderint ſceleribus, ad Eccleſiam pœnitentia reuerti, ſed quod ad præſentẽ

ipſorum ſtatum attinet, non ſunt uera Eccleſiæ membra. Rom. 8. Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

1. Timoth. 5. Quæ uidua in delicijs uerſatur, ea uiuens mortua eſt. Et mox: Si qua ſuis & maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Si neglectio familiarium excutit fidem, quid non faceret ſcortatio, aut furtum, aut adulterium? &c.

1. Iohan. 3. Qui committit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Et mox: Qui non diligit fratrem, manet in morte. Quare cum confitemur nos credere eſſe Eccleſiam catholicam & ſanctam, admoneamur de noſtra uocatione, & excitemur ad fidem, & honeſtam uitam, ut ſimus & maneamus membra huius ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ, & accipiamus cœleſte regnum, quod paratũ eſt huic Eccleſiæ ab exordio mundi.

Credo communionem Sanctorum.

IN præcedenti articulo credimus, ꝙ ſit Eccleſia catholica, hoc eſt, uniuerſalis, quæ non ſit alligata ad unum certum locum, aut imperium huius mundi, ſicut quondam populus Iſraliticus, ſed diſperſa in totum orbem terræ, inter omnes gentes, ſicut et Paulus dicit, Euangelium præ-
Coloſſ. 1. dicatum eſſe apud uniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt, et fructificare in toto mundo. Quæ cũ re-

citan-

citantur & explicantur, statim solet auditori in mentem uenire, nũ sit aliqua huius cœtus longe lateq; dispersi coniunctio, qua conseruetur, et ad posteritatem propagetur. Nã quemadmodum dissipatus grex ouium durare non potest, nisi oues à pastore in unum ouile cõgregentur, ita dispersus cœtus hominum non uidetur posse incolumis perdurare, nisi legibus et magistratibus in unum corpus coalescat, et communionẽ inter se habeat. Quare additur hic articulus de communione sanctorũ, ut admoneat nos, q; etsi Ecclesia Christi dispersa est hinc inde in toto orbe terræ, suã tamen habeat coniunctionem et communionem, qua non tantũ constet in hoc seculo usq; ad nouissimum diem, uerum etiam conseruetur perpetuo. Sunt & aliæ causæ, cur hic articulus collocatus sit in symbolo. Magna enim est pusillanimitas, magna est imbecillitas et timiditas piorum, præsertim in grauibus tentationibus et afflictionibus. Etenim pij abijciuntur in hoc mundo, et opprimuntur, ac uidentur omniũ hominum miserrimi: Et quia uident, se quidem in hoc seculo inhumaniter et crudeliter tractari, ex altera autem parte, multos reges, principes ac diuites esse, qui ducant uitam in summa maiestate, tranquillitate et uoluptate, ad quam felicitatem ipsi in his terris pertingere non queant, etiãsi maxime conentur, idcirco existimant se nec in cœlo posse parem illis consequi fœlicitatem, Sed quemadmodum

Ecclesia dispersa habet coniunctionem.

Communio sanctorum cur doceatur.

in his terris sint contempti & abiecti, ita necesse habere etiam in cœlis abiecti esse. Accedit & huc, q̃ cum initio Ecclesia congregaretur ex Iudæis & Gentibus, Iudæi uidebantur sibi fœliciores in Christo, quia Christus erat Iudæis promissus, & ex Iudæis natus. Sed & Gentes uidebantur sibi fœliciores Iudæis, quòd Deus, abiecta Iudæorum gente, ipsas in populum suum elegisset. Sicut & postea, qui ornati erant donis spiritualibus, donis uidelicet linguarum, sanationum, & alijs, fastidiebant præ se alios, qui his donis carebant, tanquam infœliciores in Christo. Postremo, magna prædicatur sanctitas, magna beatitudo Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, qui nunc cum Christo uiuunt. Quare qui adhuc in terris sunt, et sentiunt in se magnam carnis suæ imbecillitatem, sollicitantur, ut existiment se ad cœlestem illorum fœlicitatem nunquam peruenturos. Visum est igitur maioribus nostris hunc articulum, Communionem Sanctorum, in Symbolo collocare, ut eo admoneremur, de sententia totius Euangelij Christi, quo docetur non unum tantum hominum genus capere in Christo cœlestem hæreditatem, sed omnes sanctos esse huius hæreditatis participes, & ut ex eo imbecilles animi piorum confirmarentur, ac in uia Domini alacriter ambulare pergerent, certissimi, q̃ ipsis eadem gloriæ corona, cum omnibus Sanctis sit reposita.

Initio

Initio autem cognoscendum est, qui dicantur hoc loco Sancti. Nam Sancti dicuntur, non quos hypocrisis commendat, aut quos Pontifices Canonisationibus suis, ut uocant, nobis pro Sanctis obtrudunt. Horum etsi nonnulli ueri sancti sunt, tamen non sunt idcirco sancti, q̃ sint publicis cærimonijs in Sanctorum catalogum relati: Sed Sancti hoc loco dicuntur, hi qui in Christum credunt, & consequuntur peccatorum remißionem, ac reputantur coram Deo iusti propter Christum, & ducunt ex hac fide honestam uitam. Sic Paulus in Epistolis suis sanctos uocat, eos uidelicet homines, q̃ in hoc mundo adhuc uiuunt, & credunt Euangelio Christi. Sicut autem uiuentes in hoc mundo dicuntur sancti propter Christum per fidem, ita et hi, qui in hac fide ex uita excesserunt, & sunt cum Christo, dicuntur sancti, ut tam uiuentes, quàm mortui cognomen sanctorum reportent, si modo sanctitatis Christi per fidem fuerint participes facti. *Sancti qui dicantur.*

Quod cum ita se habet, uideamus nunc quæ sit Sanctorum communio, & in quo consistat. Sed nemo potest nos rectius de hac re erudire, quàm Paulus electum organon Christi. Hic ergo ad Ephesios capite 4. de Communione sanctorum scribens, ita inquit, *Sanctorũ communio quæ sit.*

Vnum corpus, & Vnus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una Spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus

Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus uobis.

Hæc est illustris concio de Communione sanctorum, hoc est, omnium credentium in Christum. Quare perstringemus partes eius ex ordine.

Vnum corpus.

Ecclesia Christi, etsi dispersa est inter gentes, in toto orbe terrarum, tamen non sunt diuersa corpora, sed unum est corpus. Si autem Ecclesia est unum corpus, manifesta est communio eius. Et explicat eam Paulus Rom. 12. Quemadmodum, inquiens, in uno corpore multa membra habemus, membra uero omnia non eundem habent actum, Sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra &c. Et 1 Corin. 12. Quemadmodum corpus unum est, & membra habet multa, omnia uero membra corporis unius, multa cum sint, unum sunt corpus, Sic et Christus. Etenim per Vnum spiritum nos omnes in Vnum corpus baptisati sumus, siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi &c. Hic docet Paulus, quòd cum Ecclesia sit num corpus, multa membra habens, communio eius consistat in hoc, quòd siue patitur unum membrum, simul patiantur omnia membra, siue glorificatur unum membrum, simul gaudeant omnia membra, nec alterum contemnat alterum, sed singulorum opera conducant ad totius

Ecclesiæ cõmunio in q bus consistat rebus.

corpo-

corporis incolumitatem. Quare si te afflictio ita premit,ut uideatur grauior, quàm quæ ferri queat,noli animum abijcere, sed refer te ad hunc Symboli articulum,Communionem sanctorum. Non enim tu solus hanc, quam pateris afflictionem, sufferis, sed sufferunt eam tecum omnes sancti uniuersa uidelicet Ecclesia Christi. Cum autem afflictio non possit Ecclesiam opprimere, ne te quidem unquam est oppressura, si modo huius corporis membrum fide permanseris.

Vnus spiritus.

Consistit et in hoc Communio sanctorum,q, etsi diuersa sunt dona Spiritus,et alia alijs sunt excellentiora & insigniora,unus tamen est Ecclesiæ spiritus. Diuisiones,inquit Paulus, donorum sunt, sed idem spiritus. Et mox: Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij uero sermo scientiæ, secundum eundem spiritum etc. omnia hæc efficit unus ille et idem spiritus,diuidens peculiariter unicuiq; sicut uult. Cum igitur tanta sit Communio sanctorum, ut unus sit eorum spiritus, non habet Propheta aut Apostolus, quod glorietur aduersus uulgarem pium: nec habet uulgaris pius, quo præ Prophetis & Apostolis despondeat animum suum. Etsi enim Propheta ornatus est tam illustri dono spiritus, ut longe ante præ-

uideat, quod in his terris futurum est, & Apostolus tanto dono spiritus insignis est, ut loquatur linguis, & excitet mortuos, tamen si uulgaris homo in Christum credit, eundem accipit spiritum, qui non solet quidem in uulgaribus hominibus admiranda sua & illustria illa ædendorum miraculorum dona exercere, exercet autem in eis dona generalia & ad ueram & perpetuam salutem necessaria. Excitat enim credentem in Christum, ut inuocet Deum & clamet ad eum Abba pater. Adhæc mortificat carnem, ne regnet peccatum in corpore eius, et accendit mentem eius ad obediendum uoluntati & uocationi Dei. Vos non estis, inquit Paulus, in carne, sed in spiritu, Siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Quòd si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et aliàs: An nescitis, quòd corpus uestrum templum est, habitantis in uobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Cum igitur unus sit Spiritus omnium in Christum credentium, non contemnamus alter alterum, sed tolleremus nos inuicem per caritatem, & studeamus, per uinculum pacis, unitatem Spiritus seruare, ut in uera Sanctorum communione permaneamus.

Rom. 8.

1. Cor. 6.

Vna Spes uocationis.

Fidelis Deus, inquit Paulus, per quem uocati estis in consortium Filij ipsius Domini nostri Iesu Christi. Et ad Timotheum: Apprehende, inquit, uitam

1. Cor. 1.

uitam æternam, ad quam & uocatus es. Vocatio igitur noſtra eſt, ut capiamus una cum Chriſto filio Dei, hæreditatem æternæ uitæ, & cœleſtis regni. Et quia non pœnitet Deum uocationis & donorum ſuorum, idcirco certo & indubitate ſperamus nos hanc hæreditatem propter Chriſtum accepturos. Sed hæc ſpes, Vna eſt. Vna enim eſt uita æterna, non multæ, Vnum eſt regnum cœleſte, non multa. Neq; enim aliud eſt cœleſte regnum Patriarcharum, aliud Prophetarum, aliud Martyrum, aliud uulgarium piorum. Neque aliud eſt regum, aliud principum, aliud diuitum, aliud pauperum. ſed omnibus unum eſt et idem. Vna, inquit, eſt ſpes uocationis ueſtræ. Negari quidem non poteſt, quin in cœleſti regno alia futura ſit gloria nõ quidem principum mundanorum, & diuitum, ſed Patriarcharum, alia Apoſtolorum, alia Martyrum, alia uulgarium piorum. Sic enim Daniel dicit, Qui docti fuerint (uidelicet uerbo Domini, & propagauerint illud prædicatione ſua in Eccleſia Domini) fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et Paulus 1. Cor. 15. Alia gloria ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum. Stella ſiquidem à ſtella differt in gloria. Sic & reſurrectio mortuorum. Sed quẽadmodum in humano corpore, etſi multa ſunt membra, quorum unumquodq; ſuum habet donum et actionem, tamen una

1. Tim. 1.

Vocatio noſtra.

Vna fœlicitas & uita æterna ſanctorum.

est anima. una uita eorum: ita & in cœlesti regno, etsi alia est aliorum gloria, tamen una est æterna uita & fœlicitas, qua non minus fruetur in Christo pius opifex, quàm Patriarcha aut Apostolus. Habemus, inquit Paulus, utrique aditum per illum, in uno spiritu ad Patrem. Iam igitur non estis hospites & incolæ, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei. Et iterum: Idoneos nos fecit ad participationem sortis sanctorum in lumine &c. Cum igitur una sit sanctorum æterna uita & fœlicitas, non dimoueamur à spe eius consequendæ, uel potentia Regum, uel opibus diuitum, uel sanctitate Patriarcharum, uel claritudine Apostolorum, uel gloria Martyrum, sed potius incumbamus in hoc studium, ut simus in Christo Iesu sancti per fidem. Sic enim fruemur etiam Sanctorum communione.

Ephe. 2.

Col. 1.

Vnus Dominus.

Paulò ante facta est mentio Spiritus, & mox fiet mentio Patris. Hic ergo per Dominum intelligitur Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, quem dedit Pater caput super omnia, Ecclesiæ, quæ est corpus illius. Vnus autem tantum est Christus, non multi Christi, unum tantum est Ecclesiæ caput, non multa capita. Nec alium Christum habet Dauid, nec alium Petrus, nec alium pius quispiam è medio uulgi. Quicunq;, inquit Paulus, baptisati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, ne

Gala. 3.

quis

que Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus nec fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Quare qui est in Christo per fidem, etsi non ædit miracula, nec est claritudine æqualis Esaiæ aut Petro, tamen quia eundem habet Christum, quem illi, & unus est cum illis in Christo, accipiet etiam eandem cum ipsis cœlestem hæreditatem.

Vna Fides.

Etsi fides ueterum piorum, qui fuerunt ante aduentum Christi, fuit obscurior, quàm nostra, qui cognoscimus Christum ex Euangelio reuelato. Nunc propius, inquit Paulus, adest nobis salus, quàm tum cum credebamus. Nox progressa est, dies autẽ appropinquat. Et quanquam fides solet in alijs robustior, in alijs imbecillior esse, tamen quod ad rem ipsam attinet, Vna est omnium piorum fides. Neq; enim propria fides est, quam habent uel impij ethnici de suis dijs, uel Mahumetistæ de suo uno quem fingunt Deo, uel Iudæi Thalmudistæ de nugis suis Thalmudicis, uel Hypocritæ de meritis suorum operum, Sed ea demum uera fides est, quæ habetur in Iesum Christum Filium Dei, quod propter hunc Deus pater sit nobis propicius, et adoptet nos in filios & hæredes regni sui cœlestis. Hanc fidem habuerunt Patriarchæ. Hanc fidem prædicauerunt Prophetæ & Apostoli. Hanc fidem pro-

profeſsi ſunt Martyres. Hæc eſt fides uniuerſæ Eccleſiæ. Quare qui aliam fidem ſectatur, non eſt in communione Sanctorum.

Vnum baptiſma.

Fuerunt quondam nonnulli, qui maluerunt baptiſare in Iordane, in quo Chriſtus baptiſatus eſt, quàm in alio fluuio. Quod etſi potuit abſq; ſuperſtitione fieri, tamen ſciamus unum tantum eſſe baptiſma totius Eccleſiæ. Neq; melior eſt baptiſmus ex Iordane quàm è Nilo, aut Danubio, aut Neccaro datus. Neq; excellentior ab Epiſcopo, quàm à Diacono diſpenſatus. Neq; dignior à rege aut principe, quàm ab opifice aut etiam mendico ſuſceptus. Datur enim in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & datur in remiſsionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei. Non poteſt autem Epiſcopus miniſterio ſuo aliud his bonis maius in baptiſmo offerre, quàm Diaconus: nec poteſt Rex mundanus aliud maius ex baptiſmo accipere, quã priuatus quiſpiam. Vnus igitur tantum eſt baptiſmus uniuerſæ Eccleſiæ communis.

Vnus Deus & Pater omnium.

Sic Rom. 4. An Iudæorum Deus tantum? an non & Gentium? Certe & Gentium. Quandoquidem unus Deus, qui iuſtificat circunciſionem ex fide, & præpucium per fidem. Et Rom. 10. Idem Domi-

Dominus omnium, diues in omnes Inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Habes, quibus in rebus consistat Communio Sanctorum, hoc est, omnium eorum, qui credunt in Iesum Christum. Reliquum igitur est, ut siue patimur aliquid aduersi, bene confidamus, q̃ nobiscum patiatur uniuersa Ecclesia Christi, et cum sit unus Spiritus, pro salute nostra intercedat: siue uidemus alios donis uel spiritualibus uel corporalibus ornatiores, non inuideamus, nec animum abijciamus, quòd cum simus unum corpus, aliorum dona etiam nostra sunt utilitas: & cum sit unus Christus, & una Spes uocationis, non minus iuris ad ueram & æternam fœlicitatem in Christo per fidem possidemus, quàm illustres quiq̃; Patriarchæ aut Prophetæ.

Credo remissionem peccatorum.

NOn est dubiũ, quin hic articulus relatus sit singulari maiorum nostrorum cõsilio, in Symbolum nostræ religionis. Nam, cum antea cõmemoratum sit, esse sanctam catholicam Ecclesiam, Et, Sanctorum communionẽ, sollicitantur imbecilles Christiani existimare, se nec esse membra Ecclesiæ catholicæ, nec esse in cõmunione Ecclesiæ, propterea q̃ uideant se adhuc prophanos esse

professi sunt Martyres. Hæc est fides uniuersæ Ecclesiæ. Quare qui aliam fidem sectatur, non est in communione Sanctorum.

Vnum baptisma.

Fuerunt quondam nonnulli, qui maluerunt baptisare in Iordane, in quo Christus baptisatus est, quàm in alio fluuio. Quod etsi potuit absq; superstitione fieri, tamen sciamus unum tantum esse baptisma totius Ecclesiæ. Neq; melior est baptismus ex Iordane quàm è Nilo, aut Danubio, aut Neccaro datus. Neq; excellentior ab Episcopo, quàm à Diacono dispensatus. Neq; dignior à rege aut principe, quàm ab opifice aut etiam mendico susceptus. Datur enim in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & datur in remissionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei. Non potest autem Episcopus ministerio suo aliud his bonis maius in baptismo offerre, quàm Diaconus: nec potest Rex mundanus aliud maius ex baptismo accipere, quã priuatus quispiam. Vnus igitur tantum est baptismus uniuersæ Ecclesiæ communis.

Vnus Deus & Pater omnium.

Sic Rom. 4. An Iudæorum Deus tantum? an non & Gentium? Certe & Gentium. Quandoquidem unus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præpucium per fidem. Et Rom. 10. Idem Domi-

Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Habes, quibus in rebus consistat Communio Sanctorum, hoc est, omnium eorum, qui credunt in Iesum Christum. Reliquum igitur est, ut siue patimur aliquid aduersi, bene confidamus, q̃ nobiscum patiatur uniuersa Ecclesia Christi, et cum sit unus Spiritus, pro salute nostra intercedat: siue uidemus alios donis uel spiritualibus uel corporalibus ornatiores, non inuideamus, nec animum abijciamus, quòd cum simus unum corpus, aliorum dona etiam nostra sunt utilitas: & cum sit unus Christus, & una spes uocationis, non minus iuris ad ueram & æternam fœlicitatem in Christo per fidem possidemus, quàm illustres quiq̃ Patriarchæ aut Prophetæ.

Credo remissionem peccatorum.

NOn est dubiũ, quin hic articulus relatus sit singulari maiorum nostrorum cõsilio, in Symbolum nostræ religionis. Nam, cum antea cõmemoratum sit, esse sanctam catholicam Ecclesiam, Et, Sanctorum communionẽ, sollicitantur imbecilles Christiani existimare, se nec esse membra Ecclesiæ catholicæ, nec esse in cõmunione Ecclesiæ, propterea q̃ uideant se adhuc prophanos esse

esse peccatores ac indignos, qui recensentur in catalogo Sanctorum. Quare additus est hic articulus, de Remissione peccatorũ, ut cognoscamus quæ sit Sanctorum & piorum omnium sanctitas. Præterea, hic articulus exponit nobis uerum usum eorum articulorum, quos antea Symbolum de unigenito Filio Dei Domino nostro Iesu Christo commemorauit. Nam quòd Filius Dei homo conceptus, natus, passus, crucifixus, mortuus, sepultus est, ac descendit ad inferos, et resurrexit à mortuis, in hunc usum & finem factum est, ut haberemus propter ipsum remissionem peccatorum, & iustificaremur coram Deo. Traditus fuit, inquit Paulus, propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationẽ nostri. Quare hic articulus dignissimus est, quem diligenter expendamus. Dicamus igitur primum, quo merito contingat nobis remissio peccatorum. Deinde quàm late pateat. Postremo, qua uia, aut quo modo eam consequamur. Nulla enim est gens, quæ cum credit esse Deum, non affirmet etiam Deum esse clementem & misericordem, ac remittentem peccata. Hoc Iudæus, hoc Mahumetista, hoc Monachus, hoc hypocrita, hoc & uere Christianus fatetur, uidelicet, q. Deus sit clemens, & remittat peccata. Sed hi omnes, præter uere pios, existimant Deum remittere peccata propter merita humanæ iusticiæ. Vis Deum (inquiunt) placare? Bonus esto, nimirum sentiunt Deum remittere iram

Remissio peccatorũ quo merito contingat.

1
2
3

Cicero.

suam

ſuam,& ignoſcere peccatis,propter hominum bonitatem. Manifeſta autem eſt doctrina Euangelij de Domino noſtro Ieſu Chriſto,quæ perſpicue tradit,q; Deus ſit miſericors,& remittat peccata,non propter ulla humana merita, Sed propter ſolum Ieſum Chriſtum Filium ſuum, qui peccata noſtra paßione & morte ſua expiauit.

Matth.20. Venit Filius hominis,non ut ſibi miniſtraretur,ſed ut ipſe miniſtraret,utq; daret animam ſuam λύτρον,hoc eſt,perſolutionem, ſeu expiationem peccatorum pro multis.

Ephe.5. Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem et uictimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ &c.

1.Timot.2. Vnus Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum,homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum ἀντίλυτρον,hoc eſt,preciũ redemptionis pro omnibus &c.

Heb.9. Chriſtus ſemel ſub conſummationem ſeculorum, ad profligationem peccati, per immolationem ſui ipſius apparuit. Et mox: Chriſtus ſemel oblatus eſt,ut multorum peccata tolleret.

1.Iohan.2.Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris,non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Ad Tit. 3. Poſtquam bonitas & erga homines amor apparuit ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus, quæ ſunt in iuſticia, quæ faciebamus nos,

ſed

ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos opulente, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum &c.

Quid plura? Cum Angelus imponeret Chriſto nomẽ Ieſu, addit huius nominis rationẽ, Ipſe enim, inquit, ſaluũ faciet populum ſuum à peccatis ſuis. Quare nihil certius eſt, quàm q; Deus remittat peccata, non propter hominum merita, Sed tantũ propter meritum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſolus peccata noſtra coram Deo expiauit.

Remiſſio peccatorũ quàm late pateat.

Sed de merito remiſſionis peccatorum hactenus. Videamus nunc, quàm late pateat peccatorũ remiſſio. Ac primum, hic articulus admonet nos, q; qui ad Eccleſiam Chriſti accedunt, & credunt in Chriſtum, ac baptiſantur in nomine eius, ſiue Iudæi, ſiue Ethnici, ſiue liberi ſiue ſerui, recipiantur in gratiam Dei, et conſequantur remiſſionem omnium peccatorũ ſuorum, ſiue originalis, ſiue actualium, ut uocant. In Chriſto enim et baptiſmo eius, nõ eſt diſcrimẽ, ſiue perſonarum, ſiue peccatorũ. Quicunq; ſiue circumciſus, ſiue incircumciſus, crediderit in Chriſtum, & ſuſceperit baptiſmum ex fide Chriſti, recipitur in gratiam Dei, & adoptatur in filium eius. Et, Quæcunq; peccata, quocunq; nomine uocentur, ſiue originalia, ſiue actualia, ſiue uenialia, ſiue mortalia, ſiue parua ſiue magna, remittuntur propter Chriſtum per baptiſmum.

Peccata omnia remittuntur propter Chriſtũ omnib.

Mar-

Marc. ult. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit &c. Marc. ult.

Act. 2. Delictorum pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; uestrum in nomine Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Act. 2

1. Cor. 6. Neq; scortatores, neq; cultores simulacrorum etc. accipient hæreditatem cœlestis regni. Atq; hæc eratis quidam, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis per nomen Domini, Iesu & per Spiritum Dei nostri.

Ad Tit. 3. Saluos nos fecit secundum suam misericordiam per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, &c.

Sed quid multis opus est? Doctrina Euangelij manifeste tradit, quòd homines, quales quales fuerint, siue Iudæi, siue Ethnici, siue Reges, siue priuati, siue liberi, siue serui, recipiantur per fidem in Christum, et per baptismum in gratiam Dei, & in numerum Sanctorum, ut quisquis credit in Christum, et baptisatur in nomine eius, accipiat remissionem omnium peccatorum, & ius cœlestis hæreditatis.

Deinde, hic articulus admonet nos, quòd etsi post baptismum remanet adhuc peccatum in carne, remittatur tamen & non imputetur ei, qui credit in Christum, & non ambulat iuxta carnem, sed

Peccatum reliquũ in renatis non imputatur.

ſed iuxta ſpiritum. Quæ quidem res non eſt oſcitanter conſideranda. Sunt enim multi, qui cũ prædicatur, hominem accipere in baptiſmo remiſſionẽ omnium peccatorum, exiſtimant, quòd homo efficiatur per baptiſmum tam purus, & tam ſanctus, ut nihil amplius ſordium aut malarum cogitationum in ſe retineat. Itaq; cum poſt baptiſmum ſentiunt adhuc affectus peccati, et malas ac impias cogitationes in carne ſua, exiſtimant ſe non eſſe uerã peccatorum remiſſionem et ſanctitatem per fidem & baptiſmum conſecutos. Sed huic ſeu opinioni ſeu tentationi opponitur hic articulus de peccatorum remiſſione. Baptiſmus enim non ita tollit peccatum, ut quod nobis natura inhæret, nõ remaneat in carne, Sed ita tollit, ut quod remanet, non amplius imputetur. Et ut ueteres locuti ſunt, Peccatum in carne, tollitur quidem per baptiſmum reatu, remanet autem actu, uidelicet, tollitur, non ut non ſit, ſed ut nõ imputetur. Nam hoc peccatum, quod poſt baptiſmum in carne remanet, etſi condonatur propter Chriſtum, tamen efficit, ut homo non perfecte impleat legem Dei ſuis operibus, nec faciat ullum bonum opus tam integre, & tam ſancte, ut poſſit corã ſeuero tribunali Dei conſtare. Itaq; Remiſſio peccatorum ſemper nobis neceſſaria eſt, non ſolum in perpetratis actualibus peccatis, uerumetiam in bonis ipſis operibus, non q, hæc per ſe ſint peccata, ſed quòd propter peccatum carni adhuc

Baptiſmus quomodo tollat peccatum.

Auguſtinus.

huc inhærens, imperfectiora sint, quàm quæ legi Dei exacte satisfaciant. Hinc est, q̃ Ecclesia semper orat, Remitte nobis debita nostra. Et Psal.31. ait: Confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit te omnis sanctus &c.

Testimoniæ de remißione remanẽtis peccati in renatis.

Quòd autem certa sit remißio huius peccati, quamuis remanentis in carne usq; ad mortem, manifesta sunt testimonia Scripturæ.

Psal.129. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Sed apud te est propiciatio, ut timearis &c. Fatetur se iniquitatibus ita obrutum, ut semper secum peccatum in carne sua gestet, alioqui sustinere posset iudicium Dei. Sed confidit de peccati remißione, quòd apud Dominum sit misericordia, propter Christum filium suũ &c.

1. Iohan. 1. Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat peccata nostra &c.

Rom.7. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. hoc est, Etsi peccatum ita mihi adhuc inhæret, ut rebellet intra me diuinæ legi, et concupiscat aduersus spiritũ, tamen ago gratias

Deo patri, q. hoc peccatum remittat & condonet mihi propter Ieſum Chriſtum Filium ſuum &c.

Rom. 8. Nulla eſt condemnatio his, qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu, qui non iuxta carnem uerſantur ſed iuxta ſpiritum, hoc eſt, Multum quidem peccati hæret adhuc in carne hominis, etiam poſt baptiſmum, ſed nulla eſt condemnatio his qui credunt in Chriſtum, & mortificant affectus peccati. Lex enim ſpiritus uitæ (ut in Paulo ſequitur) per Chriſtum Ieſum, liberum me reddidit à iure peccati & mortis &c.

Galat. 5. Nos ſpiritu ex fide, ſpem iuſticiæ expectamus, hoc eſt, Accepimus quidem iuſticiam Chriſti in baptiſmo, per fidem imputatione, Reipſa autem nondum eſt perfecta iuſticia in carne noſtra, ſed ſperamus etiam carnem noſtram perfecte iuſtam fore, non in hac corporali, ſed in futura cæleſti uita. Interea autem temporis, & ſi manet peccatum in carne, non tamen imputatur nobis propter Chriſtum, quem fide accepimus, & cuius ſpiritu affectus carnis mortificatur. Quare cum recitamus in Symbolo, Remiſſionem peccatorũ, non intelligamus tantum de remiſſione eorum peccatorum, quæ ante baptiſmum deſignata ſunt, ſed etiã de eo peccato, quod poſt baptiſmum in carne reliquum eſt, ut agnoſcamus nos et ſemper eſſe peccatores, et continua peccati remiſſione opus habere.

Poſtremo, hic articulus admonet nos, q. etiam lapſis

lapsis post baptismum, pateat receptus ad recuperandam peccatorum remissionem, & ad redeundum cum Deo in gratiam. Fuerunt quondam Nouatiani & Cathari, qui non receperunt in communionem Ecclesiæ eos, qui post baptismum in manifesta scelera relapsi erant. Et sunt multi tam imbecilles, in conscientia sua, ut cum post baptismum, peccatum aliquoties in corpore ipsorum regnauerit, existiment sibi ianuam salutis occlusam esse, nec recipiantur amplius à Deo in gratiam. Ac omni quidem studio, & summa diligentia cauendū est, ne carni frenum laxemus, & cupiditati peccati obsequamur. Si autē satan forte dominatus nobis fuerit, et excitauerit nos ad designanda scelera non est in sceleribus perdurandum, nec spes consequendæ ueniæ abijcienda, Sed intueamur in hūc articulum de Remissione peccatorum, quo admonemur, hanc esse certam & firmam doctrinam Euangelij Christi, quòd his, qui peccauerunt siue ante, siue post baptismum, semper pateat receptus ad remissionem peccatorum, propter Iesum Christum per fidem.

Lapsos post baptismum recipi in gratiam.

Hiere. 3. uulgo dicitur, Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.

Zach. 1. *Conuertimini ad me, dicit Dominus Zebaoth, & ego conuertar ad uos. Hæc dicuntur ad eos, qui peccauerunt, postquam acceperant circunciſionem.*

Luc. 15. *Gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis &c.*

1. Iohan. 2. *Scribo uobis ne peccetis, & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.*

Idem docent etiam exempla, uidelicet Petri, Scortatoris Corinthij, quem Paulus iubet recipi in Eccleſiam, & aliorum.

Pœnitentes non petentes ueniã.

Dicitur quidem in Epiſtola ad Ebræ. ca. 6. Fieri nõ poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, ſi prolabantur, denuo renouentur per pœnitentiam. Et cap. 10. Si uolentes peccauerimus poſt acceptam cognitionem ueritatis, non ultra pro peccatis reliqua eſt hoſtia etc. Hæc autem non ſic intelligenda ſunt, q̃ aut defectores à Chriſto, non poſſint amplius reuerti ad Chriſtum, aut ſint peccata, quæ ne reuerſis quidem ad Chriſtum remittantur. Nullus enim eſt tam impius defector, cui non patcat adhuc receptus ad Chriſtum, ſi reſipuerit. Nec ullum eſt tam horribile peccatum, quod non remittatur ei, qui reuertitur ad Chriſtum per fidem. Sed intel

ligen-

ligenda sunt de his, qui Christum ita abijciunt, ut non amplius requirant eum, nec studeant ad eum reuerti. Hi etiamsi pœnituerit eos peccati, sicut et Esau, & Iudam pœnituit, tamen quia non conuertunt sese fide ad Christum, non possunt ullam salutem consequi. Nam quemadmodum Filius perditus apud Luc. cap. 15. nunquam redijsset cum patre in gratiam, si non redijsset ad eum, & petijsset ueniam, etiamsi diu ac multum doluisset, quòd dilapidatis bonis suis, necesse haberet siliquis porcorum uesci: Ita et is qui deficit à Christo, aut qui uolens, & contemnens uerbi Dei sectatur desideria carnis, non potest denuo renouari per pœnitentiam, si non reuertitur fide ad Christum, etiamsi maximo dolore propter peccatum à se perpetratum teneatur. Sine Christo enim & extra Christum, nulla est salus. Quare etsi habet quispiam omnes alias uirtutes, tamen si manet extra Christum, et non habet Christum per fidem, non potest ullam ueram et æternam salutem consequi. Qui autem conuertuntur per fidem ad Christum, siue ante siue post baptismum, obuijs, ut ita dicam, ulnis à Deo patre, & ab omnibus Angelis eius excipiuntur, & in familiam Dei iterum cooptantur. Sed de pœnitentia extant alias copiosæ et disertæ explicationes, quæ diligenter sunt legendæ. Nos accedemus nunc ad id, quod tertio loco proposuimus, uidelicet, Qua uia, aut quo modo peccatorum remissionem

Vide Locos communes P. Melãth. de Pœnitentia.

consequamur. Nam in Ecclesia manifestum quidē est & confessum, quòd Deus sit clemens, & remittat peccata propter meritum Iesu Christi filij sui, quemadmodum supra exposuimus. Sed in illo uariant, quod alij aliter sentiant de modo, quo meritum Christi nobis applicetur, & quo nos remissionem peccatorum à Christo impetratam consequamur. Pontifices enim iactant, quòd Christus commendauerit ipsis thesaurum suæ gratiæ, & meritum remissionis peccatorum, tali priuilegio, ut cui ipsi uolunt, applicent, & conferant peccatorum remissionem, Cui autem nolunt, retineant. Itaq; solent amandare Commissarios ac Legatos, qui dispensent remissionem peccatorum & gratiā Christi, his, qui sunt, ut ipsi loquuntur, contriti & confessi, et qui, quod præcipue quæritur, pecuniam numerant. Dicunt enim, quòd quamprimum Numus in cista tinnit, peccata sint remissa. Sed hac iactantia nihil uanius est. Christus enim, ne Petro quidem, & alijs Apostolis commendauit thesaurum meriti sui, pro ipsorum libidine & pro pecunia distribuendum. Quin potius Petrus ad Simonem Magum dicit, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunijs parari. Sed Christus commendauit Apostolis ministerium prædicandi Euangelij sui, Qua prædicatione distribueretur & dispensaretur thesaurus eius, & meritum passionis ipsius. Ite, inquiens, in uniuersum

Remiss. peccatorū consequendæ uia.

Pontificum uana iactātia de remiss. peccatorum.

Frater Tetzel.

Christus Apostolis qd commēdauerit.

sum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptisatus fuerit, saluus erit &c. Et iterum: Sic oportebat Christum pati, & Resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius Pœnitentiam & Remissionem peccatorum in omnes gentes.

Ex his & similibus testimonijs Scripturæ manifestum est, quòd Christus commendauerit thesaurum meriti sui, & Remissionem peccatorum non humanæ autoritati aut potestati, sed tantum prædicationi Euangelij sui. Quare omnes, qui sinceriter prædicant Iesum Christum, & Euangelium eius, distribuunt meritum passionis Christi, quod est plenaria omnium peccatorum remissio. Vnde & Ministerium prædicandi Euangelij dicitur Clauis regni cœlorum, sicut infra dicetur.

Deinde Monachi somniant Christum collocasse thesaurum gratiæ suæ & remissionis peccatorum in meritis suorum ordinum, in gestatione cuculli, in longis suis precibus & ieiunijs, ut quicunque opera Regularum suarum fecerit, redimat & applicet sibi peccatorum remissionem. Fingunt & hypocritæ thesaurum Christi redimendum, & sibi applicandum esse sacrificijs Missarum, & meritis operum suorum. Hæ opiniones, etsi uidentur Christo suum honorem relinquere, tamen quia depranant ueram doctrinam euangelij Christi de gratuita peccatorum remissione per fidem accipienda.

Regularũ obseruatio non redimit peccatorum remissionem.

non minus impiæ sunt & contumelioſæ in Chriſtum, quàm ſi manifeſte dicerent, nõ mortem Chriſti, ſed merita iuſticiæ ipſorum, expiare peccata. Nam theſaurus Chriſti & remiſsio peccatorum per Chriſtum parta, non redimuntur nec Pontificijs indulgentijs, nec meritis humanæ iuſticiæ, nec ſacrificijs & murmurationibus priuatarum Miſſarum, ſed redimuntur Gratis, ex prædicatione Euangelij, tantum per fidem. Cum enim audis Euangelium, quòd Chriſtus expiauerit paſsione & morte ſua peccata tua, & accipis hoc Euangelium fide, tunc redimis & applicas tibi uere ac certo theſaurum & meritum Chriſti, et conſequeris coram Deo remiſsionem omnium peccatorum. Quod etſi pijs manifeſtius & notius eſt, quàm ut multis uerbis oſtendi & explicari debeat, enumerabimus tamen aliquot Scripturæ teſtimonia, ut quod cognouimus, & credimus, non temere à nobis ipſis excogitaſſe & finxiſſe uideamur.

Remiſs. peccatorũ quo modo redimatur.

Quòd remiſsio peccatorũ non accipiatur niſi per fidem &c.

Rom. 3. Omnes peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei. Iuſtificantur autem GRATIS, per illius Gratiam, (hoc eſt, fauorem ſeu clementiam) per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem, per FIDEM, interueniente ipſius ſanguine. Hic docentur præcipue tria, Vnum eſt, q̃ homines ſint natura peccatores, & nihil habeant, de quo poſsint coram Deo gloriari. Quare quod ad ipſos & merita ipſorum attinet

attinet, obnoxij sunt perpetuæ damnationi. Alterum est, quòd homines iustificantur, hoc est, recipiuntur à Deo in gratiam, & absoluuntur à peccatis, mera gratuita clementia & fauore, tantũ propter redemptionem, qua Christus humanum genus à peccatis redemit, & propter reconciliationem, quam Christus impetrauit, nequaquam autem propter meritum aliquod humanum. Tertium, quòd hoc beneficium Dei non accipimus nisi per fidem, ex prædicatione Euangelij. Etsi enim Christus redemit humanum genus à peccatis, et reconciliauit cum Deo, tamen hoc beneficium nihil prodesset humano generi, nisi ei adnunciaretur Euangelio. Euangelium autem exigit fidem, et accipiendum est fide. Qui enim non crediderit, inquit, condemnabitur. Qui autem crediderit, Euangelio uidelicet, saluus erit. Quare remissio peccatorum, per Christum parta, & Euangelio adnunciata, accipitur à nobis, & applicatur nobis, non nisi per FIDEM propter Iesum Christum.

Ephe. 2. Gratia (hoc est, gratuita Dei clementia) estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Hic iterum prædicatur Fides, uidelicet, non quòd sit meritum, sed medium seu instrumentum, quo accipitur beneficium Christi, quod est Remissio peccatorum.

Galat. 2. Scimus non iustificari (hoc est, non absolũ

absolui à peccatis) hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, et nos credimus in Christum Iesum, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Dicit hominem accipere absolutionem à peccatis, seu remissionem peccatorum, non propter merita operum, quamuis diuina lege mandatorum, sed per fidem, propter Christum.

Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, q̃ remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Quare remissio peccatorum per Christum parta, & Euangelio adnunciata, redimitur et applicatur nobis, non meritis nostrorum operum, aut priuatis illis sacrificijs Missarum, sed tãtum per fidem, uidelicet, cum Euangelium Christi accipimus fide, et credimus nobis peccata uere à Deo remissa propter Iesum Christum unigenitum Filium eius, seruatorem nostrũ.

Fidem sequuntur bona opera.

Quid ergo de bonis operibus dicemus? Nihil ne aliud bonorum operum faciendũ est? Imo, cum uera est fides, teneri non potest, quin quæuis bonorũ operum genera uberrime proferat, Remissio enim peccatorum non datur, nec accipitur in hũc usum, ut deinceps desiderijs peccati obsequi liceat, sed ut mortificata carne, peccata fugiamus, & in operibus iusticiæ ambulemus. Quare qui ambulat adhuc secundum carnem, manifeste significat, se aut non ueram concepisse fidem, aut si ueram concepe rit, iterum eam excussisse & abiecisse. Sed de bono

rum

rum operum ratione postea copiose, uolente Domino, dicemus.

Credo carnis resurrectionem.

SIcut in præcedenti articulo traditur nobis fructus passionis & mortis Christi, qui fructus est, Remissio peccatorũ, ita in hoc articulo traditur nobis fructus Resurrectionis Christi, qui fructus est huius nostræ carnis Resurrectio. Ac profecto hic articulus tanto cõmendatior nobis esse debet, quanto manifestius nobis finẽ salutis nostræ ostendit. Paulus ad Corinthios scribens, Si resurrectio, inquit, mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. Quòd si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis et superua 1
canea est fides uestra, reperimur et falsi testes Dei, 2
adhuc estis in peccatis uestris, & qui obdormierũt 3
in Christo, perierunt, et si in hac uita spem in Chri 4
sto tantum fixam habemus, maxime miserabiles 5
omnium hominum sumus. Quare, cum ex hoc articulo ueritas Euangelij de Christo, & summa salutis nostræ pendeant, necessarium est, ut certissimis & uerissimis argumentis confirmetur.

Resurrectio carnis fructus resurrectionis Christi.

Debemus autem etiam hac de causa eò certiora huius articuli testimonia habere, quo maioribus semper uiribus Satan conatus est eum infirmare,

ac

ac prorsus labefactare. Excitauit enim nonnullos, qui non sunt ueriti dicere, nullam esse mortuorum resurrectionem, Sed hominem interire sicut bruta animantia, una cum corpore & anima. Hi sunt Epicuræi & Sadducæi, de quibus habes Act. 17. & 23. & 1. Cor. 15. Alij dixerunt, esse quidem resurrectionem, sed spiritualem tantum, ac tum fieri, cum homo conuertitur ad uerum Deum, & resurgit à peccatis. De his scribit Paulus 2. Timoth. 2. Alij senserunt animam quidem post hanc uitam superstitem manere, corpus autem interire, nec unquam resurgere, Quæ fuit Ethnicorum quorundã opinio. Alij dixerunt, animam in morte, una cum corpore interire, & iterum cum corpore resurgere. Alij quidam docuerunt, resurgere quidem corpus hominis, non autem hoc corpus, nec hanc carnem, sed aliam. Vides, quàm uarias sententias Satã de Resurrectione mortuorum excitauerit, ut ueritatem huius articuli obscuraret, adeoq; ex animis hominum eximeret, & ipsos in perpetuum exitiũ abduceret.

Opiniones uariæ & falsæ de resurrectione mortuorũ.

Eusebius in Ecclesiast. histo. lib. 6. cap. 27.

Sed uera de Resurrectione fides hæc est, quòd moriente homine, anima non moriatur, sed uiuat, donec aduenerit nouissimus dies. Tunc enim corpus resuscitabitur ex puluere terræ, et unitum animæ perpetuo uiuet. Resuscitabitur autem non aliud corpus, aut alia caro, Sed hæc ipsa caro, quam nunc gestamus, etsi non est habitura amplius carnales

De Resurrectiõe mortuũ uera sententia.

rales conditiones, sicut in hoc mundo habet, Sed spirituales, quemadmodum ex Paulo 1. Cor. 15. manifestum est, ideoq; maluerũt nostri maiores in Symbolo dicere, Resurrectionem Carnis quàm corporis, ut significarent hanc ipsam carnem, sed ornatam cœlestibus donis resurrecturam. Quæ autem nunc commemorauimus, quia indubitata fide tenere debemus, testimonijs sacræ Scripturæ diligenter sunt probanda & confirmanda.

Anima humana non interit una cum corpore, sed uiuit etiam post hominis mortem.

MATTH. 22. Deus uocatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Deus autem non est Deus mortuorum, hoc est, nihil existentium, sed Deus uiuorum. Ergo illi uiuunt. Non autem uiuunt corpore, priusquam excitantur à morte. Viuunt ergo anima.

Luc. 23. Dicit Christus ad latronem: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Postquã autem & Christus & Latro eo die mortui sunt, non ingressi sunt Paradisum corporibus suis, sed potius sepulchrum. Quare animabus suis Paradisum ingressi sint, necesse est.

Matth. 10. Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, Animam autem nõ possunt occidere.

Act. 7. Stephanus commendat Iesu spiritum suum.

ſuum. Domine Ieſu, inquiens, ſuſcipe Spiritum meum. Manifeſtum igitur eſt Spiritum, poſt hominis mortem, adhuc uiuere.

Philip. 1. Cupio, inquit Paulus, diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Manifeſtum igitur eſt, quod anima in morte aut diſſolutione hominis non interit. Sed uiuit, pij quidem hominis, cum Chriſto, impij autem, præcipitata in tartarum, & ſeruata catenis noctis, in iudicium una cum ſatana, ſicut Petrus loquitur. Sed quæ ſit interea temporis, dum tempus Reſurrectionis aduenerit, uel forma, uel uita animæ, nulla humana ratio aut intelligere, aut capere poteſt, Sed uerbo Dei, affirmandi reliquam eſſe uitam animæ ſeu ſpiritus poſt mortem, ſimpliciter adhibenda eſt fides, donec rem ipſam in futuro ſeculo manifeſte cognoſcamus.

2. Pet. 2.

Quòd omnes homines ſint in nouiſſimo die, cum corporibus ſuis, uere reſurrecturi.

IOB 19. Scio, quòd Redemptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle meo, & in carne mea uidebo Deum, Quem uiſurus ſum ego ipſe, & non alius.

Oſe. 13. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ò mors &c.

Eſai. 26. Viuent mortui tui, interfecti tui reſurgent.

gent. Expergiſcimini & lætamini, qui habitatis in puluere &c.

Sed teſtimonia ueteris Teſtamenti de Reſurrectione mortuorum, diligenter collegit Philippus in Locis ſuis communibus.

Teſtimonia autem noui Teſtamenti ſunt apertiſsima & irrefutabilia.

Iohan. 5. Venit hora, cum audient uocem Filij Dei, hi qui in monumentis ſunt, & prodibunt, qui bona egerunt, in reſurrectionem uitæ, qui uero mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis.

Matth. 25. Cum uenerit Filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper Sedem gloriæ ſuæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes &c.

1. Theſſ. 4. Ipſe Dominus cum hortatu & uoce Archangeli, ac tuba Dei deſcendet de cœlo, et mortui in Chriſto reſurgent primum &c.

1. Corin. 15. Chriſtus reſurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormierunt. Poſtquam enim per hominem mors, etiam per Hominem reſurrectio mortuorum &c. Sed hoc 15. caput Pauli ad Corinthios, continet integram & copioſam doctrinam de Reſurrectione mortuorum, ideoq; ſit nobis commendatiſsimum, ut non ſolum legamus, ſed etiam alta mente reponamus. Probat autem Paulus Reſurrectionem mortuorum præcipue ex eo, quòd Chriſtus reſurrexit à mortuis. Nam Chriſtum à mor-

Reſurrectio mortuorũ quo-

modo probetur à Paulo.

mortuis resurrexisse, manifestum est certissimis argumentis, & uerissimis Apostolorum testimoniis. Manifestum igitur est, quòd & mortui sint resurrecturi, quia postquam per hominem, inquit, mors, etiam per hominem resurrectio mortuorũ. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur. Deinde docet, Deum insculpsisse in quoduis granum testimonium Resurrectionis. Stulte, inquiens, tu quod seminas non uiuificatur, nisi mortuum fuerit. Siue igitur grana frumentorum, aut aliarum rerum inspicias, siue resurrectionem Christi intuearis, siue doctrinam tam Propheticæ quàm Apostolicæ scripturæ consideraueris, ubique offerent sese manifesta & firma testimonia Resurrectionis mortuorum, quæ & argumentis, aut potius figmentis humanæ rationis diligenter opponenda sunt, ut excusso carnis delirio, ueram de Resurrectione fidem conseruemus.

Quali corpore sumus resurrecturi.

HOC proponitur cognoscendum, non ex superuacanea curiositate, sed ut hac occasione obiectiones humanæ rationis, aduersus resurrectionem refutentur. Incredduli enim homines, solent multa absurda allegare, quæ sequũtur, ut ipsi quidem iudicant, si statuatur Resurrectio mortuorum. Dicunt

cunt, Orbis terræ constitit iam plusquam quinquies mille annos, Et quis scit, quàm multis adhuc annis sit duraturus? In tot annis, quot myriades hominum mortem obierunt? & quot adhuc morientur? Quanta præterea fuit diuersitas eorum? Alius fuit claudus, alius cœcus, alius gibbosus, alius hernioſus, alius luscus, & quis omnia corporum uicia enumerare posset? Si ergo est Resurrectio mortuorum, ubi tantum spacij locorum erit, in quo tot homines sint commoraturi? Et quæ erit illa deformitas, si alius rectus, alius incuruus, alius claudus, alius cœcus incedat? Accedit et hoc, q̃ isti existiment magnas fore de Coniugio controuersias. Si mortui resurgunt (inquiunt Saducæi ad Christum) cuius erit uxor illa, quæ septem habuit maritos fratres? Considerandum igitur est, quali corpore mortui sint resurrecturi, & quæ sit futura eorum conditio, post Resurrectionem. Hanc autem ipsam quæstionem Paulus nominatim explicat, in priori Epistola ad Corinth. cap. 15. Sunt corpora, inquiens, cœlestia, & sunt corpora terrestria. Ac mox, Stella à stella differt in gloria, Sic & Resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate. Seminatur in ignominia, resurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, resurgit in potentia. Seminatur corpus animale, resurgit corpus spirituale. Et paulo post, Quemadmodum gestauimus imagi-

Matt. 22.

nem terreni, gestabimus & imaginem cœlestis.

Corpora resurgẽtium quare dicãtur spiritualia.

Hic manifeste docet Paulus, quod resurgemus corpore spirituali & cœlesti, non animali et terreno. Hoc autem non est intelligendum, q̃ in Resurrectione corpus mutetur in spiritum, sed quòd maneat quidem uera huius corporis substantia, abijciat autem imbecillitates animalis & terreni corporis, & accipiat proprietates & conditiones spiritus. Imbecillitas & proprietas corporis in hoc seculo est, quòd sit corruptibile, quòd sit sordidum, q̃ fiat subinde infirmius, quòd sit crassum & tardum, quòd moueatur pedetentim de loco in locum, quòd sit uisibile, quòd indigeat cibo & potu, quòd afficiatur calore, frigore, & alijs qualitatibus, ac breuiter, quòd sit mortale. In Resurrectione autem abijciet omnes illas infirmitates, & assumet proprietates spiritus. Erit enim incorruptibile, erit glorioſum, erit perpetuo firmum & sanum. Non remorabitur ipsum amplius crassicies & tarditas, sed erit tam agile, ut in uno momento & ictu oculi moueatur, quocunque libet, nec quicquam corporale poterit ei obstare, quo minus penetret. Erit & quandocunque libet, inuisibile, et intangibile. Non indigebit nec cibo nec potu: non afficietur ullis aduersis rebus, adeoq̃; prorsus erit immortale. Hoc enim docet Paulus, cum ait, corpus resurrecturum spirituale, & nos gestaturos imaginem cœlestis. Et ad Philip. cap. 3. ait, Noster municipa-

nicipatus est in cœlis. Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam sibi subijcere omnia. Quare etsi habemus uicia corporis, claudicationem, gibbositatem, cœcitatem, aut aliam deformitatem in hoc seculo, tamen ea non erunt in futuro seculo, Sed omnia erunt in corporibus perfecta & glorioſa. Et quanquam in hoc mundo multorum corpora non possunt in uno paruo loco contineri, tamen cum corpora nostra futura sunt in Resurrectione, glorioſa, metuendum non est, ne alter alterum ex suo loco extrudat. Nam quod Christus post Resurrectionem suam ostenderit uestigia clauorum in manibus, & lanceæ in latere, ac occupauerit spacium loci, non fuit corporis sui necessitas, sed dispensatio, qua Christus hæc uestigia, & loci occupationem iterum ad tempus recepit, ut probaret Resurrectionis suæ ueritatem. Sicut & seſe uisibilem ac palpabilem præbuit, cum tamen corpus glorioſum, non sit corporali nec uisui nec tactui obnoxium, nisi forte sua sponte se uidendum ac tangendum exhibeat. Hoc, inquies, uerum quidem fateor, de corporibus beatorum. Quid autem futurum erit de corporibus damnatorum? Certe resurgent & horum corpora spiritualia. Et sicut beatorum corpora erunt incorruptibilia & immorta-

Christi corpus post resurrectionē cur ad tempus uisui et tactui obnoxium.

Corpora damnatorū an resurgant.

immortalia: ita & corpora damnatorum, Sed hoc discrimine, quia corpora beatorum erunt in summo & cœlesti gaudio, damnatorum autem in summo & perpetuo cruciatu.

Cæterum, quod ad Coniugium attinet, docet Christus ipse perspicue, apud Matth. cap. 22. quòd Coniugium sit genus uitæ pertinens tantum ad hoc præsens, et non ad futurum seculum. In resurrectione, inquiens, neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nam hæc erit piorum in Resurrectione fœlicitas, quòd liberati omnibus corporalibus & mundanis rebus, acturi sint cœlestem cum Christo Domino suo uitam, & fruituri uera & perfecta cognitione Dei, quæ est summa & perpetua beatitudo. Rapiemur, inquit Paulus, in nubibus, in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Et iterum: Cernimus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Iohannes: Nunc, inquit, filij Dei sumus, et nondum apparuit, quod futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, SIMILES ei erimus, quoniam VIDEBIMVS eum sicuti EST. Quid plura? Esaias dicit, A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non uidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. hoc est, tanta futura

Coniugium non pertinet ad futurum seculum.

1. Thess. 4.

1. Cor. 13.

1. Iohan. 3.

Esai. 64.

1. Cor. 2.

est

est fœlicitas piorum, ut nec humanis uerbis explicari, nec humanis auribus percipi, nec humanis oculis conspici, nec humana ratione aut intellectu comprehendi queat. Et tamen ea nihil est nec uerius nec certius. Quare nullo modo nobis committendum est, ut collocemus spem nostram in hoc mundo, & in mundana fœlicitate, Sed pergamus sine intermissione ad accipienda etiam hoc tempore ea bona, quæ in Resurrectione reuelabuntur. Quæ enim tunc reuelabuntur, & reipsa contingent, ea nunc per fidem ex Euangelio Christi accipienda sunt. Fides autem, si uera fuerit, non potest esse ociosa, sed quia certo confidit futuram esse resurrectionem, & in ea cœlestem fœlicitatem, teneri non potest, quin & in hac uita meditetur resurrectionem, ac testificetur eam totius uitæ suæ nouitate.

Credo uitam æternam.

HIc est ultimus fidei nostrę articulus, sed qui duobus uerbis exponit & tradit nobis fructum & utilitatem omnium priorũ articulorum. Si enim non esset uita æterna, quid multũ prodesset Creatio huius mundi? quid commodi afferret nobis Incarnatio, Passio, Mors, & Resurrectio Filij Dei? Quantilla esset utilitas Remissionis peccatorum, & Resurrectionis mortuorum?

Religionis nostræ uerus fructus traditur in hoc articulo.

Si resurgeremus à morte, iterum morituri, ac perpetuo interituri, sicut iumenta intereunt, an non talis Resurrectio magis esset supplicium, quàm beneficium? Tolerabilius enim esset mortem semel subire, quàm ad mortem secundo & tertio subeundam iterum resuscitari. Quare hic articulus de æterna uita, necessario in fine Symboli nostri positus est, ut admoneat nos de uero Religionis nostræ fructu. Sunt autem multi, quorum alij uerbis, alij factis negant æternam esse uitam. Inter Ethnicos fuerunt Epicuræi, qui palam negabant reliquam esse uitam post hanc uitam. Inter Christianos, magna quidem hominum pars uerbis dissimulat & celat hanc impietatem, corde autem plane idem quod Epicuræi sentiunt, & factis testificantur, se non credere æternam esse uitam. Quotquot enim tradunt sese totos huic seculo, & tantum uentri seruiunt, ac non aliud agunt, quàm ut corradant opes terrenas, aut indulgeant genio, & corporis uoluptatibus, aut studeant acquirendæ mundanæ gloriæ ac potentiæ, nec ullam habeant rationem uerbi Dei, Sed pergant in sceleribus suis impœnitenter, Hi etsi uoce dissimulant, factis tamen negant se credere, quòd sit post hanc uitam æterna uita. Quare incumbendum est in hoc studium diligentissime, ut certissimam & firmissimam fidem de æterna uita concipiamus.

Epicurei et impij Christiani.

Quòd

Quòd autem hæc præsens & mundana uita non sit uera uita, sed quòd sit alia æterna uita reliqua, non est petendum ex humana ratione, quæ etsi habet quandam naturalem noticiam de Deo, & de uita æterna, tamen tanta est peccati originalis potentia, ut homo in grauibus tentationibus non satis constanter naturali cognitioni adhæreat, sed incertis quasi fluctibus hinc inde impellatur, Sed est petendum è Scriptura prophetica & Apostolica, quæ est cœlestibus miraculis & testimonijs ita confirmata, ut certo cognoscamus, eam uere esse Spiritus sancti oraculum. Vitæ æternæ testimonia unde petenda.

Hæc autem Scriptura plena est testimoniorum de æterna uita. Quæ cum sint ubiq; obuia, præsertim in nouo Testamento, quod est ueteris Testamẽti Apocalypsis, superuacaneum esset, ea hic copiosè recitare. Et tamen quædam sunt recitanda, ut ea in promptu habeamus, & memoriter ediscamus.

Luc. 18. Amen dico uobis, nemo est, qui reliquit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos propter regnum Dei, qui non recepturus sit multo plura, in hoc tempore, & in seculo uenturo, VITAM æternam.

Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat VITAM ÆTERNAM.

Rom. 2. Redditurus est unicuiq; iuxta facta sua, his qui perseuerantes in benefaciendo, gloriam & honorem, & immortalitatem quærunt, VITAM ÆTERNAM.

Rom. 6. Nunc manumißi à peccato, serui autẽ facti Deo habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem Vitam æternam.

1. Pet. 1. Regenuit nos in Spem uiuam, per hoc q; resurrexit Iesus Christus ex mortuis, in hæreditatem IMMORTALEM, & incontaminabilem atque IMMARCESSIBILEM, conseruatam in cœlis erga uos &c.

1. Iohan. 2. Hæc est repromißio, quam ipse pollicitus est nobis, Vitam æternam.

1. Iohan. 5. Hoc est testimonium, quòd Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc uita in Filio eius est &c.

Quid pluribus opus? Vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica eò tendit, & in hunc finem properat, ut doceat, quòd qui credunt in Filium Dei, habeant Æternam uitam.

Ex hoc igitur articulo admoneamur primum de uanitate et instabilitate huius corporalis uitæ, ut discamus nullam fiduciam in hac mortali uita collocandam esse. Etenim hæc præsens corporalis uita, ut non est uera & constans uita, ita breuis est, & plena omnigenarum ærumnarum. Sumus quidem initio conditi, non ut moreremur, nec tamen

men, ut perpetuo in hac externa et corporali uita maneremus, Sed ut ſuam quiſq; periodum uitæ in hac terra abſq; omni moleſtia tranſigeret, ac poſtea transferretur in momento & ictu oculi, ad ſpiritualem & æternam uitam, idq; abſque omni dolore, ſed ſumma cum uoluptate. Hoc Paulus ſignificat, cum 1. Corinth. 15. ex Geneſi dicit, Factus eſt primus homo Adam in animam uiuentem, Extremus Adam in ſpiritum uiuificantem. At non primum, quòd ſpirituale, ſed quòd animale, deinde quòd ſpirituale. Hoc loco docet Paulus non obſcure, quòd etiamſi Adam non peccaſſet, tamen uita eius non fuiſſet perpetua in hac terra, nec tamen mortuus fuiſſet, ſed in momento translatus eſſet ex hac uita, quæ indiget corporalibus alimentis, ad ſpiritualem & cœleſtem uitam, in qua nec editur nec bibitur, nec quicquam rerum corporalium exercetur. Sicut enim Paulus dicit de his, qui in hac corporali uita reliqui erunt, in aduentu Chriſti, in nouiſsimo die: Non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur, in puncto temporis, in ictu oculi: Ita ſi Adam non fuiſſet lapſus in peccatum, nullus hominum fuiſſet mortuus, Sed unuſquiſque, peracta periodo corporalis ſeu animalis uitæ ſuæ, immutatus eſſet in ictu oculi, in uitam ſpiritualem. Poſtquam autem Adam peccauit, introijt propter unum hominem, ut Paulus ait, peccatum in mundum, & per peccatum, mors, & ſic

Homo ſi nõ peccaſſet, an manſiſſet perpetuo in hac corporali uita.

ſic omnes homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Itaque hæc corporalis uita, cum ſit morti obnoxia, non eſt uera uita, ſed ſtatim, ut homo naſcitur, animam agere incipit. Etſi enim uagatur aliquandiu in terra, & exercet opera corporalis uitæ, tamen quia hæc uita plena eſt miſerrimarum, calamitatum et ærumnarum, iam inde ab infantia uſq; ad horam mortis, idcirco uere dicimur animam ſemper, quamdiu in hac terra uiui mus, agere.

Vita corporalis nõ uere uita eſt.

Gen. 47. *dicit Iacob ad Pharaonem:* Dies peregrinationis uitæ meæ centum triginta annorum ſunt PARVI & MALI &c.

Iob 14. *Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, multis repletur miſerijs. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.*

Pſal 89. *Omnes dies noſtri elabuntur per iram tuam. Annos noſtros finimus, ſicut ſermo abſumitur. Dies annorum noſtrorũ ſunt ſeptuaginta anni, aut ad ſummum, octoginta, reliquum uitæ eſt labor & dolor.*

Iacob. 4. *Quæ eſt uita ueſtra? Vapor eſt, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euaneſcit &c. Quare cum ita ſe res habet cum hac corporali uita, non debemus fiduciam noſtram in bonis eius collocare, aut nos in negocia eius ita immergere, perinde ac ſi eſſemus perpetuo in ea com-*

commoraturi. Sed expergiſcendum eſt, et toto animi ſtudio elaborandum, ut conſequamur bona æternæ uitæ.

Deinde excitemur hoc articulo, ut diligenter conſideremus corporalis, & ſpiritualis ac æternæ uitæ diſcrimen, quo illius faſtidium, & huius deſiderium concipiamus. In corporali enim et hac præſenti mundana uita, omnia ſunt mutationi obnoxia, ac nihil propemodum ſuo ordine geritur, aut conſtat. In futura autē uita omnia ſunt æterna, & perpetuo firma. In corporali uita, qui modo Monarcha eſt, paulo poſt ſolet fieri captiuus, aut ſeruus, qui modo diues eſt, mox fit pauperrimus, qui modo ſanus eſt corpore, mox affligitur morbo grauiſſimo: qui modo agit uitam, continuo fit mortuus truncus. Deniq; quod eſt maxime mirandum, qui pij ſunt, ſolent in hac corporali uita infœlices eſſe, impij autem fœlices. Hæc eſt huius mundanæ uitæ uarietas, & confuſio. In futura autem uita, & in altero ſeculo, quod in nouiſſimo die reuelabitur, omnia ſunt fixa, ſtabilia, & æterna. Qui in reſurrectione ſemel fit rex cœleſtis, fœlix & beatus, is ſemper & perpetuo talis manet. Neq; ulla unquam amplius infœlicitas pertinget ad pios, ſed fruētur ſempiterna fœlicitate. Quod cum ita ſe habet, quid eſt, quòd rebus huius ſeculi ita ſtudeamus, ut nullam prorſus aut minimam futuri ſeculi rationem habeamus? Et quid ita ad mentio

Mundanæ uitæ confuſio.

Vitæ æternæ ſtabilis fœlicitas.

mentionem mortis, qua in futurum seculum ingredimur, expalleſcimus? Obijciunt quidem multi, ſe non illibenter ingreſſuros in alterum ſeculum, ſi modo cognoſcerent, quale ipſis hoſpitium in eo ſeculo paratum eſſet, Sed hi manifeſte ſignificant, ſe hoc Apoſtolicum Symbolum, quod eſt Chriſtianorum, ut ita dicam, Alphabetum, aut nondum didiciſſe, aut ueram eius ſententiam nunquam adhuc ſerio conſideraſſe. Et cum tanto tempore, & tot annis uerſantur in ſchola Chriſtianorum, nondum aſſecuti ſunt ueram Alphabeti eorum cognitionem. Quid poteſt turpius dici? Nam hoc Symbolum collectum eſt ex unuerſis Propheticis & Apoſtolicis concionibus, & nobis traditum in hunc uſum, ut doceat, ac certificet nos, quod uerus & æternus Deus, creator cœli & terræ, complectatur nos paterna pietate, ac miſerit in hunc mundum unigenitum Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut paſſione & morte ſua expiaret peccata humani generis, & Reſurrectione ſua conferret iuſticiam in omnes eos, qui fide ſua ipſum agnoſcunt, ac miſſo Spiritu ſancto redderet eos certiores, q. propter ipſum adoptentur in filios Dei, et cohæredes ſuos, ac reſurrecturi ſint ex morte, ad æternam uitam, & perpetuam fœlicitatem. Hoc ſpectat, huc tendit huius Symboli noſtri, hoc eſt, uniuerſæ Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ doctrina. Quid ergo adhuc de hoſpitio alterius

Symbolum Apoſtolicũ in quem uſum collectum.

rius ſeculi dubitas? Dubitent, metuant, trepident, contremiſcant hi, qui Euangelium Chriſti non agnoſcant, qui doctrinam Euangelij perſequuntur, qui in ſceleribus ſuis perfractè, impudenter, & impœnitenter ambulare pergunt. His Deus non eſt pater, ſed hoſtis: his Filius Dei non eſt ſeruator, ſed ſeuerus iudex: his non eſt remiſſio peccatorum, nec reſurrectio ad æternam fœlicitatem, ſed ira Dei, et reſurrectio ad æternam damnationem. Deniq; his non eſt paratum cœlum, ſed infernus, idq; nec immiſericordia, nec crudelitate, nec inuidentia Dei, quippe qui uult omnes homines ſaluos fieri, ſed ſua ipſorum impietate, & impœnitentia, quod oblatam & propoſitam in Ieſu Chriſto ſalutem ſua ſponte repellant. Nobis autem, qui agnitis peccatis, conuerſi ſumus ad Chriſtum, et amplectimur fide Euangelium eius, ac ambulamus in uocatione eius, nullus eſt nec dubitationis, nec trepidationis locus relictus. Etſi enim & nos multa atque grauia peccata deſignauimus, & adhuc peccatum in carne geſtamus, tamen Chriſtus filius Dei expiauit peccata, & nos huius expiationis participes ſumus, cum omnem fiduciam noſtram collocamus in Filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, & mortificamus ſpiritu opera carnis. Abijciamus igitur omnem de alterius ſeculi hoſpitio dubitationem, & ſciamus ex hoc Apoſtolico Symbolo, quòd quia facti ſumus membra Chriſti,

& re

& recepti ſumus in communionem Eccleſiæ per fidem, paratum ſit nobis certiſsimum in cœleſti regno hoſpitium. Et quia, quod gratis datur, ingratitudine iterum auferri ſolet, neceſſarium eſt, ut obedientia & honeſtate morum gratitudinem noſtram erga Deum in hoc ſeculo declaremus, & uitam cœleſti hoſpitio conuenientem ſummo ſtudio ducamus, &c.

Hactenus percurrimus interpretatione noſtra Symbolum, quod uocant Apoſtolicum, et quod Catechumenis ad uerbum ediſcendum & recitandũ proponi ſolet. Sed extant etiã alia duo Symbola, uidelicet, Nicænum, & Athanaſij, quæ certe utile eſt aliquoties publice in Eccleſia de uerbo ad uerbum recitare, ut teſtimonia ueteris Eccleſiæ, de articulis fidei noſtræ conſeruentur, & ad poſteros propagentur. Nos nunc in eo Catechiſmo quem explicandum ſuſcepimus, procedere pergemus.

Q.

Quæ eſt huius fidei utilitas?

R.

Hæc eſt utilitas eius, quod reputor per fidem coram Deo iuſtus & ſanctus propter Ieſum Chriſtum, et q̃ donatur mihi Spiritus orandi Deum, & inuocandi eum, ut Patrem, Et uitam meam iuxta mandata Dei inſtituam.

Neceſ-

Necessarium est, ut huius fidei, quam in Symbolo professi sumus, utilitas probè nobis cognita sit & perspecta. Fides enim huius Symboli tanta seueritate nobis commendatur, ut si Angelus aliam fidem seu religionem nobis prædicaret, habendus esset anathema. Sic enim Paul. Gala. 1. ait. Si nos aut Angelus à cœlo prædicauerit uobis Euangelium, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Hoc autem Symbolum, quod hactenus exposuimus est epitome seu compendium eius Euangelij, quod Paulus & omnes alij ueri Apostoli prædicauerũt, quemadmodum supra ostendimus. Deinde fides huius Symboli sic nobis commendatur, ut potius debeamus omnes facultates nostras deserere, & uitam nostram in extremum periculum exponere, quàm hanc fidem abnegare. Matth. 10. Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus. Et mox: Quisquis negauerit me corã hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis. Et extant exempla Apostolorum & Martyrum, qui maluerunt ferre omnia horribilia supplicioru genera, quàm hanc fidem abnegare. Quare cognoscenda est utilitas eius, ut excitati utilitate, possessioni & confessioni eius omnia pericula postponamus.

Exposuimus autem supra specialem cuiusq; articuli utilitatem, quam nunc singulatim repetere longum esset. Recensebimus igitur Fidei horum articulorum utilitates. Harum commemorãtur tres in Catechismo.

Prima est, quòd reputamur per hanc fidem, coram Deo iusti & sancti, propter Christum. Nam hæc est summa articulorum huius Symboli, quòd Deus pater, conditor cœli & terræ, miserit Filium suum unigenitum Iesum Christum, ad expianda peccata nostra, morte sua, & ad iustificandos, ac uiuificandos nos resurrectione sua, ut donati ac sanctificati Spiritu sancto suo, in operibus iusticiæ ambulemus, & æternam uitam possideamus. Quisquis ergo huic Euangelio ueram adhibet fidem, is efficitur hac fide membrum Christi, et templum eius, ut inhabitet in ipso Christus An nescitis inquit Paulus, quod corpora uestra sunt membra Christi? Et ad Ephe. Inhabitat Christus per fidem in cordibus uestris, fixis in caritate radicibus &c. Et Iohan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Itaq; qui credit Euãgelio Christi, is habet hospitem Christum, unà cum cœlesti Patre, & sancto Spiritu. Vbi autem hi habitant, ibi etiam uera iusticia et sanctitas habitent necesse est. Quare qui credit in Christum, reputatur hac fide coram Deo iustus & sanctus.

Fidei in Christum utilitas.

1. Cor. 6.

Ephe. 3.

Ac profecto hæc doctrina de Iusticia fidei tanto diligentius est consideranda, & firmius tenenda, quanto magis impijs aliorum corruptelis obscuratur. Monachi enim & hypocritæ de Iustifica

tione

tione impij ita docent, ut & iniurij sint in maiestatem Christi, & faciunt ex hominibus magis idolatras, quàm ueros Dei cultores, nimirum discipuli & sectatores eorum, qui circumeunt mare & aridam, ut faciant unum proselytum, & cum factus fuerit, faciunt eum filium gehennæ duplo magis, quàm antea fuerit. Docent enim, imo somniant quòd cum homo facit quod in se est, Deus infundat ei has tres uirtutes, Fidem, Spem, et Caritatem, quas uocant Gratiam. Et per Fidem non intelligunt proprie fiduciam misericordiæ Dei in Christo, sed talem noticiam articulorum fidei, qualem habent & dæmones, de quibus Iacobus ait: Etiam dæmones credunt & contremiscunt. Cum igitur homo acceperit à Deo has uirtutes, dicunt eũ propter ipsas iustum esse coram Deo, & posse ex ipsis non solum legem Dei seruare, sed etiam plus bonorum operum facere, quàm diuina lege præceptum est, quæ uocant Opera supererogationis. Et tamen fatentur ijsdem pene uerbis, quibus Paulus, hominem iustificari per gratiam, non autem intelligunt, quòd Paulus in tali disputatione intelligit, uidelicet, gratuitum Dei fauorem, gratuitam Dei clementiam et misericordiã, sed intelligunt nomine Gratiæ, tres illas uirtutes, propter quas hoïes Deo accepti et iusti fiãt. Sed hæc est mera impostura, et impia doctrina. Primũ enim, quantumcunq; homo, priusquam regeneratus est fide, faciat quod

Monachorum doctrina de iustificatione impij.

Gratia secundũ Monachos qd.

Opera supererogationis.

Opera ho= mimis ante regenera= tionem.

in ſe eſt, opera tamen eius non ita placent Deo, ut propter ipſa faueat ei, & conferat in eum æterna bona. Quicquid enim, inquit Paulus, non eſt ex fide, peccatum eſt. Et pie dicit Auguſtinus: Ea ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis uideantur homini laudabilia, inania ſunt. Et iterum: Noli præſumere de operibus ante fidem. Noueris quia peccatorem te inuenit fides, & ſi te fides data fecit iuſtum, impium inuenit, quem faceret iuſtum. Sed hæc ſunt certiora, quàm quæ pluribus confirmari debeant.

Fides, ſpes, caritas, opera legis ſunt.

Deinde, ſi homo dicendus eſt iuſtus coram Deo propter has uirtutes, Fidem, Spem, & Caritatem, tunc neceſſario fatendum eſt, Iuſticiam eſſe ex operibus Legis. Lex enim exigit fidem, ſpem, & caritatem, cum dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Hac enim uoce præcipitur nobis, ut credamus ſine ulla dubitatione promiſſis Dei, ut ſperemus certiſsime nobis ea euentura, quæ ſunt diuinitus promiſſa, & ut Deum tota mentis dilectione complectamur. Cui legi & illud de proximi dilectione additur: Diliges proximum ſicut teipſum. Manifeſtum igitur eſt, quòd hæ tres uirtutes ſint opera Legis. Et ſiue ea ſuſcipiuntur facienda humanis uiribus, aut lege cogente, ſiue gratia diuini Spiritus cor accendente, manent tamen ſemper Legis opera, quippe quòd diuina lege præcepta ſunt,

& no=

& nobis facienda per legem imposita. Nisi enim diuina lege præscriberentur & mandarentur, Spiritus sanctus non operaretur ea in cordibus nostris. Vniuersa autem doctrina Pauli eo tendit, ut doceat hominem non iustificari ex operibus Legis, quod manifestius est, quàm ut multis uerbis ostendi debeat. Quare hoc somnium, quòd homo sit coram Deo, propter tres illas uirtutes, iustus, excogitatum est à Satana, ad euertendam uniuersam Pauli, adeoq; ueri Apostolici Euangelij de uera hominis iustificatione doctrinam.

Præterea, Si homo iustus est coram Deo propter has uirtutes, debet & his in iudicio Dei confidere, & propter eas mercedem æternæ salutis sperare. Hoc autem est manifestam idolatriam docere. Confidere enim ad æternam salutem, est cultus, qui soli uero Domino Deo nostro, & nulli creaturæ debetur. Sic enim confidere, est Adorare. Et solus Deus est adorandus. Hæ autem uirtutes, sunt quidem dona Dei, non sunt autem Deus ipse, sed tantum creaturæ Dei. Quare qui sentit se propter ipsas esse iustum, & confidit eis ad consequendam æternam salutem, adorat eas, tanquam Deum seruatorem suum, & designat in corde suo manifestam coram uero Deo idolatriam.

Fides, spes, caritas, sũt dona Dei, non Deus ipse.

Ad hæc, Vniuersa Scriptura tribuit Filio Dei

Domino noſtro Ieſu Chriſto hunc honorem, quòd ipſe ſit uictima pro peccatis noſtris, & propiciatio noſtra, nec ſit aliud nomen in quo oporteat nos ſaluos fieri. Si ergo tres illæ uirtutes, de quibus nunc loquimur, tanti reputantur, quòd Deus propter eas remittat nobis peccata, & ſit nobis propicius, & conferat in nos æternam ſalutem, quid aliud agitur, quàm quòd honor ſoli filio Dei debitus auferatur ei, & transferatur in creaturas Dei? quod ut eſt ſacrilegium, ita eſt & in unigenitum & æternum Filium Dei contumelioſum. Solent quidem aduerſarij hic reſpondere, quòd ſentiant & fateantur ſolum Chriſtum Filium Dei eſſe uictimam pro peccatis, ac impetraſſe nobis propicium Deum, hoc autem non eò ualere, quòd Deus reputet nos iuſtos, tantum per fidem, ſed quòd donet nobis ex gratia & fauore has tres uirtutes, propter quas ſimus iuſti. At enim, ſi Chriſtus impetrauit tantum, ut Deus donet nobis has uirtutes, propter quas iuſtificemur, certe non impetrauit nobis perfectam iuſticiam, nec abſoluit ſalutē noſtram. Hæ enim uirtutes, etſi donantur nobis à Spiritu ſancto, tamen nunquam ſunt in nobis perfectæ propter carnem noſtram. Nunquam enim in hac uita tantum credimus, tantum ſperamus, tantum diligimus, quantum Lex, quæ eſt diuina uoluntas, à nobis exigit, & quantum nos debemus. Manifeſtum autem eſt, quòd Chriſtus impetrauerit nobis perfe-

Fides, ſpes, caritas, nō ſunt uictima pro peccatis, ſed Chriſtus.

Fides, ſpes, caritas, in hac uita in nobis nunq̄ ſunt perfectæ.

perfectam iuſticiam,& abſoluerit ueram noſtram ſalutem. Perpetuum (inquit Epiſtola ad Hebræos) ſacerdotium habet. Vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeunt Deum &c. Et iterum, Vnica oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui ſanctificantur. Heb. 7. Heb. 10.

Quare nihil uanius dici poteſt, quàm quòd Chriſtus hoc tantum impetrauerit, ut Deus infundat nobis uirtutes, propter quas coram ipſo iuſtificemur.

Poſtremo, ſi ſentiendum eſt, q. propter tres illas uirtutes, ſimus Deo accepti, & coram eo iuſti, tunc nunquam poſſumus certo & firmiter de fauore Dei erga nos confidere, & Deum uera ac firma fiducia inuocare. Hæ enim uirtutes ſemper ſunt in nobis, in hac uita, imperfectæ, nec unquam ſatisfaciunt diuinæ legi. Quare ſi Deus iudicaret de nobis ſecundum has uirtutes, ſemper dubitaremus de fauore eius erga nos, nec auderemus eum alacri et certa fiducia inuocare, quippe q. conſcij imperfectionis noſtræ, fugeremus ſeueritatem iudicij eius. Exigit autem Deus, ut de fauore & clementia ipſius erga nos non dubitemus, & ut certa ac firma fiducia ipſum inuocemus. Promiſit enim clementiam ſuam, propter Filium ſuum Ieſum Chriſtum, et recipit ſe nos exauditurum, quicquid in nomine Filij ſui petierimus. Cum autẽ iubeat ſe diligere ex toto corde & ex tota anima, certe uult Fides ſit certa, non dubitans.

etiam ut fidem haudquaquam dubitantem promiſſioni ipſius adhibeamus: Quantum enim de uerita te promiſſionis eius dubitamus, tantum eum uanum et mendacem iudicamus. Negari quidem non poteſt, quin caro noſtra multum dubitationis retineat, non eſt autem huic dubitationi cedendum, ſed ſpiritu contra eundum, ut expurgetur. Neceſſarium igitur eſt, ut de clementia Dei erga nos non dubitemus, et ut certa ac firma fiducia eum inuocemus. Quod cum ita ſe habet, manifeſtum eſt, uaniſſimum eſſe, quod Sophiſtæ docent, hominem propter tres illas uirtutes, Fidem, Spem, et Caritatem, Deo acceptum fieri, & coram Deo iuſtum eſſe.

Iuſtificationis uera doctrina.

Quæ eſt igitur tandem uera de Iuſtificatione impij doctrina? Dicam hoc non meis, ſed Pauli uerbis, qui ad Romanos ſcribens: Omnes, inquit, peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei. Iuſtificantur autem Gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem, per Fidem, in ipſius ſanguine. Et mox: Arbitramur Fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis.

Rom. 3.

Singula uerba horum dictorum ponderanda ſunt.

Iuſtificari.

Iuſtificantur. Iuſtificari hoc loco non ſignificat, ex impio uere & perfecte in ſe fieri iuſtum, ut nulla in homine reliqua ſit iniuſticia. Nullus enim hominum in hac corporali uita ſic iuſtus fit,

ut

ut peccatum in carne ſua non habeat: Sed ſignifi-
cat, Deo acceptum fieri, à peccatis abſolui, & re-
putari iuſtum, etiamſi habeat adhuc inhærentem
iniuſticiam. Sicut enim in ciuili foro iuſtificari di-
citur is, qui abſoluitur ab accuſatione aduerſarij
ſui, & pronunciatur honeſtus: Iuſtificatis, inquit
Eſaias, impium pro muneribus, hoc eſt, Abſoluitis
impium ab accuſatione, & pronunciatis eum iu-
ſtum: ita & in hac diſputatione, Iuſtificari, eſt à
peccato abſolui, & iudicari iuſtum, ut aduerſa-
rius non poſſit amplius condemnare. Tametſi e-
nim in iuſtificatione impij donatur Spiritus ſan-
ctus, qui incipit cor renouare, & nouas uirtutes
infundere, tamen homo non fit iam primum pro-
pter has uirtutes Deo acceptus, nec abſoluitur
propter eas à peccatis, ſed neceſſe eſt, ut antea ſit
acceptus Deo, & habeat peccatorum remiſſio-
nem. Vnde & Pſalmus 31. pronunciat eum bea-
tum ſeu iuſtum, cui remiſſæ ſunt iniquitates, & te
cta ſunt peccata, & cui Dominus non imputat
peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus, hoc eſt,
qui non eſt impius ſimulator, aliud corde celans,
aliud ore loquens. In corde dicens, Non eſt Deus:
Ore dicens ſe unum ſolum Deum colere. Sed qui
ueram habet fidem, peccata ſibi remitti, et non im
putari. Itaq; iuſticia noſtra eſt remiſſio ſeu condo
natio iniuſticiæ noſtræ.

Eſaiæ 5.

Iuſtus.

Iuſticia.

Gratis. Recipit enim Deus hominem in

gratiam suã, et condonat ei peccata, nullo prorsus respectu humanorum meritorum, siue præcedentium, siue præsentium, siue sequentium, sed gratuita tantum clementia & misericordia sua. Si enim remissio peccatorum esset ex operibus, hoc est, meritis operum, gratia iam non esset gratia, ut aliàs Paulus loquitur. Et si Deus in recipiendo homine in gratiam, & in remittendo ei peccata respiceret humanum meritum, necesse haberemus semper de fauore Dei erga nos, & de peccatorum nostrorum remissione dubitare. Quis enim cognoscere posset, quando satis haberet meritorum? Necessarium autem est, ut cum Deus promiserit nobis in Christum credentibus certissimam peccatorum remissionem propter Christum, de ueritate & certitudine huius promissionis haudquaquam dubitemus, sed credamus ex toto corde Deum esse veracem. Quare necessarium etiam est, ut contingat nobis remissio peccatorum gratis, sine ullo meritorum respectu.

Per illius gratiam. Vt hoc, quod dictum est, Gratis, magis perspicue explicetur, additur, Per illius Gratiam. Nomine autem GRATIÆ non intelliguntur hic tres illæ infusæ uirtutes, Fides, Spes, Caritas, quemadmodum supra exposuimus. Et mox sequitur, Per Fidem, quo manifeste significatur, quòd hic nomine Gratiæ, non intelligatur uel Fides, uel Caritas, Sed intelligitur Gratuitus

tuitus Dei fauor, gratuita Dei clementia & misericordia, adeoq; plane non intelligitur caritas in nobis erga Deum, sed potius Caritas in Deo erga nos. Vnde & Paulus postea cap. 5. dicit: Commendat suam caritatem erga nos Deus, quòd cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Et 1. Iohan. 4. In hoc est caritas, non quod nos dilexerimus Deũ, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit Filium suum propiciationem pro peccatis. Et ad Tit. ca. 3. Postquam bonitas et erga homines amor apparuit Seruatoris nostri, non ex operibus, quæ sunt iniusticia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam Misericordiam saluos nos fecit etc. Gratia.

Per redemptionem quæ est in Christo Iesu, &c.

Quid igitur dicemus? Si Deus recipit hominem in gratiam, & remittit ei peccata, gratis, & gratuita clementia, ubi manebit ius Satanæ, quod propter peccatum legittime in hominem habuit? Vbi manebit iusta & seuera ira Dei aduersus peccatum? Num Deus eripit hominem Satanæ violenter, iniuste & tyrannice? Num mutat iram suam temere in misericordiam? Nihil certe minus. Deus tam iustus est, ut ne Satanæ quidem ullam iniuriam inferat, & tam constans est in ira sua aduersus peccatum, ut ne unigenito quidem Filio suo, qui peccatum expiandum suscepit, pepercerit. Quare recipit hominem in gratiam, sed non nisi

antea

antea redemptum à Satana, cuius homo captiuus & mancipium erat. Et remittit ei peccatum, sed non nisi peccato antea expiato, & ira ipsius iuste placata. Quæ est igitur illa Redemptio? Quæ est illa expiatio, & placatio? Num hominis opera? Nihil minus. Omnes, inquit, peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Num Angelorum merita? Sed, Ecce qui seruiunt ei (inquit) non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Non est igitur alia, quàm Redemptio & Placatio, quæ facta est per Iesum Christum filium Dei. Postquam enim nec in cœlis nec in terris inueniretur satis dignum precium, quo homo redimeretur à captiuitate Satanæ, & quo peccata expiarentur, & ira Dei placaretur, obtulit sese Filius ipse Dei in precium redemptionis & reconciliationis. Per redemptionem (inquit) quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus Reconciliatorem.

Iob 4.

Redemptio et placatio uera.

Christo tribuuntur redemptio & propiciatio

Duo tribuuntur filio Dei Iesu Christo. Vnum est, Redemptio, seu precium Redemptionis. Cum enim homo esset factus captiuus & seruus Satanæ propter peccatum, nec esset è seruitute illegitime eximendus, & à Satana domino ipsius tyrannice auferendus, quippe quòd suum sit legitimum ius dominorum in seruos, factus est Filius Dei homo, ut obijceret sese Satanæ tentandum, aduersis affligendum, horrore mortis et inferni concutiendum, crucifigendum, occidendum, & in morte aliquan-

diu

diu detinendum, pro iusto & legitimo precio redimendi humani generis à Satanæ seruitute & captiuitate. Filius hominis, inquit, non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam Redemptionem, hoc est, precium redemptionis pro multis. Et Paulus: Vnus (inquit) Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Quare, hoc precio persoluto, Satan non habet amplius, quod de iniuria conqueratur, sed necesse habet hominem liberum dimittere, ut reuertatur ad Dominũ Deum suum, & adoptetur ab eo in filium & hæredem bonorũ suorum. Quòd si filius ipse Dei est precium Redemptionis, qua fronte audebis tribus illis uirtutibus, quarum toties mentionem fecimus, ad consequendam redemptionem confidere? Matth. 20. 1. Timo. 2.

Alterum, quod tribuitur Christo, est Reconciliator seu Propiciator. Quem proposuit (inquit) Deus Reconciliatorem. Sicut enim pro redemptione à seruitute Satanæ persoluendũ erat precium, ita ad placandam iram Dei, & Deum propicium reddendum, necessaria fuit expiatio peccati. Suscepit igitur Filius Dei peccatum morte sua expiandum, ut placata ira Dei, homo reconciliaretur cum Deo, et Deus fieret homini propicius. Itaq; dicitur Reconciliator, seu Propiciator, aut etiã Propiciatorium, q; sit adumbratus .. propiciatorio Mosaico

Christus reconciliato·

antea redemptum à Satana, cuius homo captiuus & mancipium erat. Et remittit ei peccatum, sed non nisi peccato antea expiato, & ira ipsius iuste placata. Quæ est igitur illa Redemptio? Quæ est illa expiatio, & placatio? Num hominis opera? Nihil minus. Omnes, inquit, peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Num Angelorum merita? Sed, Ecce qui seruiunt ei (inquit) non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Non est igitur alia, quàm Redemptio & Placatio, quæ facta est per Iesum Christum filium Dei. Postquam enim nec in cœlis nec in terris inueniretur satis dignum precium, quo homo redimeretur à captiuitate Satanæ, & quo peccata expiarentur, & ira Dei placaretur, obtulit sese Filius ipse Dei in precium redemptionis & reconciliationis. Per redemptionem (inquit) quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus Reconciliatorem.

Iob 4.

Redemptio et placatio uera.

Christo tribuuntur redemptio & propiciatio

Duo tribuuntur filio Dei Iesu Christo. Vnum est, Redemptio, seu precium Redemptionis. Cum enim homo esset factus captiuus & seruus Satanæ propter peccatum, nec esset è seruitute illegitime eximendus, & à Satana domino ipsius tyrannice auferendus, quippe quòd suum sit legitimum ius dominorum in seruos, factus est Filius Dei homo, ut obijceret sese Satanæ tentandum, aduersis affligendum, horrore mortis et inferni concutiendum, crucifigendum, occidendum, & in morte aliquandiu

diu detinendum, pro iusto & legitimo precio redimendi humani generis à Satanæ seruitute & captiuitate. Filius hominis, inquit, non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam Redemptionem, hoc est, precium redemptionis pro multis. Et Paulus: Vnus (inquit) Deus, unus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Quare, hoc precio persoluto, Satan non habet amplius, quod de iniuria conqueratur, sed necesse habet hominem liberum dimittere, ut reuertatur ad Dominũ Deum suum, & adoptetur ab eo in filium & hæredem bonorũ suorum. Quòd si filius ipse Dei est precium Redemptionis, qua fronte audebis tribus illis uirtutibus, quarum toties mentionem fecimus, ad consequendam redemptionem confidere? Matth. 20. 1. Timo. 2.

Alterum, quod tribuitur Christo, est Reconciliator seu Propiciator. Quem proposuit (inquit) Deus Reconciliatorem. Sicut enim pro redemptione à seruitute Satanæ persoluendũ erat precium, ita ad placandam iram Dei, & Deum propicium reddendum, necessaria fuit expiatio peccati. Suscepit igitur Filius Dei peccatum morte sua expiandum, ut placata ira Dei, homo reconciliaretur cum Deo, et Deus fieret homini propicius. Itaq; dicitur Reconciliator, seu Propiciator, aut etiã Propiciatorium, q̃ sit adumbratus in propiciatorio Mosaico Christus reconciliato-

Mosaico. Ipse, inquit Iohannes, est propiciatio pro peccatis nostris &c. Diserte autem dicit Paulus: Quem Deus proposuit in propiciatorem, uidelicet, immensam Dei caritatē erga nos significans. Maluit enim Deus, ne unigenito quidem Filio suo parcere, sed tradere ipsum in probrosissimam crucis mortem, quàm peccato non expiato, iram suam retinere, & humanum genus in æterna damnatione relinquere. Si autem Deus ipse proposuit nobis hunc propiciatorem, quid est, q, ei pro propiciatorio tres tuas illas uirtutes obtrudas? Neque enim fieri potest, ut cum ipse suum ipsius Filium pro propiciatorio nobis exhibet, uirtutes illas, dona quidem sua, sed propter carnem nostram in nobis uiciatas et imperfectas, pro peccatorum expiatione agnoscat.

Per huem. Hic iam manifeste exponitur, quod sit organum seu instrumentum illud, quo clementia Dei, & propiciatio Filij Dei fruenda accipiuntur. Etsi enim Deus est misericors propter unigenitum Filium suum, & Filius Dei expiauit peccata nostra, & placauit iram Patris, tamen hæc nihil proderunt homini ad æternam salutem, nisi sibi ea accipiat, applicet & appropriet. Quod ergo est illud organum, quo homo ista beneficia Dei & Filij eius sibi sumit & applicat? Corrupto res piæ doctrinæ uaria fingunt organa. Alius dicit esse Caritatem, Alius, murmura priuatarum

Fides organū est, quo applicātur beneficia Dei.

Missa-

Missarum, alius Redemptionem indulgentiarum Pontificiarum, alius Ieiunia, alius Peregrinationes, alius aliud genus uel boni uel hypocritici operis. Ac suus quidem usus est Caritatis, et eorum operum, quæ à Deo præcepta sunt, Sed nullum horum aptum & idoneum organum est, quo clementiam Dei, & propiciationem Filij eius accipias, et tibi appropries, præterquam FIDES. Nam filius Dei, qui est propiciatio, & propter quem Deus est clemens, reuelatur, proponitur, offertur & donatur nobis non nisi prædicatione Euangelij sui. Nisi enim audieris de Christo, quomodo cognosces eum? Homo enim nullam prorsus habet naturali sua ratione cognitionem Christi filij Dei, Sed necesse est, ut eum ex auditu Euangelij cognoscat. Quomodo autem audies, inquit Paulus, absque prædicante? Visum igitur est Deo, prædicationem Euangelij de Filio suo iam inde à condito mundo instituere, & in mundo conseruare. Itaque initio prædicarunt Euangelium Christi, Patriarchæ, deinde Prophetæ, Postremo Christus ipse & Apostoli eius, qui & uulgarunt prædicationem Euangelij in totum orbem terræ, ut perduret in eo usque ad nouissimum huius seculi diem. Prædicatio autem Euangelij, etsi externo auditu percipitur, tamen, ut sit salutaris, excipienda est FIDE, & in eum finem proponitur, ut Auditores non tantum auribus eam capiant, sed ut

ſed ut adhibeant ei FIDEM. Quis enim alius eſ-
Prædicatio ſet prædicationis Euangelij uſus ? Sicut Chriſtus
nis Euange dicit, Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et
lij uſus. addit: Qui crediderit, ſentiens uidelicet, Euange-
lium excipiendum eſſe Fide. Quare manifeſtum
eſt, quod & Chriſtus Filius Dei, Redemptio &
Propiciatio noſtra, non accipiatur nec appropria-
tur nobis niſi Fide. Itaq; non eſt aliud, præter fi-
dem, organum, quo beneficia Dei & filij eius fru
enda accipiamus. Porro, ſi Chriſtus & beneficia
eius non niſi Fide accipiuntur, quid reliquum eſt,
quàm q̃ non niſi Fide iuſtificemur, hoc eſt, Deo gra
ti fiamus, & à peccatis abſoluamur, ac iuſti co-
ram Deo reputemur?

In ipſius ſanguine. Ne quis exiſtimet
Non prc- nos iuſtificari fide propter Fidem, ſeu propter me
pter, ſed ritum operis fidei, addit, In ipſius Sanguine, hoc
per fidem. eſt, Per ipſius Sanguinem. Iuſtificamur enim Fide,
non propter Fidem, ſed propterea q̃ Chriſtus ex-
piauit peccata noſtra ſanguine ſuo, et nos Chriſtū
per fidem accipimus. Opponit autem hoc dictum
ſanguini pecorum, qui in lege pro peccatis effun-
debatur. Iuſtificamur (inquit) per IPSIVS San-
guinem, non per ſanguinem taurorum & hircorū,
qui non potuit auferre peccata, ſed per ſuum ipſi-
us Sanguinem. Ingreſſus eſt (inquit Epiſtola ad He
bræos) ſemel in ſancta, æterna redemptione reper-
ta, non per ſanguinem hircorum ac uitulorum,

ſed

ſed per proprium ſanguinem. Et Ephe. 1. Per quem habemus redemptionem, per ſanguinem ipſius. Et 1. Iohan. 1. Sanguis Ieſu Chriſti filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Hic autem ſanguis non hauritur à nobis uel conſpectu Miſſarum, uel ieiunio, uel peregrinatione, ſed cum offeratur nobis prædicatione Euangelij, & cœna Dominica, hauritur FIDE. Quæ igitur eſſent illa humana merita, propter quæ poſſemus à peccato emundari, & coram Deo iuſtificari?

Poſtremo, in altero dicto Pauli, quod ſupra recitauimus, additur & hoc, ABSQVE OPERIBVS LEGIS. Arbitramur, inquit, fide iuſtificari hominem, abſq; operibus legis. Obſeruabis igitur q; Paulus per Opera legis, non intelligat tantum Cerimonialia, ſed etiam Moralia, & quæcunq; lege diuina mandata ſunt. Paulò poſt enim dicit: Lex iram operatur. Hoc autem maxime omnium de lege Morali intelligendum eſt. Et cap. 7. proponit exemplum legis Moralis, Peccatum, inquiens, non cognoui, niſi lex dixiſſet: Non cõcupiſces. Quare cum dicit, hominem iuſtificari fide abſq; operibus legis, excludit à ratione iuſtificandi non tantũ Cærimonialia, ſed etiam Moralia opera. Quòd ſi libet de hac re etiam ſententiam Auguſtini audire, conſulat librum eius de Litera & Spiritu. Sic enim ſcribit: Legem, ex qua dicit (Apoſtolus) nemi nem iuſtificari, non tantũ in illis ſacramentis, quæ

Opera legis quæ dicantur.

Cap. 13.

habuerunt promißiuas figuras, uerumetiam in illis operibus uult intelligi, quæ quiſquis fecerit, iuſte uiuit, ubi eſt & illud, Non concupiſces &c. Et

Auguſt. epiſto. 200. aliàs: Non ſolum autem & illa opera legis, quæ ſunt in ueteribus Sacramentis, & nunc reuelato teſtamento, non obſeruantur à Chriſtianis, ſicut eſt circunciſio præpucij, & ſabbati carnalis uacatio, & à quibuſdam eſcis abſtimentia, & pecorum in ſacrificijs immolatio, & neomenia, & azymum, & cætera huiuſmodi, uerumetiam illud, quod in Lege dictum eſt, Non concupiſces, quod utique & Chriſtianus nullus ambigit eſſe dicendum, non iuſtificat hominem niſi per fidem Ieſu Chriſti &c.

Deinde per Opera legis non ſolum intelligenda ſunt ea opera, quæ præcedunt iuſtificationem, Sed etiam ea, quæ uel in iuſtificatione à Spiritu ſancto excitantur, uel iuſtificationem ſequuntur. Etſi enim Spiritus fidei, qua propter Chriſtum reputamur iuſti, adducit ſecum Spem, Caritatem, et alias uirtutes, quæ in renatis per Spiritum ſanctũ exiſtere ſolent, & debent, tamen hæ uirtutes non ſunt perfecte in homine propter carnem, nec ſatis faciunt per ſe legi Dei, ſed ſunt ex peccato originali tam uiciatæ, ut omnes Sancti neceſſe habeant ſemper orare, Dimitte nobis debita noſtra. Et, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur (uidelicet ex ſuis ipſius operibus) in conſpe-

ctu

ctu tuo omnis uiuens. Et, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Si requiris de hac re etiam ueterum sententiam, audi Hieronymum, qui sic ait: Tunc iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, et iusticia nostra non ex proprio, sed ex Dei consistit misericordia. Et Augustinus: Væ, inquit, hominum uitæ, quamuis laudabili, si remota misericordia iudicetur. Sentiendum igitur est, quòd homo reputetur coram Deo iustus per fidem, propter Christum, non tantum in principio iustificationis, Sed etiam per omnem uitam suam, & in omnibus siue actionibus siue paßionibus suis, quippe quod nunquam satisfaciat diuinæ legi suis uirtutibus, sed semper opus habeat condonatione peccatorum, & gratuita Dei liberatione, propter Iesum Christum Dominum nostrum. Hieron. Augustinus

Percurrimus dicta Apostoli, quæ continent ueram de Iustificatione impij doctrinam, uidelicet, q homo recipiatur in gratiam Dei, et consequatur remißionem peccatorum, ac reputetur coram Deo iustus, non propter ulla operum aut uirtutum merita, sed tantum propter Iesum Christum, filium Dei, propiciatorem nostrum. Et quia non possumus Christum alio organo accipere, nisi per Fidem, idcirco recte dicimus, quod iustificemur coram Deo SOLA FIDE. Neque nos primi hanc locutionis formam in Ecclesiam introduximus, Sola fide iustificamur.

Sed hoc ipſum plane uult Apoſtolus, cum dicit: Arbitramur hominem iuſtificari fide, abſq; operibus legis. Quid eſt, fide abſq; operibus legis, aliud quã SOLA fide? Vtuntur ſæpe ac multum hac loquendi forma etiam ueteres Scriptores, quorum teſtimonia in præſentia recitare longum eſſet. Et tamen cum dicimus, Nos iuſtificari Sola fide, non ſic intelligendum eſt, q; reliquæ uirtutes non ſint factu neceſſariæ, Omnino enim neceſſarium eſt, ut poſtquam conſecuti ſumus remiſſionem peccatorum per fidẽ, peccata fugiamus, et bona opera faciamus, ſicut paulò poſt dicetur, Sed intelligendum eſt, q; ſolus Ieſus Chriſtus ſit expiatio peccatorum noſtrorum, q; ſolus Chriſtus ſit propiciatio noſtra, q; propter ſolum Chriſtum adoptemur in filios & hæredes Dei, Et quòd non aliud ſit aptum organum, quo accipiamus Chriſtum, quo incorporemur Chriſto, & fiamus membra Chriſti, quàm Fides. Hoc igitur ſenſu, recte, pie & uere dicitur, nos SOLA FIDE coram Deo iuſtificari.

Sola fide, quomodo intelligendum.

Ac profecto non poteſt eſſe alia ratio aut uia, qua iuſtificemur, hoc eſt, recipiamur à Deo in gratiam, conſequamur peccatorum condonationem, & reputemur iuſti, præterquam per fidem propter Chriſtum. Omnia enim hominum opera ſunt coram Deo aut ſimpliciter peccata, aut imperfecte & uiciate bona. Cum igitur talibus operibus lex Dei aut manifeſte uiolatur, aut non uere impletur

Vera iuſtificatio.

pletur, fieri non potest, ut meritis ipsorum consequamur remissionem peccatorum, & reputemur iusti. Maledictus enim, inquit, omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Et tamen si uoluerimus æternæ salutis participes esse, necessarium est ut condonentur nobis peccata, & simus Deo accepti. Non autem condonantur peccata, nec sumus Deo accepti, propter merita operum, ut iam ostendimus. Ergo tantum propter Christum, quemadmodum antea exposuimus. Accipimus autem Christum, ex prædicatione Euangelij eius, tantum per fidem. Reliquum igitur est, q, tantum per fidem propter Christum recipiamur in gratiam Dei, & absoluamur ab omnibus peccatis, ut coram Deo iusti reputemur.

Notum est & illud Abacuc: Iustus ex fide sua uiuit. Iustificatus est & Abraham ex fide, Gen. 15. Nos autem iustificamur exemplo Abrahæ. Non propter illum tantum, inquit Paulus, scriptum est, imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis &c. Quare nihil certius, nihil uerius est, quàm quòd iustificemur, hoc est, fiamus Deo accepti, & accipiamus peccatorum condonationem, ac reputemur iusti tantum propter Iesum Christum per fidem.

Sed respondent aduersarij, nos iustificari quidem per fidem, sed caritate, ut ipsi loquuntur, formatam

matam. Paulus enim dicit Gal. 5. Neq; circuncisio quicquam ualet, neq; præpuciũ, sed fides per dilectionem operans. At enim Paulus non dicit, Fides per dilectionem formata, sed per dilectionem operans aut efficax. Neq; enim dilectio est forma fidei, sed potius fides est forma dilectionis, propterea q, cum dilectio in homine etiam pio, sit imperfecta, non agnoscitur à Deo, nisi habeas fidem, et credas, q, Deus sit tibi propicius tantum propter Iesum Christum. Hac fide efficitur, q, dilectio, quamuis imperfecta, sit Deo grata. Nam si fides respiceretur à Deo, et imputaretur credenti, in iusticiam, non propter Christum, sed propter dilectionem, quid aliud sequeretur, quàm quòd iusticia esset ex operibus & meritis eorum? quod tamen antea perspicuis argumentis refutatum est. Sciamus igitur duplex esse officium Fidei, aut Fidem habere duplicem, ut ita dicam, manum. Vnam manum porrigit ad accipiendum Christum. Et hoc officio iustificat hominem, quia accipit Iesum Christum uere Iustum, propter quem Deus recipit in gratiam omnes eos, in quibus ipsum per fidem acceptum inuenit. Alteram manum porrigit ad opera, et exercet sese per caritatem, seu dilectionem & alias uirtutes. Et hoc officio nequaquam iustificat hominem, quia nec ipsa est perfecta, nec producit perfectas uirtutes, propter carnem. Quare etsi fides, nec debet, nec si uera est, potest teneri, quin sit efficax

Fides formata caritate.

Fidei officium duplex.

per

per caritatem, & exerceat seſe dilectione, & alijs uirtutibus, tamen firmum & fixum est, quòd homo non sit acceptus Deo propter uirtutes suas, sed tantum propter Iesum Christum, qui Sola Fide accipitur, & nobis appropriatur.

Habes primam utilitatem Fidei in Christum, quam fidem Symbolo nostro profitemur, & qua coram Deo iustificamur. Nec ullus alius populus, siue Ethnicus, siue Turca, siue Iudæus, siue Hypocrita Christianus, quantumuis honestus & sanctus coram mundo, acceptus est Deo, & reputatur in conspectu eius iustus, præter eos, qui ueram adhibent fidem huic Symbolo, de Deo patre Domini nostri Iesu Christi, sanctificante nos per Spiritum sanctum suum.

SECunda utilitas Fidei est, q̃ per fidem datur nobis Spiritus orandi & inuocandi Deum, ut Patrem. Diximus enim paulò ante, q̃ fides habeat duas quasi manus, quarum alteram porrigit ad accipiendum Christum, propter quem reputamur iusti, alteram porrigit ad exercenda bona opera, inter quæ præcipuum est Inuocatio Dei. Postquam enim iustificati sumus ex fide, sicut necessariũ est, ut inuocemus Deum, ita et Spiritus fidei teneri nõ potest, quin Deum, ut Patrem, inuocet. Principio enim Deus exigit in secundo præcepto Decalogi, ut Nomen eius honoremus. Inter ea autem opera, quibus honoratur NOMEN Dei, continetur

Fidei in Christum utilitas secunda.

etiam Inuocatio Dei. Et Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Lucæ 18. Oportet semper orare, & non defatigari. Deinde, uita humana obnoxia est maximis quibusque malis, & Satan semper circuit, rugiens sicut leo, & quærens quem deuoret. In tantis periculis nullus hominum potest seipsum iuuare & seruare. Scio Domine, inquit Hieremias, quia non est hominis uia eius, nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos, Sed necesse habet opem, defensionem & salutem a Deo petere. Petimus autem diuinam opem Oratione seu Inuocatione. Quare necessariũ est, ut Deum semper inuocemus.

Sed cum uenit nobis in mentem peccatorum nostrorum, tanto metu concutimur, ut non audeamus ad Deum accedere, & ipsum inuocare. Deterret nos, quod Esaias scribit, cap. 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Et cap. 59. Ecce non est aggrauata auris eius, ut non exaudiat. Sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum uestrũ, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret. Manus enim uestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti uestri iniquitate. Et Iohan. 9. Peccatores Deus non exaudit. Nos autem omnes sumus natura peccatores. Qua igitur fronte, qua fiducia auderemus Inuocatione nostra ad Deum accedere? Si autem non accedimus, non honoramus

nomen Domini,& neceſſe habemus in malis et aduerſis noſtris perire. Obſecro igitur te, quid eſt quod efficit, ut audeamus ad Deum accedere, & ipſi ſupplicationes noſtras offerre? Hic reſpondet Catechiſmus noſter, Secundam fidei in Chriſtum utilitatem eſſe, quòd efficiat, ut audeamus non ſolum inuocare Deum, ſed etiam inuocare ipſum, ut Patrem. Videntur etiam Ethnici, & Iudæi, & Mahumetiſtæ, & Hypocritæ, Deum inuocare. Nullus autem eorum uere inuocat Deum, tantum abeſt, ut quiſpiam ipſorum poſsit Deum, ut patrem, inuocare. Solus is, qui uere in Chriſtum filium Dei credit, uere etiam inuocat Deum, ac uere potest & audet ex animo dicere, Pater noſter qui es in cœlis &c. Nam, qui uere in Chriſtum credit, accipit etiam remiſsionem peccatorum, & reputatur iuſtus, atq; adoptatur in filium Dei. Dedit, inquit Ioannes, poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui autem adoptatur, accepta remiſsione peccatorum, in filium Dei, donatur etiam Spiritu filiali, tali uidelicet, qualem gerit filius erga patrem ſuum. Accepiſtis, inquit Paulus, Spiritũ adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Et iterum: Quoniam eſtis filij, emiſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem Abba pater. Hoc idem ſibi uult Dominus, cum apud Zacha. ca. 12. ait: Effundam ſuper domum Dauid, et ſuper habitatores Ieruſalem, Spiritum gratiæ, & precum.

Quid efficiat, ut inuocemus Deum ut patrem.

Rom. 8. Gala. 4.

Hic loquitur Filius Dei, & promittit Ecclesiæ Spiritum gratiæ, hoc est, certam cognitionem diuinæ erga se clementiæ & fauoris. Sicut & Paulus ait: Dilectio Dei effusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hic enim Spiritus, testificatur in cordibus nostris, quòd quia Deus dedit pro nobis unigenitum Filium suum, cum adhuc peccatores essemus, idcirco diligat nos ardentissime, & complectatur nos tanta clementia, ut etiam adoptet nos in filios suos propter Christum. Effundam etiam, inquit, Spiritum precum, hoc est, postquam cognouerint se in gratiam Dei receptos, & in filios Dei adoptatos, per fidem, excitabo eos, ut fidenti animo inuocent Deum, ut Patrem, & precentur alacri corde, Pater noster qui es in cœlis. Quare manifestum est, quòd per fidem in Christum accipiamus hoc beneficium, ut audeamus Deum appellare Patrem, & inuocare ipsum, ut Patrem.

Inuocatiõis ueræ fructus.

Quid autem boni ex hac inuocatione consequimur? Multum certe boni, per omnem modum. Primum enim, qui Deũ sic inuocat, agnoscitur à Deo Patre, ut filius Dei, & hæres omnium cœlestium bonorum. Quanta hæc est dignitas? quanta maiestas? Deinde, qui sic Deum inuocat, seruatur in omnibus aduersis, adeoq; in morte ipsa, ne pereat, sed habeat æternam uitam. Inuoca me (inquit Psalmus) in die tribulationis, & eripiam te. Et iterum:

Psal. 49.
Psal. 144.

Prope

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, in uocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Et Iohan. 15. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis etc. Discamus igitur, Deum ut Patrem, ex fide inuocare, ut agnoscamur filij Dei, & seruemur in omnibus malis.

TERtia utilitas fidei est, q̃ fides efficit, ut uitã meam, inquit Catechumenus, iuxta mandata Dei instituam. Cum enim Deus suscipit hominem Spiritu sancto suo iustificandum, non solum donat ei Christum filium suum, per fidem, ut propter eum reputetur coram tribunali Dei iustus, nec solum excitat eum, ut inuocet Deum, patrem suum, sed etiam accendit cor eius, ut incipiat mortificare desideria carnis, et obedire uocationi Dei, secundum præcepta eius. Fieri enim non potest, ut homo in peccato conceptus & natus, obsequatur naturæ suæ uoluntati Dei, quæ uerbo eius patefacta est, & quanquam facit nonnunquam opera in speciem bona, tamen cum sit filius iræ, ea opera non sunt nisi opera iræ, quippe quòd homo suæ naturæ relictus, non seruit nisi cupiditati carnis & affectui peccati. Et cum Decalogus initio scriptus sit in tabulas lapideas, significauit Spiritus sanctus, humanum cor durius & obstinatius esse, quàm quòd inflectat se ad præstandam ueram uoluntati Dei

Fidei in Christum utilitas tertia.

Obedientia nostra quo modo Deo grata sit. Act.13. Gal. 5.

Dei obedientiam. Quomodo ergo efficitur, ut præceptis Dei obediamus, & ut obedientia nostra sit Deo grata? Hoc non efficitur, nisi fide in Christū. Fide, inquit Petrus, purificantur corda, hoc est, accipiunt remissionem peccatorum, & renouantur, ut obediant uocationi Dei. Et Paulus: Fides per dilectionem operatur. Vbi enim uera est fides, teneri non potest, quin effundat se in dilectionem, et exerceat opera caritatis, quæ Deus mandauit. Et iterū: Spiritu (uidelicet fidei) ambulate, et desideria carnis nō perficietis. Nam, qui uere credit, quòd mors Christi sit mors peccatorum suorum, et q̄ resurrectio Christi sit uita et iusticia sua, fieri non potest, quin excitetur ad abijciendum studium peccandi, et ad sectandum opera iusticiæ. Hoc Hieremias significauit, cum cap. 31. ait, Post illos dies, dicit Dominus, Dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et Ezech. 11. Spiritum nouum tribuam in uisceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantq; ea. Quod enim fides inflectat cor ad obedientiam, testantur etiam exempla Patriarcharum, quorum fuit una fides, cū ea, quam et nos habemus in Iesum Christum. Per fidē, inquit Epist. ad Ebræ. appellatus Abraham, obedijt, ut exiret in locum, quem accepturus erat in hæredi-

hæreditatem,et exiuit, neſciens quo eſſet uĕturus. Et iterũ: Per fidem obtulit Abraham ıſaacũ, cum tentaretur. Ac mox: Per fidem Moſes iam grandis renuit uocari filius filiæ Pharaonis. Per fidem fecit Paſcha & effuſionem ſanguinis &c. Fides igitur id Spiritus ſancti donũ eſt, quo renouatur cor hominis,ut mortificata carnis cupiditate, ambulemus in præceptis Dei,& obediamus uolũtati eius. Fide cor hominis renouatur.

Cæterum,cum dicimus, fidem efficere, ut obediamus præceptis Dei, nõ eſt intelligendum, quòd poßimus in hac uita præcepta Dei operibus noſtri perfecte implere,etiamſi habeamus donum & Spiritum fidei, ſed q̃ habeamus quidem impletionem legis in Chriſto per fidem, excitemur autem fide ad præſtandam Deo, qualemcunq; poſſumus in hac carne, obedientiam, & legis impletionem. Lex enim Dei impletur ab ijs,qui per fidem renati ſunt,duobus modis. Vno,cum totus Chriſtus donatur nobis, & fit noſter per fidem, una cum uniuerſa ſua iuſticia. Nõ pepercit,inquit Paulus,proprio Filio, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quî fieri poteſt,ut nõ & cum eodẽ omnia nobis donet? Dicimur ergo legẽ implere per fidem,quia impletio & iuſticia Chriſti imputatur nobis per fidem, quemadmodum poſtea copioſius,uolente Domino, explicabitur. Altero modo dicimur legem ſeu mãdata Dei implere, cum incipimus ex fide ambulare in præceptis Dei. Quæ ambulatio,etſi imbecillis Lex à renatis duobus modis impletur.

lis est et imperfecta, ac plane puerilis, et habet adhuc multum uicij, tamen quemadmodum parenti non displicet incessus infantis sui, quanquam nec sit perfectus nec uirilis, quia infans placet ipsi, & libenter cõdonat ei imbecillitatem: Ita placet Deo nostra imperfecta obedientia, et condonat imbecillitates, propterea q̃ receperit nos in gratiam per fidem, propter Iesum Christum filium suum. Quare dicimur et hoc modo præcepta Dei implere per fidem, non quidem perfecta obedientia, sed condonatione imbecillitatis nostræ propter Christum. Etsi autem hæc obedientia non est per se perfecta iusticia, tamen debet necessario præstari. Et si non præstatur, nec sequitur fidem, non obscurum argumentum est, quod fides non sit uera. Aut si uera fuit, quod abijciatur. Qui enim ambulant secundum cupiditatem carnis, in sceleribus, hi aut non habent ueram fidem, aut si habuerunt, abijciunt eam. Qui peccat, inquit Iohannes, ex diabolo est. Et Paulus: Si qua uidua suis, & maxime familaribus non prouidet, fidem abnegauit, & infideli deterior est. Quare ne amittamus fidem, omnino ambulandum est in uocatione & obedientia Dei. Sed de hac re postea pluribus &c.

Hactenus de utilitatibus Fidei, quas proposuimus, non solum ut ostenderemus uerum usum Symboli, sed etiã ut hoc quasi gradu descenderemus ad explicationem orationis Dominicæ & Decalogi.

DE

DE ORATIONE DOMINICA.

Q.

Qua oratione frequẽtius alijs uteris?

R.

Vtor Oratione, quam docuit Iesus Christus Filius Dei, uidelicet, Pater noster qui es in cœlis &c.

INTER VTILITATES fidei, hæc una est ℣ fides efficiat, ut audeamus Deũ inuocare Patrem, & orare. Dicamus igitur nunc de Oratione seu precatione, cuius cognitio nobis ualde utilis est & necessaria. Maiores nostri uocauerunt Orationem, Arma Christianorum, & Anchoram, atq; Asylum nostrum. Et Dominus Deus noster præcepit nobis, ut Oremus. Ac promisit quoq; se ueram & piam orationem exauditurum. Quare necessarium est, ut ueram sententiam de Oratione seu precatione cognoscamus.

Oratio Christianorum, arma, Anchora, Asylum.

Quid est oratio?

ORATIO, in genere, est alicuius rei petitio, Symbolum igitur Apostolicum, non est Oratio, quia nihil in eo petitur, sed tantum recitatur, quid creda-

credamus. Sic & Salutatio Angelica non est oratio, quia nihil in ea petitur, sed tantum commemoratur, quomodo Angelus, in adnunciando cœlesti decreto, de futura conceptione Christi, Mariam salutauerit. Quare ineptissimum est, q̃ hypocritæ obtrudant Deo Symbolum Apostolicum, & salutationem Angelicam, pro Oratione.

Angelica salutatio non est oratio.

Quis est orandus seu inuocandus?

IN his quidem terris, alter alterius, subditus Principis, filius parentis, amicus amici opem implorat. Sic enim natura conditionis nostræ fert, et Deus iubet, ut nobis mutuo officia caritatis, in hac corporali uita, quæ possumus, exhibeamus, ideoq̃ necessitas ipsa excitat nos, ut proximus proximũ interpellet, ac officia illa caritatis sibi præstanda petat. Si autem sustulerimus oculos nostros in cœlum, & ingrediamur precibus ac supplicationibus nostris in cœtum cœlestis regni, non licet nobis ullum mortuorum hominum, uel etiam Angelorũ, sed solum Dominum Deum nostrum ad ferendam nobis opem orare et inuocare. Etsi enim Angeli emittuntur in nostri ministerium, & Propheta Zacharias cap. 1. significat eos pro nobis orare, nec incredibile est, homines sanctos, qui in Christo obdormierunt, & apud Christum uiuunt, optime nobis pro suo modo, precari, Solus tamen Deus inuocatione nostra, petendus est.

Angeli & homines mortui cur non sint inuocandi.

Pri-

I. Primum enim, uera Inuocatio cœleſtis opis non conſtat externa uoce, ſed intima mentis cogitatione. Solemus quidem externa uoce in inuocatione uti, ſed magis noſtra quàm Dei cauſa. Neceſſe igitur eſt, q. is, quem inuocamus, cognoſcat cogitationes cordis noſtri, & impleat omnia. Solus autem Deus eſt ſcrutator cordium, & ſolus Deus implet omnia. Abraham, inquit Eſaias, ueſcit nos, & Iſrael ignorat nos. Tu autem Domine Pater noſter es, Redemptor noſter, à ſeculo Nomen tuum. Quare & inuocatio noſtra ad ſolum Dominum Deum noſtrum dirigenda eſt. Eſai. 63.

II. Deinde nullum uel præceptum uel exemplũ extat in ſacra Scriptura, quòd debeamus homines mortuos, aut Angelos inuocare. Nõ licet autem ſacrum cultum (quo numero etiam inuocatio hominum mortuorum, uel Angelorum continetur, ſi eſſet cultus legitimus) abſq; uerbo Dei inſtituere & uſurpare. Quod enim caret uerbo Dei, non poteſt fieri ex fide. Et omne quod non eſt ex fide peccatũ eſt. Quare tantum abeſt, ut inuocatio hominum mortuorum, aut Angelorum, ſit cultus Deo gratus ut potius in peccatum reputetur: & manifeſtum eſt, q. hic cultus pepererit in Eccleſia abominandã idolatriam, ideoq; diligentiſsime ab eo cauendum. Extant autem clara dicta Scripturæ, quibus Deus iubet ſeipſum inuocare, et teſtatur ſe afflictis prope adeſſe, ac promittit inuocantibus ipſum cœleſtem opem.

ſimonia Pſal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.*

uoca- ſolius Eſai. 45. *Nunquid non ego Dominus, et non eſt ultra Deus abſq; me? Deus iuſtus et ſaluans non eſt præter me. Conuertimini ad* ME, *& ſalui eritis omnes fines terræ.*

Pſal. 33. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies ueſtræ nõ confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum &c. Et mox: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.*

Pſal. 144. *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate.*

Ioel 2. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*

Solus igitur Dominus Deus noſter inuocandus eſt, ut & inuocatio poſſit ex fide fieri, et queamus certam exauditionem ac ſalutem ſperare.

Quod eſt opportunum tempus orandi ſeu inuocandi Dei?

IN *mundanis regnis, non licet quouis tempore adire Regem, Et in Eſther, capitale erat Regem accedere, niſi forte Rex accedenti aureum ſceptrum in ſignum clementiæ porrigeret. In cœleſti autem Regno, ſemper quidem & quouis tempore licet*

Deum

Deum orationibus & ſupplicationibus adire. Et tamen alterum tempus altero opportunius habetur. Quod ut explicemus, faciemus, docendi gratia tria genera Orationis. Vnum eſt, Domeſticum & puerile. Alterum eſt Eccleſiaſticum, & publicum. Tertium eſt Spirituale & priuatum. Domeſticum igitur ſeu pædagogicum aut puerile uocamus, quo erudiuntur pueri, & quod externis uerbis, extra tentationes & afflictiones recitatur. Ad hoc genus orationis aſſuefaciēdi ſunt pueri ab ineunte ætate, idq; ſtatis temporibus, Mane uidelicet, ad prandium, ad cœnam, & ueſperi. Debemus et nosipſos, maiores natu, ad tale genus orationis, certis temporibus aſſuefacere, etiamſi uidemur extra pericula eſſe, ut recitatione uerborum orationis excitemus Spiritum ſanctum, & accedamus alacriores ad ſuſcipiendam & conficiendam noſtram uocationem. Non docemus ſuperſtitionē, nec præſcribimus iſta ut mandata Dei. Non enim alligauit nos Deus ad certum orandi tempus, ſed hortamur tantum ad diſciplinam non inutilem, ut nobis quidem uidetur, & conſilium damus, ne ulla in parte miniſterio noſtro deſimus.

Orationis tria genera.

Oratio domeſtica ſeu puerilis.

Alterum genus, Eccleſiaſticum ſeu publicum uocamus, cum publice in Eccleſia Orationes & Pſalmi recitantur, quod fieri ſolet uel erudiendæ Eccleſiæ gratia, uel ad implorandam diuinam opem in publicis ærumnis & calamitatibus. Et

Oratio Eccleſiaſtica ſeu publica

talis recitatio distributa fuit quondam in Septem horas, quas uocarunt Canonicas. Sed nec hæc ordinatio diuinitus instituta est. Nam quod in Psalmo dicitur, Septies dixi tibi laudem, ponitur certus numerus pro incerto. Et toties licet Ecclesiæ ad Orationem et Concionem publice conuenire, quoties id utilitas & necessitas exegerit. Et opera danda est, ut in publico conuentu Ecclesiæ omnia fiant ad ueram ædificationem decenter, et secundum ordinē.

Horæ Canonicæ.

Psal. 118.

Oratio spiritualis seu priuata.

Tertium orandi genus uocamus Spirituale et priuatum, non q̄ alia non sint spiritualia, et hoc non etiam publice suis temporibus fieri soleat, sed q̄ priuatim quisq; pius ad hoc ex præsenti necessitate, ac dolore uel corporis uel animi, per Spiritum sanctum excitetur. De hoc orandi genere necessario admonendi sumus. Imperiti enim homines existimant sibi tantum orandum esse, cum uel Ecclesia publice conuenerit, uel tempus horæ illius, quam sibi ad fundendas preces priuatim selegerunt, aduenerit, & interea cum obijciuntur periculis, & torquentur aduersis, non solent orare, sed potius contra Deum & homines murmurare et maledicere, ac uirulenter in quosuis debacchari. Hic est mos hominum solennis, q̄ orent tantum extra pericula & afflictiones. In periculis autem & afflictionibus uertunt sese ad maledicta & execrationes.

Sed hæc est detestanda consuetudo. Non enim est opportunius tempus orandi, quàm cum aduersis

sis cruciamur, & tunc maxime omnium orandum est, cum afflictiones sunt graues, et minantur nobis exitium. Quo enim aduersa sunt grauiora, & quo magis animo perturbamur, eò propior solet Deus nobis adesse, et opem suam offerre, ut nos in periculis & afflictionibus clementer seruet. Deum afflictis præsto adesse.

Psalm. 33. Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Psalm. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Psalm. 112. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, in cœlo et in terra.

Esaiæ 57. Dominus in excelso & in sancto habitat, & cum contrito & humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & uiuificet cor contritorum.

Cum igitur Deus perspicue testetur, se, etsi omnia semper implet, tamen præcipue afflictis præsto adesse, & eis opem suam offerre, sciamus nullum esse opportunius tempus orandi & inuocandi Dei, quàm cum premimur aduersis, & perturbamur ira atq; iudicio Dei. Nam quòd Christus et Paulus dicant, Sine intermissione orandum esse, nũ hoc sentiunt, quòd uerba Orationis sine intermissione recitanda sint, sicut superstitiosi interpretantur, Sed q; nullo non tempore, quo aduersis percel- Luc. 18. 1. Thess. 5.

limur, sit orandum. Deus enim offert nobis opem suam, quouis tempore utendam. Quòd si ex fide instituerimus orationem, non est sentiendum, ꝙ Oratio una cum sono uerborum intercidat, Sed ꝙ Spiritus pergat pro nobis intercedere gemitibus inenarrabilibus, etiamsi sonus uerborum desinat, & nos uel somno uel alijs rebus licitis & honestis occupemur.

Quas res debemus Oratione petere?

Beneficia Dei spiritualia quo modo petenda.

DVPLICIA sunt beneficia Dei, quæ precibus à Deo petenda sunt. Alia sunt Spiritualia, cœlestia & perpetua, quæ et sunt propria regni Christi, & ad quæ nobis impetranda Christus de cœlo descendit, uidelicet, Remissio peccatorum, Iustitia, Adoptio in filios Dei, Conseruatio in morte, Æterna uita & fœlicitas. Hæc bona, filius Dei homo factus, impetrauit nobis à Deo Patre suo, et offert ea nobis per Euangelium suum fide accipienda. Inuocandus igitur est Deus, pro his bonis, sine ulla uel conditione uel dubitatione, sed certa et firma fide, ꝙ nihil certius, nihil firmius sit Euangelio Christi, quo hæc bona omnibus credentibus in Christum promittuntur. Alia sunt beneficia terrena & interitura, qualia sunt, Sanitas corporis, utilitas rerum, uictus corporalis, liberatio è morbo, liberatio è periculis mortis, & id genus alia. Hæc etsi sunt mundana, tamen sunt & ipsa dona Dei, ideoq; à Deo

Beneficia terrena quomodo à Deo petenda.

petenda

petenda: Sed quia non ſunt propria regni Chriſti, nec poſſunt per ſe hominem beare, & aliquoties proſunt, aliquoties obſunt, idcirco non ſunt ſimpliciter petenda (niſi certam & determinatam habeas promiſſionem uerbi Dei) ſed addenda eſt hæc clauſula, Non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis. Et, Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra. Nam in talibus bonis petendis, maxime omnium uerum eſt, quod Paulus ad Romanos cap. 8. ſcribit: Hoc ipſum, inquiens, quid oraturi ſimus, ut oportet, non nouimus. Non nouimus, uidelicet, iuxta humanam rationem & in bonis terrenis ac perituris. In petendis enim his beneficijs, etſi Deus non ſemper exaudit pias preces, iuxta uoluntatem precatoris, tamen ſemper exaudit eas iuxta utilitatem eius, & iuxta uoluntatem Spiritus, qui ſecundum Deum intercedit pro Sanctis. Iohannes & Iacobus petebant à Chriſto, ut alter ſederet à dextris, alter à ſiniſtris in regno ipſius mundano, quod futurum ſomniabant. Hæc erat petitio dominationis mundanæ. Sed audiunt, Neſcitis quid petatis. Paulus ter rogauit Dominum, ut angelus Satanæ diſcederet ab ipſo. Hæc erat petitio corporalis tranquillitatis. Sed audit, Sufficit tibi gratia mea. Quid ergo dicemus? Num hi paßi ſunt in precibus ſuis repulſam? Nihil certe minus. Etſi enim non ſunt exauditi iuxta carnalem precum ſuarum ſenſum, exauditi tamen

ſunt iuxta ſenſum ſpiritualem. Et interea dum Dominus *negauit eis externa & corporalia beneficia, præparauit eis multo maiora & excellentiora, adeoq; cœleſtia & æterna.*

Quare non habemus cauſas, cur aduerſus Dominum *murmuremus, etiamſi non fiamus in petitionibus corporalium beneficiorum uoti noſtri cõpotes, Sed ſciamus* Deum *aliquoties ſic negare parua & terrena, ut præparet nobis magna & cœleſtia. Hoc autem non eſt preces repellere, ſed potius uere exaudire.*

Quo merito & qua fiducia orandum eſt?

ALIVS *orare ſolet fiducia meritorum ſuæ ipſius iuſticiæ, ſicut* Phariſæus *apud Lucam ca. 18. Alius orat fiducia alienorum meritorum, uidelicet eorum, quæ à* Monachis *redemit, aut eorum, quæ ſperat ſibi à Sanctis in cœlo communicanda. Etſi autem iuſticia bonorum operum diligentißime ſectanda eſt, tamen merita ſiue uiuorum ſiue mortuorum, non poſſunt eſſe tanti momenti, ut coram iudicio* Dei *conſtent, & reddant nobis* Deum *propicium. Non enim iuſtificatur, inquit* Pſalmus, *in conſpectu tuo omnis uiuens. Et, Si iniquitates obſeruaueris* Domine, Domine *quis ſuſtinebit? Itaq; tantum abeſt, ut aliqua ſint humana merita, quorum fiducia inuocemus* Deum, *ut potius omnes pij*

quan

quantumuis ſancti, neceſſe habuerint uno ore cum Daniele dicere: Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Dan. 9.

Libet etiam hic commemorare memorabilem confeßionem Auguſtini de merito ſuo, ut manifeſte cognoſcamus, q̃ pij ne quidem ipſi confidant ſuis meritis, tantum abeſt, ut ipſorum meritis alij confidere debeant. Sic autem dicit Auguſtinus: Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors eius meritum meum eſt, refugium meum, ſalus, uita, & reſurrectio mea. Meritum meum miſeratio Domini. Non ſum meriti inops, quandiu ille miſerationum Dominus non defuerit. Etſi miſericordiæ Domini multæ, multus ego ſum in meritis. Quanto ille potentior eſt ad ſaluandum, tanto ego ſecurior &c. Hactenus Auguſtinus. Auguſtin. in Manuali cap. 22.

Cum igitur nulla ſint humana merita, quorum fiducia poßimus Deum precibus & ſupplicationibus noſtris accedere, propoſuit nobis Deus Mediatorem & Reconciliatorem, Filium ſuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cuius unius & ſolius merito ſit confidendum, et orandum. Sic enim dicit Chriſtus ipſe Iohan. 16. Amen amen dico uobis, Quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. In NOMINE (inquit) MEO, hoc eſt, propter Me, & meritum meum. Et Act. 4. Non eſt aliud Nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo Merito ſolius Chriſti confidendũ & orandũ.

oporteat nos saluos fieri &c. Et. Rom. 5. Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & contigit nobis ut fide perduceremur in gratiã hanc, &c. Quare oraturi accedamus ad Deum, non fiducia meritorum nostræ iusticiæ, quæ per se aut nulla est, aut imperfecta & uiciata, sed tantum fiducia meriti & iusticiæ unigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qui Patrem ita placauit, ut si confidamus in ipsum, non solum exaudiat preces nostras, uerumetiam adoptet nos in filios & hæredes cœlestium suorum bonorum.

Quibus uerbis est orandum?

MVLTÆ extant piæ orationes seu precationes in sacra Scriptura. Extat & Psalterium, in quo certe meditandum nobis est diu noctuq;. Non enim continet tantum precationes, sed etiam præcepta bonorum operum, & conciones Euangelij de Iesu Christo. Itaq; continet tres præcipuas partes Catechismi, uidelicet, Decalogum, Symbolum Apostolicum, & Precationem Dominicam. Quare qui in Psalterio uersatur, sciat se in optimo & utilissimo Christianæ doctrinæ Catechismo uersari. Sed quia illæ uel Psalterij, uel aliorum locorum Scripturæ precationes, plures et prolixiores sunt, quàm quæ à quouis memoria ad uerbum comprehendi queant, idcirco filius Dei Christus Dominus noster

noſter contulit omnes pias precationes, quæ in tota Scriptura continentur, in pauca uerba, & in breuem Precationem, quæ extat apud Mat-
thæum capite 6. Et apud Lucam cap. 11. Hanc precationem uocant Orationem Dominicam, uel Pater noſter, quæ nobis debet eſſe commendatiſſima. Primum, quòd eam Chriſtus ipſe Filius Dei docuerit, & precandam propoſuerit. Quare cum recitamus eam, non eſt dubitandum de exauditione eius, quippe quòd Filius Dei agnoſcat ſua ipſius uerba, & eo ipſo exauditionem promiſerit, quo ſic precari docuit. Deinde quòd eſt epitome & compendium omnium piarum Precationum, quæ uel in ſacra Scriptura continentur, uel aliàs circumferuntur. Poſtremo quòd continet in ſe petitiones omnium beneficiorum, quæ nobis tam ad corporalem uſum, quàm ad cœleſtem ſalutem neceſſaria ſunt. Non hoc agitur, ut Pſalmos & reliquas pias precandi formulas abijciamus, ſed ut ſciamus hanc Chriſti Domini noſtri precationem in omnibus primas tenere. Quare ſic eſt memoriter ediſcenda, ut non ſolum uerba ipſa, ſed etiam ſenſum uerborum cognoſcamus, nec ſentiamus, nos noſtro officio defunctos, ſi uerba eius recitauerimus, ſed ſententia uerborum conſideranda eſt, ut excitemus fidem, & ex fide quod petimus, impetremus.

Orationis Dominicæ commendatio.

Pater

Pater noſter qui es in cœlis.

Bene igitur uertat. Accedamus nũc ad huius precationis interpretationem, ut ſententiam eius recte cognoſcamus, & teneamus.

Diuiſio

Diuiditur autem hæc Precatio in duas partes, uidelicet, in Proœmium, & in Petitiones. Nam, q̃ dicitur, Pater noſter qui es in cœlis, Proœmium eſt, Quæ autem ſequuntur, ſunt Petitiones, quarũ ſunt ſeptem. De Proœmio primum dicamus. Initio autem admonendi ſumus de phraſi Germanica, Oraturi enim ſolemus Germanice dicere, Vater vnſer der du biſt im Himel. Hoc, etſi ad imitationem Hebræi ſermonis, qui ſolet pronomina ſuis nominibus poſtponere & in fine affigere, unde & Affixa uocantur, uſitate dicitur, nec peccatur coram Deo, qui linguam etiam corruptam intelligit, tamen male Germanice dicitur. Germanica enim lingua non ſolet pronomina ſuis nominibus poſtponere, ſed præponere. Dicunt enim, Mein vater/dein vater/ſein vater/ Mein muter/dein muter/ſein muter etc. Non dicunt, Vater mein/vater dein/vater ſein etc. Sic & dici ſolet, Vnſer vater/vnſer bruder/Ewer vater/ewer bruder. Non dicitur, Vater vnſer/bruder vnſer/Vater ewer/bruder ewer etc. Hæc idcirco admonere uolui, nõ q̃ referat aliquid coram Deo dicere, Vater vnſer/uel, vnſer vater/Sed ut ſciamus hunc uſitatum morem dicendi,

Proœmiu

Hebraica phraſis

Vater vnſer.

dicendi, Vater vnſer / non eſſe proprie Germanicum, & ut meminerimus ueterem errorem, cui à teneris annis aſſueſcimus, intantum ualere, ut ne quidem pro errore agnoſcamus. Tanta uis eſt conſuetudinis. Quare, non eſt aſſueſcendum erroribus, quod ea quæ indurantur conſuetudine, etiam neſcientes ſectemur.

Deinde conſideremus horum uerborum ſententiam. Tria ſunt uerba, Pater, Noſter, Qui es in cœlis, ſeu cœleſtis. Sic enim Germanice dicendum eſſet, Vnſer himliſcher vater. Hæc ſingula uerba continent ſingula obſeruanda documenta.

Pater eſt nomen eſſentiale in oratione Dominica.

Ac initio, alloquimur Deum, ut Patrem, & uocamus eum Patrem. Sciamus igitur, quòd nomen Patris, hoc loco, non pertineat tantum ad primam perſonam in Trinitate, ſed ad omnes perſonas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. In hac enim precatione, cum nulla fiat expreſſa perſonarum diſtinctio, & precatio ad Deum ipſum ſimpliciter dirigatur, Pater, non eſt proprie nomen perſonale, ut iſti loquuntur, ſed eſſentiale. Deus enim Pater, dicitur Pater, Filius dicitur Pater, Spiritus ſanctus dicitur Pater. Ac ſiquidem ſermo fuerit de ea proprietate in Deo, qua generatur Filius ab æterno, tunc ſola prima perſona in diuinitate dicitur Pater. Si autem ſermo eſt de operatione & affectu erga hominẽ, tunc Deus ipſe, hoc eſt, Pater, Filius, et Spiritus ſanctus, uere dicitur Pater. Deus enim

Deus quomodo sit Pater hominum.

enim est Pater hominum, primum, Creatione, quia creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Deinde, Conseruatione, quia conseruat hominem in hac corporali uita, alioqui crudelitate Satanæ mox interiturum. Postremo, Recreatione, seu Regeneratione & perpetuæ salutis donatione, quia Regenerat & sanctificat hominem ad capiendam cœlestis regni hæreditatem. Et in hac paternitate singulæ diuinitatis personæ, singula habent officia, de quibus supra, in articulo Symboli: Credo in Spiritum sanctum. Cum igitur initio Dominicæ precationis alloquimur Deum, ut Patrem, excitatur fides nostra, & confirmatur hac Patris uoce, ut certam fiduciam concipiamus preces nostras non fore in conspectu Dei irritas, quia Deus, quem Inuocamus, est noster Pater. Habet erga nos affectum paternum, qui est affectus seruandi & beandi. Habet firmam uoluntatem nos liberandi ex omnibus periculis, & collocandi nos in cœlesti hæreditate. Etsi enim peccata nostra accusant nos, & obstrepunt nobis, ne audeamus alacri mente Deum, Patrem uocare, tamen confirmanda est mens Euangelio Christi, quod promittit nobis certissimam remissionem peccatorum non propter ullum humanum meritum, sed gratis, tantum propter Iesum Christum per fidem. Quis intentabit, inquit Paulus, crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat (hoc est, reputat iustos, propter Chri-

Christum Filium suum) Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Sed iterum obstrepit peccatori humana cogitatio. Hæc, inquiens, non de quibusuis, sed de electis intelligenda sunt. Paulus enim diserte dicit, Quis intentabit crimina aduersus Electos Dei. Ego uero adhuc dubito, num & meum nomen in Electorum catalogo conscriptum sit. Sed quid de Electione tua dubitas? An non idem Paulus, paulo ante dixit: Quos prædestinauit (hoc est, elegit) eosdem & uocauit? Vides autem manifeste te esse per Euangelium Christi uocatum. Electus igitur sis, necesse est. Nam q̃ alias dicitur: Multi uocati, pauci electi, non intelligendum est, quòd externa & manifesta Dei Vocatio irrita fiat interna & occulta eius electione, Neq; enim Deus talis est, qui aliud corde celet, aliud uerbis promittat, sed intelligendum est, q̃ firma quidem & constans sit uocatio Dei: Dona, inquit Paulus, & uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit, homines autem incredulitate sua uocationem Dei aut non agnoscant, aut si agnouerint, iterum reijciant. Itaque quod ad diuinam clementiam attinet, Omnes uocati, sunt Electi. Nisi enim electi essent, uocati non essent: sicut & Rex ille Euangelicus, qui fecerat nuptias Filio suo, quos ad nuptias uocare

De Electione.

Rom. 11.

care iußit, eos antea nominatim ſelegerat & inui tauerat. Et quanquam poſtea mittit ad exitus uiarum, ut uocentur, quotquot inueniantur, tamen niſi & hos elegiſſet, & fœlicitatem nuptiarum ſuarum eis faueret, non iußiſſet eos uocare. Quod igitur ad clementiam Dei attinet, omnes uocati, ſunt electi. Sed q̃ aliqui uocantur, non tamen fruuntur electione, hoc accidit non Dei, ſed ipſorum uicio, qui aut uocantem Deum contemnunt, aut in uocatione, quam agnouerunt, recepta ſua ipſorum impietate et incredulitate, non perſeuerant. Vocatus ergo cum ſis, de electione non habes, quod dubites niſi tibi ipſi tua incredulitate deeſſe uolueris. Et quia uocatio demonſtrat te eſſe electum, & propter Chriſtum in filium Dei adoptatum, idcirco attolle alacri mente oculos tuos in cœlum, & inuoca Deum Patrem, ſine ulla hæſitatione, ac firmam fiduciam concipias, Deum tam paterno affectu te complecti, ut nec pro pane lapidem, nec pro piſce ſerpentem, nec pro ouo ſcorpium ſit daturus, ſed omnia ſalutaria beneficia, iuxta paternã ſuam clementiam in te collaturus. Nam ſi Deus, noſter Pater eſt (ſic enim filius Dei dicere & orare nos docuit, Nec ſentiendum eſt, q̃ cum ſit æterna ueritas, docuerit nos mendacium) certe nos ſumus filij eius. Si filij, ergo et hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Quæ maior nobis dignitas, quæ maior fœlicitas contingere potuiſ-

Luc. 11.

Si d. q. pr. nostri ergo nos sumus filij

tuisset? Et quis nobis tantæ dignitatis & felicitatis autor est? Num nostra ipsorum iusticia? Num Sanctorum merita? Num Angelorum industria? Nihil minus. Sed solius Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi obedientia, qua impetrauit, ut quotquot recipiunt ipsum per fidem, adoptentur à Deo in filios, & fiant hæredes cœlestis regni.

Agamus igitur tam uerbis quàm factis, Domino Deo nostro, summas quas possumus, gratias, & ducamus coram Deo & hominibus talem uitam, qualem filios Dei ducere decet, ne illud, quod est apud Malachiam, audiamus: Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?

Deinde additur NOSTER. Nec hoc uocabulum oscitanter prætereundum est. Primum enim docet, Omnes pios inter se esse Fratres, & unius cœlestis Patris hæredes. Itaq; in Dominica precatione omnes pij, siue Reges, siue Opiliones, sunt æquales. In Christo enim Iesu, non est seruus, nec dominus, non uir nec fœmina. Deinde admonet nos de Communione Sanctorum, quod pro eo, qui est membrum Christi, omnes pij orent, & commendent precibus suis Domino Deo nostro salutem eius. Itaque sicut Dominica Oratio omnium aliorum piorum, intercedit pro uno pio, ita Dominica unius pij Oratio intercedit pro uniuersa Ecclesia. Quare summa opera danda est, ut si-

Noster.

Pij omnes fratres sunt.

Sanctorum communio.

mus membra Christi & Ecclesiæ eius, quo & participes simus eius precationis, quam Deo uniuersa Ecclesia offert.

Caritas fraterna.

Præterea hortatur nos hoc uocabulum ad concordiam, ut habeamus inter nos caritatem fraternam. Nam si alter alterum odio prosequitur, non potest ipse hanc Dominicam precationem ex uera fide orare, nec fit alterius precũ particeps. Quid autem horribilius, quàm eum esse rerum tuarum statum, ut nec possis Orationem Dominicam pie inchoare, tantum abest, ut eam recte absoluas, nec fias particeps precum Ecclesiæ? Quare odium & inuidia statim ut in animo oriri incipiunt, compescenda & opprimenda sunt, ne ab Oratione impediamur, & à salute excludamur.

Cœlestis.

Additur et hoc uocabulum Cœlestis, Quod dicitur nõ solum ad differentiam terreni Patris, sed etiam ad commonefaciendos nos de potentia Dei, qua nos potest iuuare. Nam patres terreni, etsi uolunt nonnunquam filios suos iuuare, tamen non possunt. Pater autem cœlestis, uult, quia Pater, Et potest, quia cœlestis, & omnipotens, nos iuuare. Itaque cum dicimus, PATER, admonemur de uoluntate Dei. Cum autem dicimus, Cœlestis, admonemur de Potentia Dei. Relquum igitur est, ut uera et firma fide accedamus ad thronum gratiæ, & oremus quæ nos ipse orare iussit.

PRIMA PETITIO.

San-

Sanctificetur nomen tuum.

PRiusquã singulas Petitiones perstringamus, obseruandum est, Duo esse genera harum septem Petitionum. Vnum, quo petimus ea, quæ gloriam & maiestatem Dei illustrant. Harũ sunt tres, quarum singulæ ita recitandæ proponuntur, ut quantum petimus gloriam & maiestatem Dei illustrari, tantum petamus nomen & honorem nostrum obscurari, ac aboleri. Sic enim iubet nos Filius Dei dicere,

Sanctificetur nomen	Tuum	Non	Nostrum
Veniat Regnum	Tuum	Non	Nostrum
Fiat voluntas	Tua	Non	Nostra.

Alterum genus est, quo petimus ea, quæ ad salutem nostram tam corporalem quàm spiritualem & æternam necessaria sunt. Nec ordo horum generum negligenter considerãdus est. Prius enim est, quod ad gloriam Dei attinet, et posterius, quod ad nostram salutem attinet, ut sciamus gloriæ Nominis Dei semper primas deberi. Sequitur ergo prima Petitio, in qua ante omnia considerandum est, quòd non petamus, ut nomen Dei in seipso sanctificetur. Quid enim hoc aliud esset, quàm significare Nomen Dei esse sordidum ac prophanum, ac indigere ad sui sanctificationem, nostra precatione? Quæ esset hæc nostra impudentia, sic de Nomine Dei sentire? Nomen enim Dei in se ipso

ſanctum & illuſtre eſt ab æterno, nec indiget alie-
na ope, ut ſanctificetur. Sed petimus, ut nomẽ Dei,
inter NOS, publice, & in NOBIS, priuatim San
Nomẽ Dei. ctificetur. Nomen igitur Dei eſt, Deus ipſe, & fa-
ma, celebratio, prædicatio ſeu Gloria Dei. Sancti-
Sanctifica- ficari autem, eſt ſanctum haberi, & pro diuino a-
ri. gnoſci, coli, & glorificari. Itaque nomen Dei ſan
ctificari, eſt Deum, ut Deum agnoſci, & prædica-
tione, inuocatione, ac glorificatione coli & cele-
brari, Quod tam publice quàm priuatim fieri ſo-
let ac debet, in cœtu uidelicet Eccleſiæ, in poli-
teia, in œconomia, in priuati cuiuſq; animo, uita,
& operibus.

Prima peti- Primum igitur in hac Dominicæ precationis
tio quas res parte petimus, ut uerbum Dei in Eccleſia pure &
petat. ſynceriter prædicetur, ut Deus det pios miniſtros
Eccleſiæ, qui Legem & Euangelium Dei patris,
Domini noſtri Ieſu Chriſti recte doceant, et expli-
cent.

Petimus etiam, ut Deus tam piam doctrinam
uerbi ſui, quàm omnia, quæ ad explicationem eius
conferunt, sicut ſunt, ſcholæ, bonæ artes, lingua-
rum ſtudium, & id genus alia, conſeruet ac tueatur. Petimus quoque, ut Deus abroget omnem im-
piam doctrinam, omnem hæreſin, omnem idolatri-
an, omnes idolatricos & impios cultus Dei, & o-
mnem magiam. Hæc enim omnia pertinent ad ſan
ctificationem nominis Dei, & ad gloriam eius. Hic

ergo

ergo uide mihi, quid mali designent hi, qui solent quidem precationem Dominicam externis uerbis recitare, interea autem negligunt sacra, contemnunt uerbum Dei, abominantur Euangelium Christi, & non uerentur tam ministerium, quàm ministros Euangelij conuicijs proscindere. Hoc est uerbis bene precari, factis autem maledicere, et ut illi loquuntur, Altera manu panem, altera lapidem ferre.

Secundo petimus, ut Deus det pium Magistratum politicum, qui curet ut uerbum Dei recte adnuncietur, ut impia doctrina, & impia sacra aboleantur, ut blasphemia aduersus Deum, & Abusus nominis Dei, in iurationibus & execrationibus, legitima pœna prohibeantur, adeoq; ut benefacta honorentur, & scelera puniantur. Hæc enim omnia sunt sanctificatio & gloria nominis Dei. 2

Tertio petimus, ut in Oeconomia Deus excitet Spiritu sancto suo patresfamilias, quo familiam suam in uera Dei cognitione erudiant, & curent ne quid à familia designetur, quod cum uerbo Dei pugnet, sed assuefaciant eam ad audiendum uerbum Dei diligenter, et ad facienda ea, quæ uerbo Dei mandantur. Hæc enim sunt gloria, & sanctificatio nominis Dei. 3

Quarto petimus, ut Deus illustret mentes nostras uera sui cognitione ac fide, & accendat corda nostra, quo ipsum uel in aduersis inuocemus, 4

uel in prosperis laude celebremus. Petimus etiam, ut Deus gubernet Spiritu sancto suo linguam nostram, ne abutamur Nomine ipsius ad execrationes & iurationes. Petimus quoque, ut Deus regat omnes actiones nostras, ne sceleratam, sed piam et honestam uitam ducamus. Videant, inquit, uestra bona opera, & glorificent Patrem qui est in cœlis. Nam qui recitat precationem Dominicam, ac præsertim hanc partem de sanctificatione Nominis Dei, & ducit interea turpem uitam, an non secum ipse pugnat & Deum deridet?

Postremo, cum petimus sanctificari nomen Dei, sciamus nos eo ipso confiteri, Nostrum nomen esse sordidum ac prophanum, ideoq; petere, ut obscurata & abolita nostri nominis gloria, Solum Dei Nomen sanctificetur & illustretur. Cum enim simus in peccato concepti & nati, pugnat nostrum nomen cum Nomine Dei, ut quantum gloriæ nostro nomini accesserit, tantum gloriæ Nomini Dei decedat. Quare detestandum est coram Deo nostrum nomen, ut sola Nominis Dei gloria promoueat. Sic Psalmus 113. orat, Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. Et Dan. 9. Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt. Tibi autem Domino Deo nostro, misericordia & propiciatio &c.

Vides ergo quàm late pateat hæc prima Petitio

tio. Statim enim, ut aperis os tuum ad precandum et dicis, Sanctificetur Nomen tuum, ingrederis precatione tua in Ecclesiam, in Politias, & Regna, in uicinorum tuorum domos, in tuum ipsius cor, animum, os, manus & opera, & precaris, ut abolita nominis nostri prophanitate, omnia sint sancta, cœlestia, & diuina, quo Deus celebretur & glorificetur. Hypocritæ existimant pietatem precationis sitam esse in multiloquio, & iudicant eum pie orare, qui multas Dominicas Orationes recitat ac iterat. Sed uides ex huius primæ petitionis interpretatione, quantum negocij sit, uel unam tantum Dominicæ orationis particulam recte & pie commemorare.

Ecclesiasticæ historiæ tradunt, quòd Discipulus quispiam pius petierit à docto uiro, ut aliquot sibi Psalmos explicaret. Ac libuit ipsis Psalmum 38. Dixi custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea, explicandum suscipere. Cum igitur Præceptor exposuisset Discipulo hunc primum Psalmi uersiculum, admonuit eum Discipulus, ut reliqua in aliud tempus reijceret exponenda, se interea sententiam huius uersiculi meditaturum. Sed cum Discipulus post multas hebdomadas non rediret, admiratus Præceptor, rogauit, cur tanto tempore ad reliqua Psalmi cognoscenda non redijsset? Respondit ille: Boni, inquiens, consule, mi Præceptor, hanc meam

cunctationem. Cur enim ad reliqua discenda progrederer, cum hunc primum uersiculum non ita didicerim, ut eum opere compleuerim.

An non idem nobis de hac prima Dominicæ orationis petitione dicere liceret, Qua fronte progrediamur ad reliquas petitiones, cum hanc primam nondum satis considerauerimus?

Hæc non eò referuntur, ut in oratione Dominica non progrediamur, sed ut admoneamur, ne ignauiter, & quasi aliud agentes particulas Dominicæ precationis percurramus. Magna enim opus est attentione, ut excitemus fidem, & quod petimus, impetremus.

SECVNDA PETITIO.

Adueniat regnum tuum.

DEus ut est æternus, & omnium rerum tam uisibilium quàm inuisibilium omnipotens Creator, ita regnat iam inde, omnipotentia sua, à condito orbe, in cœlo et in terra. Scimus igitur, q̃ in hac petitione, non precemur, ut Deus regnet omnipotẽtia sua in hoc mundo. Quid enim huic regno non est subiectum? & quid potest huic regno obsistere, ut opus habeat precatione stabiliri?

Sed alia sunt, quæ in hac petitione nobis precanda proponuntur.

Prim-

Principio, Petimus, *ut in his terris reueletur, & promoueat regnum* Dei, *quod* Prophetæ pro- *miserunt Christum filium* Dei *administraturum.* Nam *in* Daniele *uidet* Rex Babylonius *in somnis, statuam magnam & sublimem, capite aureo, pectore ac brachijs argenteis, uentre & femore æreo, & tibijs partim ferreis, partim fictilibus.* Hæc *statua significat regna huius terræ, quæ à Danielis temporibus, usque ad incarnationem Christi sibi inuicem successerunt, uidelicet* Babylonicum, Persicum, Alexandri Magni, & Græcorum, seu successorum Alexandri, *in quorum catalogo, etiam* Romanum *regnum continetur.* Post hæc regna terræ, *promittitur* Regnum Dei, seu Regnum cœli. *In diebus* (inquit) Regum illorum (*uidelicet successorum* Alexandri, hoc est, *temporibus* Romani regni, *quod & ipsum uiribus una cum alijs* Regibus, post Alexandrum, *auctum est*) *suscitabit* Deus Cœli Regnum, *quod in æternum non dißipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur &c.*

Secunda petitio quas res petat.

Danielis statua terræ Regna significans.

Regnũ Dei & æternũ.

Sunt autem grauißimæ causæ, cur præter regna ista terrena, promittatur Regnum cœleste. Quanquam enim Regna huius terræ optime fuerint legibus et magistratibus constituta, tamen cauieri non potest, quin *in ipsis multa iniusta & iniqua designentur.* Accedit & hoc, quòd homines necesse habeant *in* Regnis terrenis, afflicti, paupe-

Cur petimus tuũ regnum coeleste

Aquila missa in hos regnis

res, & infirmi esse, ac tandem mori, & perire. Nec ullus Rex aut Monarcha fuit, qui potuerit uel sapientia omnium amicorum suorum, uel potentia omnium principum suorum rationem inire, qua efficeret, ut subditi sui non essent magna ex parte miseri, & non morerentur. Quare Deus promisit se, in hoc mundo, suum ipsius Regnum, per Christum filium suum instituturum, ut omnes subditi Regni huius sint uere iusti, & nunquam moriantur, nec pereant. Itaq; cum Christus docet nos in Precatione sua dicere, Adueniat regnum tuum, docet nos petere, ut hoc Regnum, quod Daniel uidit temporibus nouissimi regni per statuam adumbrati futurum, reueletur, promoueat, propagetur, & firmum ac stabile constet. Ac Precatio quidem Apostolorum, qui primi fuerunt huius Orationis discipuli, & quo tempore Christus nondum ascenderat in cœlum, necdum miserat Spiritum sanctum, quo reuelabatur regnum Dei, eo respexit, ut Deus glorificet Filium suum, misso Spiritu sancto, quo regnum Dei tamdiu desideratum, in terris constituatur, & usq; ad fines orbis terræ dilatetur. Post quam autem missus est Spiritus sanctus, & Euangelium diuulgatum est per Apostolos in totum orbem terræ, & instauratum ac constitutum est Regnum illud Dei per prædicationem Euangelij, precamur in hac petitione, ut hoc Regnum fœliciter in tota terra procedat, & aduersus omnes portas

infero

inferorum constet. Et quod Psalmus de Regno Christi dicit: Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex Zion, Dominare in medio inimicorum tuorum, hoc precamur in ista petitione, ut filius Dei pergat fortiter in medio inimicorum suorum dominari, donec omnes inimici fiant scabellum pedum suorum. Nam hoc illud Regnum est, in quo et si subditi eius nondum sunt iusti & beati reipsa, quippe quod habent adhuc peccatum in carne sua et sunt obnoxij omnibus calamitatibus huius mundi, adeoq; morti ipsi, tamen habent iusticiam & beatitudinem per fidem, in Christo filio Dei, quæ & tanta certitudine suis temporibus reuelanda posident, ut etiam nunc iusti & beati dicantur. Omnis, inquit, qui credit in me, non perit, sed habet æternam uitam. Et, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Quare summa nobis danda est opera, ut simus subditi huius Regni, per fidem in Christum, & conferamus studium nostrum precatione, ut hoc Regnum per prædicationem Euangelij in terris conseruetur, & nos salutem consequamur.

Secundo, Petimus, ut Christus regnet non solum publice per Euangelium, inter subditos suos, qui sunt Ecclesia eius, uerumetiam priuatim in unoquouis nostrum, per Spiritum sanctum suum.

Habemus enim fortem & uersipellem aduersarium

ſarium, Satanam, qui poſtquam liberati ſumus per Chriſtum, tyrannide ipſius, affectat iterum in nos regnum & dominationem. Itaque diu noctuq; obambulat, omnia excogitans, ut nos in obedientiam peccati pertrahat, quo iterum fiamus ſubditi eius, & pereamus in æternum. Precamur ergo in hac ſecunda petitione, ut Deus obſiſtat Satanæ, & det nobis Spiritum ſanctum ſuum, qui in nobis regnet, & conſeruet nos in uera uerbi Dei obedientia.

Exempli gratia. Videmus pios in ſua pietate eſſe infœlices, impios autem in ſua impietate eſſe fœlices. Sollicitat ergo nos Satan ad abijciendum ſtudium pietatis, ut deſinamus eſſe infelices. In hac tentatione properandum eſt ad precationem Dominicam, & orandum, ut aduenial Regnum Dei, hoc eſt, ut detur nobis Spiritus ſanctus, quo obſiſtamus ſpiritui Satanæ, et contineamur in obedientia Dei. In egeſtate, & fame, ſollicitat Satan homines ad furta, ad impoſturas, & alia mala. In morbo ſollicitat ad impacientiam, ad execrationes, & ad deſperationem. Petendum igitur eſt, ut aduenial regnum Dei, ut donemur Spiritu ſancto, quo compeſcamus aſſultum Satanæ, & pergamus uocationi Chriſti filij Dei.

Tertio, petimus, ut filius Dei non differat longo tempore Aduentum ſuum in Maieſtate, ſed aduenial propere cum Angelis ſuis, iudicaturus uiuos

uos & mortuos, ut cito liberemur tam à peccato, quã ab omnibus huius ſeculi malis. Tametſi enim Euangeliũ Chriſti prædicatur in mundo, et Chriſtus dominatur per Euangelium in Eccleſia, tamẽ ſemper adhuc hæret peccatum in carne, & neceſſe habemus multis aduerſis in hoc mundo affligi. Precamur igitur, ut Filius Dei non ſolum propaget & conſeruet Euangelium ſuum in mundo, & ſuſcipiat nos priuatim Spiritu ſancto gubernandos, ſed etiam ut ipſe ueniat manifeſte in Maieſtate ſua, & reuelet regnum ſuum ſempiternum, in quo pij, ijs bonis reipſa perpetuo fruentur, quæ in hoc ſeculo per Euangelium fide acceperunt, & certa ſpe conſeruarunt. Magna hominum pars recitant tantum uerba huius Petitionis, Sed nõ petunt rem ipſam ſerio. Iuuenes pollicentur ſibi adhuc magnas in hoc ſeculo uoluptates. Auari ſperant ſe adhuc magnam uim pecuniæ collecturos. Scelerati impœnitentes, promittunt ſibi multam in ſceleribus ſuis fœlicitatem, adeoq; omnes, qui cognoſcunt futurum eſſe iudicium & ſupplicium peccatorum, & tamen non credunt uere in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, trepidant & cohorreſcant mentione aduentus Chriſti in Maieſtate, quòd metuant, ne ſi Chriſtus cito in Maieſtate ſua ueniat, cito ipſi tradendi ſint æterno gehennæ igni. Hi ſolent quidem uerba huius petitionis recitare, ſed non ſerio petunt, quod uerbis intelligi-

telligitur, quia optant, ut cum primum aduenia regnum Dei, cum post triginta aut quinquaginta annos omnem animi sui libidinem in hoc mundo compleuerint. Hoc certe non est orare, sed ridere Deum: Et est Deum magis ad iracundiam, quàm ad placationem prouocare. Nam hæc oratio non præscribitur nobis, ut sentiamus ipsa uerborum recitatione satisfieri nostro officio, sed ut quod uerbis dicimus, mente serio petamus. Tunc autẽ excitabimur, ut quod in hac Dominicæ orationis particula recitamus, serio petamus, primum cum cogitauerimus, nos perpetuo circumferre in carne nostra peccatum, quod etsi condonatur per fidem propter Christum, tamen teneri non potest, quin tantum nobis negocij faciat, ut nunquam liceat tranquillam uitam ducere, nec possimus unquam nisi aut morte nostra, aut aduentu Christi in maiestate sua excutere. Vnde & Paulus ad Romanos cap. 7. exclamat: Miser ego, inquiens, homo, quis me eripiet ex corpore hoc morti obnoxio? Gratias ago per Christum Iesum, hoc est, Non alia res liberabit me, quàm aduentus Christi. Liberatus quidem sum per Christum, Condonatione, Sed sentio adhuc peccatum reipsa, è quo tunc plene liberabor, cum aduenerit Christus in maiestate sua Deinde excitabimur ad seriam petitionem, cum cogitauerimus necesse nobis esse semper in hoc mũdo aduersis affligi. In mundo, inquit, afflictionem

hab

habebitis. Et, Ecce mitto uos ſicut oues in medio luporum. Quem autem delectaret, diu in aduerſis & afflictionibus commorari? Poſtremo, excitabit & hoc ſeriam petitionem, ſi conſideraverimus paratam nobis eſſe certam & perpetuam fœlicitatem in cœleſti regno, propter Ieſum Chriſtum, cuius facti ſumus cohæredes, per fidem. Quis autem peccati et calamitatis mole oppreſſus, non ſerio peteret peccati liberationem? Aſſuefaciamus igitur nos ad tales cogitationes, ut ad mentionẽ Aduẽtus Chriſti in iudicium, non ſolum non cohorreſcamus, ſed etiam ingenti deſiderio aduentum eius appetamus, & uere ac ex animo dicamus, Adueniat regnum tuum.

TERTIA PETITIO.

Fiat uoluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra.

NOn eſt obſcurum, quid ſacra Scriptura de omnipotente, & arcana atq; imperſcrutabili uoluntate Dei concionetur. In Pſalmo 113. dicitur. Deus noſter in cœlo, omnia quæcunque uoluit, fecit. Et Eſaiæ cap. 14. Dominus Zebaoth decreuit, et quis poterit infirmare? Manus eius extenta, & quis auertet eam? Et cap. 46. Conſilium Meum ſtabit, & omnis uoluntas Mea fiet. Quod cum ita ſe habet, non eſt ſentiendum, q; in

Voluntas Dei duplex.

hac

hac petitione oremus, ut omnipotens uoluntas Dei fiat. Hæc enim ita pergit & promouet, ut nulla creatura nec in cœlo nec in terra queat ei obsistere. Sapiens corde est (inquit Iob) & fortis robore, quis resistit ei, & pacem habuit? Quare Deus non eget nostra precatione, ut omnipotens ipsius uoluntas fœlicem habeat successum. Sed in hac tertia Petitione precamur, ut bona Dei uoluntas, quã nobis uerbo suo reuelauit, in nobis, & per nos, tam publice quàm priuatim fiat. Etsi enim consilium, seu institutum, quod suscipit Deus ex omnipotenti sua maiestate, non potest ulla uel humana uel Angelica potentia irritum fieri, Sed necesse habet perfici, tamen homines per peccatum ita corrupti sunt, ut huic Dei uoluntati, quam ipse promissionibus & præceptis suis patefecit, nõ solum non obediant, uerumetiam natura sua obsistant, & contrarium faciant. Lex (inquit Paulus) spiritualis est, at ego carnalis sum, uenditus sub peccatum. Lex autem est uoluntas Dei. Si ergo Paulus pius conqueritur se carne sua non obedire legi, hoc est, uoluntati Dei, quid de impijs sentiendum erit? Et iterum dicit Paulus, Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur. Siquidem ne potest quidem. Et 2. Corinth. 4. affirmat Deum huius seculi, qui est Satan, excœcare sensus incredulorum, ne obediant Euangelio. Cum igitur caro nostra per peccatum corrupta, et per

Iob. 9

Sata-

Satanam excœcata, cum ea Dei uoluntate, quæ promißionibus & præceptis patefacta est, ita pugnet, ut illis non adhibeat fidem, his autem non obediat, docet Christus nos petere Spiritum sanctum, ut mortificata carne, & reiecto Satana, uoluntas Dei in nobis, & per nos fiat. Et sicut in prioribus petitionibus precati sumus, ut non nostrum nomen, sed Dei nomen glorificetur, & non nostrum, in carne nostra, sed Dei Regnum adueniat & obtineat, ita in hac tertia Petitione iubemur precari, ut non nostra carnalis & mundana, sed Dei uoluntas spiritualis & cœlestis, in nobis perficiatur. Videamus ergo, quæ sit spiritualis & cœlestis Dei uoluntas, quatenus quidem promißionibus & præceptis est patefacta, ut & cognoscamus, quæ in hac Dominicæ precationis particula petamus. Dei uoluntas spiritualis quæ sit.

Ac primum, postquam corrupti sumus peccato, ac facti sumus propter peccatum obnoxij morti & perpetuæ damnationi, uult Deus, ut agnito peccato per Decalogum, audiamus Euangelium Filij sui, & credamus in Filium suum, ut non pereamus peccato, morte, & damnatione, sed reputemur iusti per fidem, & seruemur in morte, ad æternam uitam. Deus enim patefecit hanc suam uoluntatem, cum iubet Mosen de Propheta seu filio suo concionari Deut. 19. IPSVM AVDIES. Et, Ponam, inquit Deus, uerba mea in ore eius, lo-

queturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur in Nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Similiter cum Iesus Christus filius Dei baptisaretur à Iohanne, dixit Deus de Christo: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, HVNC AVDITE. Vides manifestam esse uoluntatem Dei, ut audiamus Euangelium filij sui Domini nostri Iesu Christi, & credamus in eum, ut consequamur propter ipsum iusticiam & æternam salutem, Hanc uoluntatem Dei, nec Filius ipse dissimulat, Descendi, inquiens, de cœlo, ut faciam, non quod ego uolo, sed quod uult is, qui misit me. Hæc est autem uoluntas eius, qui misit me, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Et hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet Filium, & credit in eum habeat uitam æternam &c. Et iterum, Hoc est opus Dei, uidelicet, quòd Deus à uobis exigit, ut credatis in eũ, quem misit ille. Quare cum manifeste sciamus hanc esse uoluntatem Dei, ut audito Euangelio Christi, credamus in ipsum, & consequamur propter ipsum ueram & æternam salutem, precamur in hac petitione, ut Spiritus sanctus excitet & confirmet in nobis fidem, ac efficiat, ut credentes in Christum, non pereamus, sed conseruemur, iuxta uoluntatem eius, perpetua salute.

Iohan. 6.

Deinde uult Deus, ut postquam per fidem renati

nati ſumus in Chriſto, et facti ſumus propter Chriſtum, hæredes æternæ ſalutis, non obediamus amplius cupiditati carnis, ſed affectui ſpiritus. Ne regnet, inquit Paulus, peccatum in mortali ueſtro corpore, ut obediatis illi per cupiditates eius. Neque accommodetis membra ueſtra, arma iniuſticiæ peccato, ſed accommodetis uoſmetipſos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, et membra ueſtra arma iuſticiæ Deo. Et iterum: Hæc eſt uoluntas Dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; uas ſuum poßidere cum ſanctificatione & honore &c. Et Petrus: Sic eſt, inquit, uoluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os hominibus ſtultis & ignorantibus, tanquam liberi, & non ueluti prætextum habentes maliciæ, libertatem, ſed tanquam ſerui Dei. Et iterum, Cum Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, uos quoq; iuxta eandem cogitationem armemini, q, qui patitur in carne, deſiſtit à peccato, in hoc, ut iam non concupiſcentijs hominum, ſed uoluntati Dei, quod ſupereſt in carne tempus uiuat. Ac breuiter, Chriſtus ipſe dicit: Hoc eſt præceptum meũ, ut diligatis inuicem ſicut ego dilexi uos. Hæc, cum ſit uoluntas filij Dei, dubitari non poteſt, quin ſit etiam uoluntas Dei patris. Quare cum dicimus, Fiat uoluntas tua, Petimus ut Spiritus ſanctus accendat corda noſtra, ad præſtandam obedientiam Deo ex fide, ut non ambulemus iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum.

Rom. 6.

1. Theſſ. 4.

2. Pet. 2.

Postremo, uult Deus, ut non solum faciamus bona obedienter, uerumetiã feramus mala seu aduersa patienter. Manifestum enim est, q; quæcunq; aduersa acciderint hominibus, ac præsertim pijs, non accidant eis temere, aut ignorante Deo, sed ipso sciente et uolente. Vult enim Deus, ut fiamus conformes imaginis Filij sui. Non est, inquit Christus, discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra dominum suum. Voluit autem Deus, ut Filius suus pateretur multa et uaria aduersa, adeoq; mortem ipsam in hoc mundo. Quam uoluntatem testificatus est Deus iam inde ab initio orbis conditi, et in prima Euangelij concione: Semen mulieris conteret caput tuum, & tu mordebis calcaneum eius. Ac postea significauit eam institutione sacrificiorum, uaticinijs Propheticis, & afflictionibus omnium piorum. Hæc enim omnia dicunt testimonium de uoluntate Dei, q; Christus filius eius passurus esset grauissimas in hoc seculo afflictiones, ac subiturus etiam iudicium mortis. Cum igitur Deus uoluerit, ut Filius ipsius naturalis Iesus Christus multa aduersa in mundo pateretur, certe uult etiam, ut filij sui adoptiui aduersis affligantur, ut si cupiunt una cum Christo glorificari, etiam una cum ipso in hoc mundo patiantur.

Matth. 10.

Extant & multa alia Scripturæ testimonia, quæ docent, q; aduersa contingant nobis non temerario casu, sed diuina uoluntate.

Esai.

Esai.45. Ego Dominus et non est alius, formãs lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum, hoc est, bella, & reliquas afflictiones. Aduersanõ uolunta te diuina

Hiere. in Thren. cap. 3. Quis est iste, qui dixit hæc fieri Domino nõ iubente? Ex ore altissimi, nec bona nec mala egredientur? nobis accidere.

Matth. 10. Nonne duo passerculi, minuto asse ueneunt, & unus ex illis non cadit in terram sine Patre uestro? Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt.

Sed cur Deus uelit, ut aduersis in hoc mundo affligamur, multæ sunt causæ. Nam, præterquam quòd uelit nos afflictionibus conformes fieri Filij sui, etiam uult coercere & frenare cupiditatem carnis, continere nos in officio, excitare ad precationem, et multa alia, quæ hoc loco commemorare longum esset. Afflictionũ ratio.

Quare cum manifesta Dei uoluntas sit, ut quæ immittuntur nobis afflictiones siue propter iustisticiam, siue propter iniusticiam pacienter toleremus, deferimus Deo hac particula, Fiat uoluntas tua, obedientiam nostram, & petimus, ut in sufferendis aduersis conseruet nos in officio uocationis suæ, ne magnitudine afflictionum perturbati, officium nostrum deseramus. Ac siquidem Deus ostenderit nobis aliquam piam & legitimam uiam ac rationem, qua possimus aduersa effugere, utendum est beneficio Dei, cum gratiarum actione. Voluntati diuinæ præstanda est obedientia.

Quale est, si quem morbus inuaserit, qui ordinaria medicina curari possit. Aut si quis captiuus habeat, qui ipsum uel precibus uel precio legitime redimat, non est aspernandum beneficium Dei. Sed si res ita ferat, ut aduersa non queas effugere, nisi impietate & peccato aduersus Deum, ibi tum necesse habes coram Deo procumbere, & dicere, Fiat uoluntas tua. Si placet tibi ut affligar, placeat sanè & mihi. Fiat tua, non mea uoluntas, Tantummodo conserues me in officio obedientiæ tuæ, ne irritatus grauitate aduersitatum, abijciam uocationem tuam. Sic Dauid tradit se obedienter in exilium. Reporta (inquiens ad Zadoc) arcam Dei in urbem. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi, Non places, præsto sum, Faciat quod bonum est coram se. Sic tres adolescentes apud Danielem, tradunt se obedienter in ignem. Ecce, inquiunt, Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, ò Rex, liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Hoc idem est, ac si dixissent: Si Dominus Deus noster permiserit tibi tantum potestatis in nos, ut abijcias nos in caminum ardentis ignis, Fiat uoluntas Domini. Hoc tantum petimus, ut Spiritu sancto suo conseruet nos, ne idolum colamus, & ad-

2. Reg. 15.

& aduersus ipsum peccemus.

Sed Christus ipse filius Dei, non solum uerbo, uerumetiam suo ipsius exemplo docuit nos sic orare. Nam cum in horto deprecaretur mortẽ crucis, Pater inquit, si uis, transfer poculum hoc à me. Verumtamen non mea uoluntas fiat, sed tua. Quare petamus & nos, ut non fiat Nostra uoluntas. Hæc enim non nisi peccare nouit. Et non sumus, in quit Paulus, idonei ex nobis ipsis, cogitare quicquam (uidelicet salutare) tanquam ex nobis ipsis, Sed petamus, ut Fiat uoluntas Domini Dei nostri, quæ nos uocando uel ad fidem in Christum, uel ad obedientiam ex fide, uel ad patientiam in aduersis, uocat nos ad ueram iusticiam, & perpetuam salutem. 2. Cor. 3.

Quod autem additur, Quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra, admonet nos qualem obedientiam præstare debeamus uoluntati Dei. Etsi autem duplex est cœlum, quorum alterum est corporale, alterum spirituale. Et in corporali, Sol, Luna, et stellæ agnoscunt imperium Domini obedientissime: Qui præcipit Soli, inquit Iob, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Et iterum: In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, ut rursus adueniat, tamen hic præcipue fit sermo de cœlo spirituali, & de his, qui sunt huius cœli incolæ, uicelicet, de Angelis, ac maxime omnium de Filio ipso Dei. Hic enim tanta obedientia

Qualis obedientia præstanda sit Deo.

Iob. 9.

Iob. 16.

Obedientia filij Dei.

gratificatus est uoluntati Dei patris sui, ut assumpta forma hominis, adeoq; serui, tradiderit seſe in mortem crucis: Qua obedientia non potest nec maior nec perfectior dici. Similiter & Angeli, qui sunt administratorij spiritus, è solo Deo ita pendent, ut omnia mandata eius diligentißime exequantur. Benedicite, inquit Psalmus, Domino uos Angeli eius, potentes uirtute, facientes uerbum illius, ad audiendam uocem sermonum eius. In 2. libro Reg. cap. 24. iubet Dominus Angelum percutere Israelitas pestilentia, & mortui sunt tribus diebus 70. milia uirorum. Et postea iubet Angelum abstinere manum suam à cæde, & statim abstinet.

Angelorũ obedientia.

Psal. 102.

Precamur ergo in hac petitione, ut quemadmodum filius Dei & Angeli in cœlo exhibent uoluntati Dei summam obedientiam, ita & nos in his terris excitemur Spiritu sancto ad gratificandum uoluntati Dei tam in faciendis bonis operibus, quàm in sufferendis aduersis, obedientißime. Nihil enim turpius, nihil fœdius est, quàm quòd filius Dei, & cœlestes Angeli nullum imperium Dei detrectent, sed per omnia obediant uoluntati eius, nos autem alioqui perditi, à filio tamen Dei redempti, & in fratres ipsius cooptati, non solum non obsequamur uoluntati Dei, sed etiam obsistamus ei. Ac uerum quidem est, quòd non queamus perfectam obedientiam uoluntati Dei, in hoc seculo præ-

præstare, nihilominus autem exigitur à nobis, ut obedientiam, quam Deo debemus, faciendam suscipiamus, & Dominum Deum nostrum in nomine Iesu Christi inuocemus, ut misso Spiritu sancto inflectat animos nostros ad gratificandum, quoquo modo possumus, diuinæ uoluntati, & quod reliquum est imbecillitatis, clementer condonet.

QVARTA PETITIO.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

IN hac quarta Dominicæ precationis particula petimus omnia ea, quæ nobis ad conseruationem huius corporalis uitæ necessaria sunt. Sed priusquam hæc explicemus, admonendi sumus de ordine Petitionum. Nam hæc petitio, qua petimus corporalia bona, non ponitur nec primo nec postremo loco, sed in medio aliarum petitionum, et recitantur ex utraq; parte petitiones spiritualium bonorum. In tribus enim prioribus petimus, ut gloria Dei in nobis illustretur, ut Deus in nobis Spiritu sancto suo regnet, & ut uoluntati ac uocationi Dei obediamus. In tribus posterioribus petimus remissionem peccatorum, conseruationem in tentationibus, et liberationem à malo. Hæc sunt spiritualia bona. In harum autem petitionum medio, petimus panem quotidianum, hoc est, necessaria ad sustentationem huius corporalis uitæ. Hic

Petitionum ordo. I

Homo quare creatus.

ordo admonet nos, quòd non simus creati & ordinati in hac terra, propter terrenam uitam, et corporalia bona, sed maxime omnium propter bona spiritualia et æterna. Hæc enim debent esse Alpha & ω, Principium & finis. Vnde & una tantum Petitio corporalium bonorum præscripta est, cum sint sex petitiones bonorum spiritualium. Itaq; petimus corporalia bona, non tanquam principalia, sed tanquam accessoria, ut in hac terra aliquandiu sustentemur, donec Spiritualia assequamur, donec uidelicet agnoscamus Iesum Christum filium Dei per fidem, qui Christus est Thesaurus omnium spiritualium & cœlestium bonorum. Qui enim Christum didicit & cognouit, ac possidet in ipso cœlestia bona, is satis superq; in hac terra uixit, et suo officio defunctus est, etiãsi nihil prorsus terrenarum opum congregauit. Sed cum ad consequendam cognitionem Christi, opus sit prædicatione Euangelij, & ad prædicationem Euangelij opus sit spacio temporis & corporalis uitæ, iubet nos Christus etiam ea petere, quæ ad sustentandam uitam corporalem necessaria sunt. Hæc enim omnia nomine PANIS in hac quarta petitione continentur.

Corporalia bona quomodo petãtur.

Panis qd.

Multa autem necessaria sunt, ad huius uitæ sustentationem, uidelicet,

1. Magistratus ciuilis, & pax externa, ut tranquillam uitam ducamus, & liceat uictum laboribus parare.

Corpo-

2. Corporalis ſanitas, ut rebus agendis ſufficiamus. Sanitas

3. Salubritas aeris, ſerenitas, pluuia, ut terra det fructum ſuum in tempore ſuo.

4. Parentes & tutores, quorum ſtudio pueri educentur.

5. Maritus & uxor, ut res domeſtica conſeruetur.

6. Serui, ancillæ, & mercenarij, quorum opera in conficiendis operibus adiuuamur.

7. Iumenta, quæ inde nomen habent, & ſuo labore homines iuuent.

Quare cum petimus, Panem noſtrum quotidianum, petimus, ut Deus tueatur magiſtratum noſtrum, & det nobis publicam pacem. Petimus, ut Deus det tempora frugifera, ut det nobis fideles ſeruos et mercenarios, ut tueatur iumenta noſtra. Petunt pueri, ut Deus conſeruet parentes & tutores ſuos incolumes. Petit maritus, ut Deus cuſtodiat uxorem, & uiciſſim uxor, ut Deus cuſtodiat maritum. Tam latè enim patet uocabulum PANIS, & hæc Dominicæ precationis petitio

Sed quid eſt, inquies, quòd Chriſtus iubet nos petere panem ſeu uictum corporalem, cum tamen alias prohibeat ſollicitudinem uictus. Ne ſitis, inquiens, ſolliciti, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Quis enim ſine cura & ſollicitudine diligenter orare poteſt? Sollicitudo uictus quomodo ſit prohibita. 3

potest? Nisi enim quis excitetur sollicitudine, uidetur frigide admodum orare, qualis solet esse puerorum oratio, qui cum sint securi, & sine sollicitudine, recitant Orationis Dominicæ uerba sine ullo serio affectu. Hic ergo obserua mihi, quòd duplex sit sollicitudo. Alia est impia, alia pia. Impia sollicitudo est, quæ in parando uictui sic intenta est, ut abijciat uocationem Dei, & quærat victum, quoquo iure, quaqua iniuria. Quod exemplis ostendendum est. Deus mandauit Israelitis, ut egrederentur ex Ægypto, per desertum, in quo nullus erat panis. Si ergo Israelitæ sic solliciti pro pane fuissent, ut neglexissent mandatum Dei, & mansissent in Ægypto, impia fuisset sollicitudo, uidelicet eiusmodi, quæ ad peccandum aduersus uerbum Dei uocasset. Sic Christus mandauit Apostolis, ut relictis retibus suis, prædicarent Euangelium in uniuerso mundo. Si ergo quispiam Apostolorum deseruisset ministerium Euangelij, et secutus esset, sollicitudine uictus, retia sua, is fuisset impiè sollicitus. Sic opifici mandatur, ut cum operis artis suæ iuste negocietur. Quòd si opifex excitatus sollicitudine uictus parandi exercet impostura, impie sollicitus est, quia deserit uocationem Dei. Et talis sollicitudo, uidelicet, quæ ad peccandum aduersus mandatum & uocationem ducit, prohibita est. Alia est sollicitudo pia, cum quis summo studio curat, ut recte diligenter & pie suo fungatur officio

puerorum oratio

Sollicitudo duplex.

Impia

Israelita

Apostoli

Opifex

sollicitudo regnat oro mundo

Sollicitudo impia.

Sollicitudo pia.

officio, & paret alimenta iuxta uocationem Dei his, quibus debet, Pater uidelicet liberis & familiæ, dominus ſeruo & ſibi ipſe quiſq;. Hæc ſollicitudo proprie uocatur ſtudium, ſeu diligentia, quã officium exigit, & quæ excitat pios, ut quo plures uel liberi, uel alij familiares, curæ ipſorum commendati ſunt, eò ardentius Deum Patrem, ad accipiendum ab ipſo panem quotidianum, inuocent. Diligentia

Sed de ſollicitudine hactenus. Nos reuertemur ad inſtitutum. Oſtendimus enim quid nomine PANIS petamus, uidelicet omnia ea, quæ nobis ad ſuſtentationem corporalis uitæ utilia & neceſſaria ſunt. Perſtringamus igitur & reliqua huius petitionis uocabula. Nihil enim in ea ocioſè recitatur. Corporalis uita

Sequitur ergo, DA, uidelicet, Tu Pater noſter cœleſtis. Hoc DANDI uerbo quo petimus nobis panem quotidianum à cœleſti Patre dari, manifeſte admonemur, ut non ſentiamus uictum, & alia corporalis uitæ neceſſaria contingere nobis uel caſu, uel labore, aut induſtria noſtra, ſed quod dentur nobis ſemper à Deo patre ex mera clementia & gratuita miſericordia, ſiue ea contingant nobis hæreditate, ſiue donatione, ſiue labore, ſiue induſtria negotiationis. Vitæ neceſſaria dari à Deo. 4 hereditas Donatio Labor Induſtria negotiatio

Pſalmus 144. Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. pſ. 144

Oſeæ

Ose: 2

Oseæ 2. Erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum & uinum & oleum &c.

Act. 14

Act. 14. Deus non sinebat seipsum expertem testimonij, dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias, ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra &c. Vnde & in Politia Mosi instituta fuit cærimonia offerendarum primiciarum. Nam Deut. cap. 26. præcipitur Israelitis, ut primicias frugum offerant in cartallo, & profiteantur se accepisse eas beneficio & clementia Domini. Quare, cum in hac petitione dicimus, DA, attollamus oculos & mentem nostram in cœlum, & cogitemus, quod ea quæ accipimus ad sustendandam corporalem uitam nostram necessaria, non sint accepta ferenda uel fortunæ, uel industriæ nostræ, sed tantum clementiæ & liberalitati diuinæ. Et quia iubemur ea à Deo petere, manifestum est, quod omnes, siue Reges, siue Principes, siue opulentissimi quique ciues sint coram Deo mendici, quòd omnes siquidem filium Dei precatione sua præeuntem, sequi uoluerint, necesse habeant à Deo panem quotidianum emendicare.

Primiciarũ oblatio qd significaue rit.

Dom: 26

Mens & oculi attollendi

Omnes coram Deo mendici.

De hoc idcirco admonendi sumus, ut cum scimus alimenta dari nobis diuinitus, excitemur ad sobrietatem, ne ijs abutamur ad luxum, ad helluationem, ad impietatem, sed utamur ipsis iuxta uolun-

Sobrietas commenda.

uoluntatem Dei, qui ea dedit, ad gloriam nominis Dei, & non ſolum ad noſtram, ſed etiam ad proximi neceſsitatem. Alimenta enim ſunt eleemoſyna Dei. Obſecro autem te, quantum tu indignareris, ſi defraudato genio tuo dares panem mendico, quem is ſtatim obijceret porcis, aut conijceret in lutum, & conculcaret pedibus? Multo certe iniquius & abominabilius faciunt hi, qui cum acceperunt à Deo honeſtas facultates, turpiter eas profundunt helluatione, ſcortatione & alijs ſceleribus. Talibus enim moribus prouocatur Deus, ut mittat aut famen, aut bellum, aut morbum, aut alia maledictionis genera. Deinde admoneamur hoc DANDI uerbo, ne contendamus ad paranda alimenta impoſturis, fraudibus, periurijs, & alijs ſceleribus, ſed ut ſectemur in omnibus negocijs iuſticiam, & uocationem Dei, & ſciamus melius eſſe modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Pſal. 36.

Alimenta ſunt eleemoſyna Dei, quare non eis abutamur.

Z Frande enim poſturis bona nõ paranda.

Tertio, obſeruanda ſunt et hæc uocabula, NOSTRVM, & NOBIS. Oſtendimus enim ſupra, quòd hæc Dominica precatio ſit uniuerſæ Eccleſiæ communis, & ſi unus quiſpiam pius recitat hanc precationem, non petat beneficia Dei ſibi tantum, ſed etiam uniuerſæ Eccleſiæ præſtari. Sic enim iuſſit nos Filius Dei Orationem inchoare, Pater NOSTER. Sic & hoc loco iubet nos dicere, Panem NOSTRVM, & DA NO-

S Noſtrum, et nobis, admonent pro tota Eccleſia orandum.

NOBIS. *Sic & in reliquis, quæ ſequuntur, petitionibus dicitur,* Debita NOSTRA. Et, NE *inducas* NOS. Et, *Libera* Nos. *Etſi enim licet cuiuis pio, in ſingularibus ſuis tentationibus & afflictionibus, ſingulariter ſibi hanc Dominicam precationem uſurpare & appropriare, ac dicere,* Panem MEVM, *da* MIHI. Et, *Remitte* MIHI *debita.* Et *Libera* ME *à malo. Sicut & Iacob abiens in exilium precabatur Gen. 28. Si fuerit Dominus* MECVM, *& cuſtodierit* ME, *& dederit panem* MIHI, *&c. tamen Filius Dei uoluit nos in precatione ſua in unum corpus coniungere, ut ex eo admoneremur, quod ſicut Deus complectitur uniuerſam Eccleſiam caritate ſua, æqualiter, & offert ei beneficia ſua accipienda indiſcriminatim, ita debeamus etiam nos ipſos, tanquam fratres, mutuo complecti, & beneficia, quæ poſſumus, in nos inuicem ſummo ſtudio conferre. Quare cũ hæc Dominica precatio ſit communis & generalis, ſciamus, quòd cum dicitur,* Panem *noſtrum quotidianum da nobis hodie, unuſquiſq; in Eccleſia petat proximo ſuo à Deo alimenta, diues uidelicet, pauperi, pauper diuiti, dominus ſeruo, ſeruus domino, Princeps ſubdito, ſubditus principi, ac breuiter, alter alteri, cuiuſcunq; fuerit ſtatus aut conditionis. Quæ res diligenter cogitari debet, ut excitemur aá timorem Dei, & ut diuites ac pauperes ducant inter ſe inuicem piam ac modeſtam*

ſtam uitam. Diues cum audit pauperem imploran tem opem ſuam, aut cum habet ſeruos ac mercena rios, cogitet ſecum, Habes quidem nonnullas opes, ſed poſſides eas diuina clementia, non tuo merito. Et poſſides eas, non tam ex tuis, quàm ex iſtorum pauperum & mercenariorum precibus. Precan tur enim & ipſi orationem Dominicam. Quare debes eos liberaliter iuuare, & mercedem copio ſe numerare. Pauper uero & mercenarius cogi tent, Quas tu reculas poſſides, aut quas uires ad la borandum habes, eas non habes tuo merito, ſed gratuita Dei miſericordia, & habes eas non tam ex tuis, quàm ex diuitis precibus. Orat enim et ip ſe Dominicam precationem. Quare tuum erit, ut officia tua diuiti fideliter præſtes. Ex his manife ſtum eſt, quòd oratio Dominica nõ tantum ſit pre catio, ſed etiam noſtra quotidiana Concio, ex qua ad mutua officia præſtanda erudiamur.

Diues q̃ cogit audes implore te pauper.

pau q̃ cogit

Quarto dicitur, QVOTIDIANVM, quod rectius diceretur Nutritiuum, ſeu uitæ conſeruati uum, Notturfftige Narung. Docet enim filius Dei nos petere non immodicas diuicias, ſed panem ſeu uictum ad ſuſtentationem et conſeruationem cor poralis uitæ neceſſarium. Nam qui magnas opes poſſident, etſi uidentur uitam alijs lautiorem du cere, tamen curarum & negociorum mole ita pre muntur, ut nec opibus ſuis fruantur, nec amplius ex ipſis, præterquam uitæ neceſſaria reportent.

Quotidia nus panis.

poſſidẽtes opes magnas mõdo lautiorẽ uitam mudæ

Exod. 16. Filij Israel, inquit Moses, collegerunt alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram Gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Hæc est descriptio, non tantum, quid Israelitis in colligendo Manna acciderit, uerumetiam quid in uniuerso mũdo inter homines accidere soleat. Alius enim congregat multas diuicias, alius tanta paupertate premitur, ut cum mane è somno surgit, nesciat, unde uel furfuraceum panem, quo uescatur, accipiat, & tamen diuina administratione fit, ut pauper non minori uoluptate fruatur suo pane, quem uel emendicauerit, uel labore parauerit, quàm dines conuiuio suo lautißimo. Non addam hic, quantis periculis sese obijciant hi, qui uolunt diuites fieri, Quæ pericula recenset Paulus in priori Epistola ad Timotheum cap. 6. Quare Filius Dei non docet nos petere multas diuicias, sed tantum uictum ad conseruationem huius uitæ necessarium. Magnus est quæstus, inquit Paulus, pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, uidelicet nec efferre quicquam possumus, sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Et Prouerb. cap. 30. Mendicitatem & diuicias ne dederis mihi, tribue tantum uictui meo necessaria, ne forte saciatus illicear ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate com-

compulsus, furer, & peiurem nomen Dei mei. Vnde cum Elias fugeret Isabellam, & esuriret in deserto, misit ei Deus per Angelum, panem subcinericium, & uasculum aquæ. Potuisset ei eadem opera mittere cibum & potum selectissimum, sed uoluit ei uulgarem panem & aquam mittere, ut assuefaceret suos, ne in rebus corporalibus peterent superflua & immodica, sed tantum uitæ suæ necessaria.

Elias.

Quinto dicitur, HODIE. Hoc uocabulo suscipit Filius Dei eximendam è cordibus nostris impiam sollicitudinem pro uictu temporis longe post futuri. Sunt enim homines, præsertim senes, de uictu tam solliciti, ut non sint contenti cibo præsentis temporis, sed diu noctuq; laborant, ut diuicias tam sibi quàm posteris in multos annos reponant. Ac tanto studio incumbunt huic rei, ut uideantur existimare, sibi necessarium esse, ut habeant etiam eorum alimentorum curam, quorum post nouissimum huius seculi diem posteri ipsorum frui queant. Nec hoc agunt, ut parant sibi opes iusticia, & pietate, sed iniusticia, impostu ris, malis artibus, & quoquo modo, seu iure seu iniuria possunt.

Hodie.

Curva mortalis damnat.

Senes solliciti

Mercatores parant opes iustitia

Sed Filius Dei, cum iubet nos petere ut cœlestis Pater det nobis Panem uitæ conseruatiuum, HODIE, damnat aperte hanc impiam sollicitudinem, et monet, ut contenti simus alimento hodi-

erno. Ac profecto diligenter hic in admirandam Dei creationem & rerum administrationē intuendum est. Potuisset enim Deus creare, & nobis dare talem cibum, qui semel sumptus, semper, aut saltem multis diebus uitam corporis nostri sustentaret. Sicut & hanc potentiam suam declarauit aliquo modo in Elia, qui cum edisset panem, & bibisset aquam ab Angelo allata, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Posset etiam sine ullo cibo & potu uitam nostram in hoc mundo conseruare, Sed qua est summa prudentia, uisum est ei talem nobis cibum porrigere, qui sumptus, statim digereretur, et dimitteret nos famelicos, ut cū singulis diebus esuriremus, singulis etiā diebus inuocaremus Deum, Patrem cœlestem, & expectaremus ab ipso escam in tempore oportuno. Ne uero de liberalitate eius dubitaremus, Filius eius præscripsit nobis hāc formulam precandi: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, qua formula haud obscure significauit, adeoq; promisit, Patrem cœlestem tanta esse erga nos liberalitate, ut offerat nobis non uno tantum die, sed singulis diebus alimenta ab ipso accipienda. Etsi ager negauerit nobis frumenta, & arbores poma, possit tamen de cœlo Manna dare, ac uelit etiam dare, si modo nos uocationem ipsius diligenter sectemur, quemadmodum testificatus est in Israelitis, et multis alijs exemplis. Quare etsi

non

non habemus multa frumenta in multos annos repoſita, habemus tamen orationem Dominicam, in qua non cœleſtes tantum theſauri, ſed etiam omnia nobis ad ſuſtentationem huius corporalis uitæ neceſſaria, incluſa ſunt. Vnde & Chriſtus aliàs dicit, Ne ſitis ſolliciti dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Nam omnia iſta gentes exquirunt. Nouit enim Pater ueſter cœleſtis, quòd opus habeatis his omnibus. Et mox: Ne ſitis ſolliciti in craſtinum. Nam craſtinus dies curam habebit ſui ipſius. Sufficit ſua diei affli ctio.

Quid igitur dicemus? Nihil ne reponendum Alimento- cerit in futurum diem aut annum? Abſit. Cum enim rum repoſi prohibetur ſollicitudo in craſtinum, non eſt intel- tio an ſit il ligendum de pia ſollicitudine & de iuſta ac ne- licita. ceſſaria alimentorum repoſitione, Sed de impia ſollicitudine, qua parando & reponendo alimento ita inhiatur, ut uocatio Dei deſeratur. Magnum eſt diſcrimen uocationum Dei. Alius uocatur ad Apoſtolatum, ut adnunciet Euangelium Chriſti in orbe terrarum. Hic ſi abiecto Apoſtolatu, ſtuduiſſet parando alimento, fuiſſet impie ſollicitus, & peccaſſet aduerſus Deum. Alius uocatur ad Diaconatum, qualis extat uocatio Acto. 6. Huius uocationis officium erat miniſtrare menſis, hoc eſt, curare alimenta his, qui opes ſuas in commune contulerant. Quare ſi quis horum Diaconorum non

Apoſtolatu

Diaconatu

fuisset sollicitus de cibo suis curando & præstando, ac maluisset securus ad multum usq; diem sterrere, quàm suis alimenta parare, hic certe fuisset cessator, & officij neglector, ac peccasset non aduersus homines tantum, sed etiam aduersus Deum. Paulus ad Corinthios scribens, Non debent, inquit, filij parentibus recondere, sed filijs parentes. Quibus uerbis aperte significat, parentum uocationem et officium esse, ut liberis suis de alimentis, quantum per Dominum licet, prouideant, & reponant. In Gene. ca. 41, commendatur Ioseph, quod in rerum abundantia, cum reliqui Ægyptij aut helluarentur, aut sterterent, reposuerit frumenta, et ad uenturam annonæ caritatem reseruarit. Hæc enim erat uocatio Iosephi, & quæ reponebat, nullius aut iniuria aut rapina, sed ex rerum copia atq; abundantia, reponebat. In Exod. cap. 16. & si ea, quæ alijs, præter sextam, diebus colligebantur, & reponebantur, computrucrunt, tamen, quæ sexta die in sabbatum reponebantur, non computruerunt. Illa enim repositio prohibita, hæc autem mandata erat, ut manifestum sit, non quamuis frumentorum aut aliarum rerum repositionem esse impiam. In Prouerb. cap. 6. dicitur: Vade ad formicam, ò piger, & considera uias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.

2. Cor. 12.

Et

Et cap. 10. Qui congregat in messe filius sapiens est. Qui autem stertit æstate, filius confusionis. Quare sentiamus sollicitudinem victus, & repositionem alimentorum tum demũ impiam & Deo exosam esse cum homines, deserta uocatione Dei, diuicijs tantum cùmulandis, & alimentis parandis studeant. Nam hoc unum agendum, huc solum tendendum est, ut uocationi Dei seruiamus. Quod si fecerimus, non committet Deus, ut ambulantem in uocatione sua, esurire & fame perire sinat. Nõ in solo pane, inquit, uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit ex ore Dei, hoc est, Verbo & uocationi Dei semper est obediendum. Etsi enim Deus aliquoties eo uocat, ubi panis non posse parari uideatur, tamen tantum abest, ut sinat uocatos uerbo suo, & uocationi seruientes esurire & algere, ut potius rerum natura inuerti, & cœlum Manna pluere, & petra aquam effundere, & uestimenta non uetera scere, necesse habeant. Et apud Matthæum cap. 6. Primum, inquit, quærite regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Idem cap. 10

Wir sindt nicht gesatten darumb dass wir essen sollen dass essen ist vnser will gesatten / aber wir sindt vmb gottes willen gesatten.

Matthæus

QVINTA PETITIO.

Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris,

IN quarta petitione precati ſumus ea, quæ nobis ad ſuſtentationem corporalis uitæ neceſſaria ſunt. Ne quis igitur exiſtimet, nos tantum ad corporalia bona paranda, & ijs fruenda natos eſſe, ſtatim ſubijcitur petitio de ſpirituali & cœleſti bono, uidelicet de remiſſione peccatorum.

Ac profecto animus ad hanc quintam petitionem magna cura aduertendus eſt, quia continetur in ea ſummum beneficium, quod ſi aſſequimur, nihil nobis amplius, ad conſequendam ueram ſalutem deeſſe poterit, quemadmodum alias expoſuimus.

Debita ciuilia ſunt ſoluenda.

Primum igitur conſideremus, quòd in hac petitione, non petamus remiſſionem corporalium aut ciuilium debitorum, qualia ſunt debita pecuniæ, frumenti, uini, & aliarum id genus rerum, quas alter alteri iuxta ciuiles contractus debet. Neceſſe enim eſt, ut ſuo quiſq; proximo, quantum fieri poteſt, ſoluat quod ex ciuilibus contractibus legitime debet. Sicut Paulus docet Rom. 13. Reddite, inquiens, omnibus, quod debetur, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal. Et additur: Nemini quicquam debeatis, niſi hoc, ut inuicem diligatis, hoc eſt, omnia ciuilia debita ita ſoluenda ſunt, ut nihil cuiquam amplius ciuiliter debeatis. Reliquũ autem eſt aliud debitum, quod et ſemper debemus, & nunquam in hoc ſeculo exoluere poſſumus, uidelicet

Debitum ſpirituale

delicet, Diligere proximum, & benefacere ei. Hoc debito ſemper conſtricti tenemur, cum ex omnibus alijs exoluere nos debeamus. Huc etiã facit, quod Chriſtus apud Matthæum cap. 5. dicit. Habeto beneuolentiam cum aduerſario tuo cito, dum es in uia cum illo. Et mox: Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem. hoc eſt, Nemo prætextu Chriſtianiſmi neget, aut non reddat alteri, quod ei iuxta ciuiles leges debet. Niſi enim reddiderit, magiſtratus ciuilis ius habet cogendi eum reddere, quod debet. Hæc autem ciuilium debitorum ſolutio, pertinet ad panẽ quotidianum. Quare de his debitis precamur in petitione de Pane quotidiano, ut Deus labores & negociationes noſtras clementer fortunet, quo creditoribus noſtris ſatisfaciamus, & ciuilia debita exoluamus. In hac autem quinta Petitione, in qua dicimus, Remitte nobis debita noſtra, nomine debitorum intelligimus debita ſpiritualia, quæ ſunt peccata, & ſupplicia, quæ Deo propter peccata debemus. Nam in Gene. cap. 2. dicit Dominus ad Adamum: De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. Quocunq; die comederis ex eo, morte morieris. Adam autem uiolauit hoc præceptum Dei, & comedit. Quare continuo debuit Deo mortem. Et Paulus, Per peccatum, inquit, mors intrauit in mundum. Et iterum: Stipendium peccati mors eſt. Porro, mortis nomine comprehenduntur omnes

Debita ſpiritualia.

Rom. 5.

Rom. 6.

corporales & ſpirituales afflictiones in hac uita et æterna ſupplicia poſt hanc uitam. Quare quiſquis hominum eſt peccator (Sunt autem omnes homines, non adulti tantum, ſed & infantes, peccatores) is debet Domino Deo noſtro omnia ſupplicia, tam corporalia & temporalia, quàm ſpiritualia & æterna. Quid his debitis grauius aut horribilius? Docet igitur nos Filius Dei petere debitorum remiſsionem, ut condonatis peccatis, à ſupplicijs eorum exoluamur.

{Eccleſia habet peccata in terris}

Deinde, cum Chriſtus docet non Apoſtolos tantum, ſed etiam uniuerſam Eccleſiam petere debitorum ſeu peccatorum remiſsionem, eo ipſo docet Eccleſiam ſuam confiteri ſe eſſe peccatricem. Etſi enim Eccleſia dicitur ſancta, propter Chriſtū, per fidem, tamen habet adhuc in ſe, quamdiu eſt in his terris, peccata. Non omnes quidē pij qui ſunt membra Eccleſiæ, peccant externis operibus, omnes tamen habent carnem, in qua habitat adhuc peccatum, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum. Vnde Pſalmus dicit: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et iterum: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Ac rurſus. Dixi confitebor aduerſum me iniuſticiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit te omnis ſanctus in tempore opportuno. Et Ro. 7. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ (hoc eſt, Spiritui

ritui ſancto) & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Et 1. Iohan. 1. Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt &c. Quare cum recitamus hanc petitionem, recitamus publicam & priuatam confeßionẽ totius Eccleſiæ de peccatis ſuis, quæ etiam poſt renaſcentiam remanent in carne, & quorum reliquiæ ſemper debent expurgari.

Remißio peccatorũ gratis contingit.

Poſtremo, cũ filius Dei iubet nos petere remiſſionem peccatorum, eo ipſo admonet nos, ut agnoſcamus, quòd non poßimus debita noſtra ſoluere, & pro peccatis ſatisfacere, merito noſtræ ipſorũ iuſticiæ, ſed neceſſe habeamus eam remißionem precario accipere ex mera Dei clementia, tantum propter Ieſum Chriſtum per fidem. Nam ſi poſſemus peccata noſtris meritis expiare, coram Deo, certe filius Dei tã fidelis fuit doctor Eccleſiæ ſuæ, ut oſtendiſſet ei opera illa, quæ ad expiationem peccatorum facienda eſſent. Nunc autem non præſcribit nobis triduana aut quatriduana ieiunia, aut chameunias, aut Agrypnias, aut alia opera, quæ ad expiãda peccata faciamus. Præſcribit quidem nobis omnes honeſtas uirtutes, quas diuina lex exigit, non autem præſcribit eas, ut expiationis peccatorum merita, ſed ut ueræ fidei, & gratitudinis erga Deum teſtificationes. In conſequenda autem peccatorum remißione præſcribit nobis precationem illam: Remitte nobis debita noſtra.

Qua-

Quare perſpicue ſignificat, quòd remiſſionem peccatorum accipiamus precario, hoc eſt, non humano merito, ſed gratuita Dei miſericordia, idq; per fidem in Ieſum Chriſtum, qui ſolus eſt expiatio peccatorum noſtrorum. Huic, inquit Petrus, omnes Prophetæ teſtimonium dant, quòd peccatorum remiſſionem accipiat, quiſquis crediderit in eum. Et Paulus, Per hunc, inquit, annunciatur uobis remiſſio peccatorum, et ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari. Per hunc omnis, qui credit, iuſtificatur, hoc eſt, abſoluitur à peccatis.

Act. 10.

Act. 13.

Meritorum humanorũ abrogatio.

Ex his manifeſtum eſt, quòd Filius Dei abrogauerit & refutauerit doctrina precationis Dominicæ, ac præſertim huius petitionis de remiſſione debitorum, primum omnia ſacrificia Iudæorum, quæ ad expianda peccata fiebant: deinde omnes Miſſas ſacrificulorum, quæ habentur ad ſatisfaciendum pro peccatis uiuorum & mortuorum. Poſtremo omnes ordines monaſticos, & omnia ſacra hypocritarum, quorum meritis pollicentur ſibi homines remiſſionem peccatorum. Rem mirandam. Sacrificuli, Monachi, & alij hypocritæ ſolent precationem Dominicam in omnibus fere ſacris ſuis recitare, & ſæpe ac multum iterare, eo tamen ipſo damnant ſuam ipſi religionem & ſacra. Nam ſi peccatorum remiſſio contingit nobis precario, hoc eſt, gratuito, ſola Dei miſericordia, per fidem,

ex

ex qua precamur in nomine Christi, certe non potest nobis contingere, meritis humanæ iusticiæ. Ei qui operatur, inquit Paulus, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Qui autem non operatur, (hoc est, non habet opera, quæ sufficiant ad impletionem legis) sed credit in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam. Et iterum: Si per gratiam, non iam ex operibus, Quandoquidem gratia, iam non est gratia, uidelicet si consequeremur remissionem peccatorum, & salutem ex meritis operum. Quare, cum hanc particulam Dominicæ precationis recitamus, meminerimus nos confiteri coram Deo peccata, et damnationem nostram, confidere autē peccata nobis clementer propter Christum condonari, & æterna damnatione, cui propter peccata obnoxij eramus, gratuita Dei misericordia exolui. Rom. 4. Rom. 11.

Sed quid sibi uult appendix illa: Sicut & nos remittimus debitoribus nostris? Hæc enim ita sonare uidetur, perinde, ac si cœlestis Pater deberet nobis peccata tunc demum remittere, cum nos nostra remissione mereremur. De nostra remissione.

Sed nequaquam sentiendum est, q̃ Deus collocauerit suam remissionem, in merito aut compensatione nostræ remissionis, Sic enim nunquam consequeremur à Deo ueram peccatorum nostrorum remissionem, propterea q̃ nunquam remittimus

per

perfecte proximo noſtro iniuriam nobis illatam. Quare neceſsitas ſalutis noſtræ exigit, ut remiſsio peccatorum collocata ſit in ſola Dei miſericordia propter Ieſum Chriſtum, per fidem.

Remiſſio peccatorum non eſt collocata in noſtra remiſſione.

Quia natura humana peccato originali ſic uiciata eſt, ut etiamſi homo donetur Spiritu ſancto, tamen caro & ſanguis nunquam remittit & condonat ex animo iniuriam, à proximo ſibi illatam. Habet enim naturalem à peccato excitatam concupiſcentiam ſeſe ulciſcendi. Rom. 7. Noui, q̃ non habitet in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam uelle adeſt mihi, at ut faciam bonum, non reperio, hoc eſt, cupio non ſolum abſtinere, ab externis peccatis, ſed etiam concupiſcentia peccatorum carere, at re ipſa comperio, quòd etſi poſſum Spiritu ſancto concupiſcentiæ reſiſtere, non tamen poſsum eam penitus extirpare, donec moriar. Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autẽ aduerſus carnẽ. Hæc autem mutuo inter ſe aduerſantur, ut non quæcunq; uolueris, eadem faciatis, &c. Videamus aliquot huius rei exempla.

Dauid læſus fuit à Saule grauiſsimis iniurijs, cui etiam debitum ita remiſit, ut etiamſi tenuerit eum manu, & potuerit eum trucidare, pepercerit tamen ei. Propicius, inquiens, ſit mihi Dominus, ne faciam

faciam hanc rem in Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum. Et tamen Dauid, cum capitalem suum hostem tam beneuolenter dimiserit incolumem, non audet fiduciam suam in hoc remissionis suæ opere collocare. Sed quia sentit secum adhuc rebellionem carnis, & cupiditatem uindictæ, exclamat in Psalmo 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in cõspectu tuo omnis uiuens. Et in alio Psalmo: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Paulus affectus est maximis iniurijs à Iudæis suis, qui & uitæ ipsius insidiabantur, Sed has iniurias & immanitates sic eis condonauit, ut optauerit pro ipsis anathema esse. Et tamen non audet hac sua condonatione coram Deo confidere. Delectat inquit, me lex Dei secundum internum hominem, sed uideo aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Et alias, Non habens meam iusticiam ex lege, sed eam quæ per fidem est Christi. Nec dubium est, quin quod Iohannes dicit, Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est, hoc idem & Paulus senserit, & de se ipso confessus sit. Etsi enim sancti faciunt bonum opus, tamen quia reliquum adhuc est in carnẽ peccatum Originale, fieri non potest, quin bonum opus sordidetur hoc peccato,

& red

& reddatur tam imperfectum & impurum, ut eo coram tribunali Dei considere non queant. Quare hæc appendix (Sicut & nos remittimus debitoribus nostris) non est sic intelligenda, quòd Deus collocarit suam peccatorum nostrorum remissionem in opere aut merito nostræ remissionis.

Remissio debitorum collocata est tantum in Filio Dei Iesu Christo, per fidem accipienda.

ACT. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd remissionem peccatorum accipiat, quisquis in eum credit.

Ephe. 2. Gratia, hoc est, gratuita clementia, seruati estis per fidem, idq; non ex uobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Possemus autẽ de nostra iusticia gloriari, si nos remissionem peccatorum propter hanc causam impetraremus, quòd nos remisissemus proximo suo in nos peccata.

Ad Titum 3. Apparuit benignitas & erga homines amor seruatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt iniusticia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, &c.

Cum igitur remissio peccatorum non contin-

gat

gat nobis merito nostræ remissionis, sed tãtum merito Domini nostri Iesu Christi per fidem, quæ est uera sententia huius appendicis, Sicut & nos remittimus debitoribus nostris? Hæc appendix non est gloriatio de merito nostræ iusticiæ, Sed est promissio gratitudinis, qua recipimus nos pro beneficio remissionis peccatorum gratos fore. Et est sensus: Petimus, cœlestis Pater, ut nobis peccata nostra clementer, propter Christum Filium tuum, condones. Nos uicissim recipimus etiam nos condonaturos proximis nostris, qui in nos fuerunt iniurij, omnia sua peccata. Nam quòd remissio alienæ erga nos iniuriæ, non sit meritum, propter quod consequimur remissionem peccatorum coram Deo, sed sit fructus, qui debeat sequi fidem accipientem gratis à Deo peccatorum remissionem, testatur Christus ipse, apud Matthæum cap. 18. in parabola duorum debitorum. Cum enim rex misericordia motus, remisisset uni debitoni decem milia talentorum, & hic debitor exigeret à conseruo centum denarios seuerissime, audit à Rege, Serue scelestе, totum debitum illud remisi tibi, cum obsecrasses me, Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et additur: Sic & Pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisque fratri de cordibus uestris delicta illorum.

Remissio alienæ iniuriæ non est meritum.

Duo hic docentur. Alterum, quòd etsi sumus

obnoxij ſeruituti & captiuitati mortis ac inferni propter debita peccatorum noſtrorum, tamen ſi imploramus miſericordiam Dei per Chriſtum filium eius, conſequimur peccatorum condonationem, gratis, abſq; ullo operum merito. Miſertus, inquit, Dominus ſerui illius, abſoluit eum, & æs alienum remiſit ei. Alterum, quòd ſi poſt acceptam gratuitam remiſſionem peccatorum non ſequitur caritas erga proximum, ſed pergimus eſſe duriſſimi exactores noſtri iuris, argumentum eſt, nos aut non habere ueram fidem, aut ſi uera eſt, amittere eam. Nam qui in precatione Dominica hanc particulam recenſet, Remitte nobis debita noſtra, Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris, interea autem meditatur in proximum ſuum uindictam, & excratur eum omnibus diris, quid hac oratione aliud petit, quàm ut Deus eiaculetur in ipſum omnia genera fulminum, et conijciat ipſum in extremas maledictiones? Talia enim hic precator optat ſuo proximo euenire. Quare ſaluti noſtræ omnino neceſſarium eſt, ut accepta à Deo gratuita peccatorum noſtrorum condonatione, condonemus & nos proximis noſtris ſua in nos peccata.

Peccatorũ condonatio gratuita eſt.

Non loquimur hic de Ordinaria & legitima iuris ſui petitione, quæ per ſe licita eſt. Nam in hunc uſum ordinatus eſt Magiſtratus ciuilis, ut ſit miniſter Dei, tibi in bonum, et ultor ad iram ei, qui

Defenſio ordinaria licita eſt.

qui quod malum est fecerit. Et Paulus petijt legitimam defensionem à Tribuno, aduersus eos, qui in necem ipsius conspirauerant: Sed loquimur de odio, de inuidia, de carnali cupiditate uindictæ, de crimimationibus, de uirulentia, de maledicentia, ac etiam de summi iuris, quod & Ethnicorum literæ testantur esse summam iniuriam, exactione, deq; alijs sceleribus, quæ in priuata & carnali ultione iniuriæ concurrere solent. Hæc sunt abijcienda, et concipiendus est animus erga proximum candidus & beneuolus, qui & testificandus est humanitate ac omnibus quibus possumus officijs, ut carbones ignis, quemadmodum Paulus ex Salomone docet, in caput inimici congeremus, & malum bono uincamus. Act. 23.

Sed quid, inquies, faciam, ut concipiam animũ erga inimicos beneuolum, & remittentem ipsis iniurias mihi illatas? Primum diligentißime cogites, quod Deus remittat tibi, gratuita clementia, omnes iniurias, quibus tu ipsum affeciſti. Et tamen hæ tantum superant eas iniurias, quibus te proximus affecit, quantum superant decem milia Talentorum, centum denarios, hoc est, quantum sexies millies millia Coronatorum aureorum superant decem Coronatos. Quæso igitur te, quantam uicißim debes DOMINO Deo tuo, tam clementi peccatorum condonatori gratitudinem? Exigit autem à te, non ut suscipias longinquam & pericu-

Talentũ Atticũ ualet 600. Coronatis, hoc est, 900. aureis Rhenanis. Ergo 10000. talentorum faciunt 6000000 Coronat. et 9000000. aureos Rhenanos. Decem denarij ualẽt uno Coronato, Ergo Cẽtum denarij faciunt decem Coronatos.

periculosam peregrinationem trans mare, nec exigit à te triduana aut quatriduana ieiunia, Sed exigit, ut ad declarandam gratitudinem tuam condones proximo sua in te errata, quæ tamen quantilla, obsecro, sunt præ eis, quæ tu aduersus Deum designasti? Deinde cogites, quod si retines cupiditatem uindictæ, nec remittis proximo sua errata, nō habeas ius precandi orationem Dominicam, ideoque non habeas etiam ius intrandi in regnum cœlorum. Nam si tu retines aliorum peccata, Deus retinet tua peccata, & exhæredat te, ne sis filius & hæres bonorum eius. Et quia in regno cœlesti summa est pax & concordia, non permittitur tibi, ut in hoc Regnum intres si nondum didiceris in terra cum proximo tuo pacifice & concorditer uiuere. Quid autem horribilius est, quàm non posse orationem Dominicam uere precari, remissionem peccatorum, antea gratis acceptam, iterum amittere, & iure cœlestis hæreditatis priuari?

Hæc & id genus alia, si serio cogitentur, exhibebimus Spiritui sancto organum suum, quo accendat animum nostrum, ut quemadmodum Christus condonauit nobis, ita & nos condonemus nobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam. Col. 3.

SEXTA PETITIO.

Ne

Ne nos inducas in tentationem.

IN explicatione huius Petitionis primum omnium considerandum est, q, in hac Petitione non arguamus Deum Patrem nostrum cœlestem malicioſi erga nos affectus, qui conijciat nos in tentationes et pericula, quibus pertrahamur ad peccata & impietatem. Deus enim ut non est autor ullius peccati, nec est Deus uolens iniquitatem, ita non obijcit nos tentationibus & periculis, ut pereamus. In quam sententiam recte dicit Iacobus: Ne quis cum tentatur, dicat se à Deo tentari, Nam Deus non est tentator ad mala, & neminẽ tentat. Iacob. 1.

Quid ergo, inquies, est, quod in Gene. cap. 22. scribitur, Tentauit Deus Abraham? Et Deut. 8. Adduxit te Dominus Deus tuus 40. annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo uersabantur. Et Deut. 13. Tentat uos Dominus Deus uester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non? Hæc igitur sic distinguẽda sunt, ut sentiamus Deum neminem quidem tentare, ut pertrahat eum ad peccata, & perdat eum. Hoc enim est consilium Satanæ in tentationibus. Sed tentare homines, ut probet fidem ipsorum, & reddat eos sibi ipsis notiores, & in uirtutibus exercitatiores. Quod cum sit optimum consilium, tentatio Dei non est maliciæ arguenda.

Tentatiões quomodo deprecemur.

Deinde, non precamur hac petitione, ut non accidant nobis tentationes. Non enim docet nos Christus sic orare, Ne immittas nos in tẽtationem. Tentatio enim pijs non est inutilis. Vasa figuli, inquit Ecclesiasticus, probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Et iterum: Qui non est tentatus, quid scit? Et Psalmus orat, Proba me Domine, inquiens, & tenta me, ure renes meos, & cor meum. Non petimus igitur, ut nullam habeamus tentationem, Sed petimus, ut Deus non inducat nos in tentationem, hoc est, ut tueatur nos, & conseruet, ne tentatione ruamus in peccata, in impietatem, & ne finat nos in tentatione perire, sed det una cum tentatione euentum; quo possimus ferre. In priori enim petitione precati sumus, ut remittantur nobis peccata. Non sufficit autem, ut remittantur nobis peccata, quæ actione præterierunt et quæ carni adhuc inhærent, ac præsentia sunt, sed necessarium quoque est, ut peccatum adhuc in carne præsens, non regnet in mortali nostro corpore, & ut a futuris peccatis caucamus.

Ecclc. 27.
Ecclc. 34.
Psal. 25.

Precamur igitur Dominum in hac petitione, ut Deus defendat nos in tentationibus, ne cum acceperimus peccatorum remissionem, iterum in peccata relabamur, & sicut canis ad uomitum, ac sus lota ad uolutabrum cœni reuertamur. Sed ut rectius intelligamus, quid nobis in hac parti-

cula

tula petendum præscribatur, considerandum est, quod homo soleat tentari, non tantum aduersis, uerumetiam prosperis, & ut ab humano captu iudicantur, bene fortunatis. Etsi autem Dominus Deus noster autor est horum utrorumq; (Non enim cadit capillus de capite, sine uoluntate Dei) et siue aduersa siue prospera immittat, optimo & nobis salutari consilio immittit, tamen Satan, qui uictus quidem est, sed nondum mortuus, & qui circuit sicut leo rugiens, quærens quem deuoret, teneri non potest, nisi diuinitus cohibeatur, quin conferat omne studium suum, ut quæcunq; Deus immiserit homini, in exitium ei cedant. Nam si Deus prospera dederit, qualia sunt, Sanitas corporis, diuiciæ, publica pax & tranquillitas, benedictio frugum, uictoria super hostes, & id genus alia, facit id hoc consilio, ut homines excitet ad agnoscendã clementiam suam, & ad agendas ipsi gratias, & ut aut scelerati resipiscant, aut pij in officio pietatis contineantur. Sic etiam, si Dominus immiserit aduersa, qualia sunt, ægritudo corporis, paupertas, infamia, penuria rerum, bellum, pestilẽtia, captiuitas, & id genus alia, facit id hoc consilio, non ut perdat hominem, sed ut uel admoneat eum peccati sui, uel probet fidem ac obedientiam eius, uel efficiat, ne magnitudine donorum Dei extollatur, uel aliis de causis. Sunt enim multæ causæ afflictionum, quibus Deus non exitium hominis,

Prospera quo cõsilio Deus concedat.

Aduersa quo cõsilio Deus immittat.

ſed ſalutem eius meditatur. Quemadmodum autẽ Deus cupit homini, ſiue donandis proſperis, ſiue immittendis aduerſis, optime conſulere, ita Satan cupit iiſdem rebus hominem perdere, & in peccatum ac perpetuum exitium pertrahere. Si Deus dederit diuicias, ut beneuolentiam ipſius agnoſcas, & ope tua proximum egentem adiuues, Satan hortatur, ut uel helluëris, uel diuicias impoſturis augeas, ac te præ alios ita faſtidias, ut ne terunçio quidem inopiæ eorum ſuccurras. Si Deus dederit Magiſtratum, ut bonos tuearis, & malos punias, hortatur Satan, ut abutaris magiſtratu ad opprimendos bonos, & ad explendam tuam libidinem. Si uero Deus immiſerit aduerſa, mox confert ſe eo etiam Satan, & ut maxime Deus cupiat ſaluti hominis per aduerſa conſulere, tamen Satan accipit ex his occaſionem ſuſcitandi in homine omnem impietatem, impacientiã, uirulentiam, contemptum Dei, blaſphemiam, & deſperationem. Quod cum ita ſe habeat, iubet Filius Dei petere, ne Deus inducat nos in tentationem, hoc eſt, ne ſinat nos ſeduci a Satana, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, ſed ut conſeruet ac tueatur nos in omnibus, quæ nobis acciderint, ne pietatis officium deſeramus. In Prouerb. cap. 30. extat talis precatio, Mendicitatem & diuicias ne dederis mihi. Tribue tantum uictui meo neceſſaria, ne forte ſaciatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus?

Satanæ inſidiæ in tentando homine.

aut

aut egestate compulsus furer, & peierem nomen Dei mei. Agnoscit imbecillitatem suam. Sed quid, si Dominus aut mendicitatem, aut diuicias dederit, num ad furta & periuria, aut ad contemptum Dei ruendum est? Nihil certe minus. Sed precandum est, quod hic præscribitur, Ne nos inducas in tentationem, & confidendum in Dominum, quòd tam fidelis sit, ut non sinat nos tentari, ultra id quod possumus, sed daturus sit una cum tentatione euentum, ut possimus sufferre.

Periculis non temere nos obijcia mus.

Cæterum hæc petitio non præscribitur nobis in hunc usum, ut exponamus nos temere ac sine uocatione Dei tentationibus & periculis. Etsi enim etiam in ijs periculis, quibus obiecimus nos temerè, inuocandus est Deus, ne sinat nos in ipsis perire, Sed tum demum sperare possumus conseruationem & liberationem Dei, cum agimus pœnitentiam propter temeritatem, & conuertimur ad uocationem Domini, tamen non est spe suscipiendæ cum libet, pœnitentiæ, & conuersionis, temere in tentationes & pericula irruendum, Sed est perseuerandum in uocatione Dei, & precatione. Dicit enim Scriptura: Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentatur autem Deus, cum uarijs modis, tum præcipue temeritate adeundorum periculorum, sine certa Dei uocatione. Sic Satan iussit Christum tentare Deum, cum iuberet eum, præcipitare

Deus quomodo tentetur.

se de pinnaculo templi. Christus enim non uocabatur ad hoc periculum diuinitus, & habebat scalas, per quas licebat descendere. Sic homo quispiam, qui reipsa sæpe ac multum expertus est, se familiaritate compotorum inebriari, & nimio uini usu ad inconditos mores, & ad scelerata tum dicta, tum facta excitari & accendi, necesse habet familiaritatem compotorum, et publica conuiuia uitare. Quòd si ea accesserit, tentat Deum, quia obijcit sese sine uocatione Dei, manifestis periculis. Sic tentant Deum adolescentes & iuuenes, qui choreas illas, quæ sunt impudicitiæ schola, uisitant. Sic Dina filia patriarchæ Iacob, tentauit Deum, quòd egressa paternam domum, quærebat familiaritatem cum alienis mulieribus, & sese omnibus spectandam obijciebat. Vnde & uirginitatem suam inter alienos amisit, & facta est non tam dedecori uniuersæ domui suæ, quàm ruina totius urbis Salem. Non est igitur committendum, ut exponamus nos periculis temere, sine uocatione Dei, ne tentando Deum, in periculis & tentationibus pereamus.

Gen. 34.

Quod si uero Deus uocat nos ad subeunda pericula, ibi tum haudquaquam stertendum est, sed pericula forti animo expectanda & adeũda sunt, & orandum est, ne inducamur in tentationem, hoc est, ne destituamur diuina ope in periculis. Vigilate, inquit Christus, et orate, ne intretis in tentatio-

tionem. Quod præceptum, cum discipuli negligerent ac dormitarent, in tentationem ita intrauerunt, ut omnes Christum desererent, ac fuga sibi consulendum susciperent. Cum igitur Satan semper insidietur nobis, & magna sit imbecillitas nostra, semper nobis sit in ore, in corde, in fide, hæc petitio, Ne nos inducas in tentationem, ut quibuscunque periculis obijcimur, diuina clementia conseruemur.

Discipuli in tentationem intrauerunt

Postremo hæc petitio admonet nos etiam patientiæ in aduersis. Scimus enim nos Deo tantæ curæ esse, ut omnes pili capitis nostri sint numerati, nec possint nobis ulla aduersa, sine bona eius voluntate accidere. Itaque si, postquam precati sumus, Ne nos inducas in tentationem, aduersa in nos insurgunt, & cumulantur, sentiendum est, ea nobis idcirco à Deo immitti, quòd sint nobis salutaria. Videt enim Deus id esse ingenium, eam esse imbecillitatem nostram, ut si rebus prosperis frueremur, intraremus in tentationem & perire mus. Quare ne in tentationem inducamur, immittit in nos aduersa. Quid ergo in aduersis murmuramus? quid conquerimur? Nihil enim aliud nobis accidit, quàm quod precati sumus ipsi. Orauimus, Ne nos inducas in tentationem. Videt autem Deus futurum, ut sanitate corporis, aut diuicijs, aut amplis honoribus induceremur in tentationem. Obijcit ergo nos morbis, paupertati, & abs

Patientiæ in aduersis.

& abiectioni, ut prosperis non seducamur, sed aduersis in officio & uocatione Dei conseruemur. Quare hæc petitio admonet nos patientiæ, ut cogitemus ea nobis maxime omnium esse salutaria, quæ nobis post hanc petitionem diuinitus euenire solent.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

SEquitur ultima Petitio, qua finiuntur quidem uerba petitionum in hac Dominica precatione, sed qua non finienda est ipsa precatio, quippe quæ in huius uitæ curriculo perpetua esse debeat. Comprehenduntur autem in hac ultima petitione summatim uno & altero uerbo omnia, quæ nobis ad salutem necessaria sunt. Et sicut præcedentes sex petitiones sunt epitome & compendium omnium Psalmorum & precationum, quæ in sacra Scriptura continentur, ita hæc ultima petitio est compendium præcedentium petitionum, ac præsertim illarum trium, quæ proxime explicuimus. Porro autem Filius Dei nos non tantum docuit sic orare, Libera nos à malo, uerumetiam ipsemet eodem modo pro uniuersa Ecclesia orauit. Non rogo, inquiens, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo. Sciamus igitur, quæ sit huius petitionis sententia.

Epitome præcedentium petitionum.

Iohan. 17.

Ac initio obseruandum est, quòd nihil referat

rat utrum Germanica lingua dicas, Erlöſe vns von dem vbel, oder / Erlöſe vns von dem bö-ſen / utrumuis recte dicitur, modo recte intelligatur.

Conſideremus igitur Triplex eſſe malum. Vnũ eſt Satan ſeu diabolus ipſe, qui eſt omnis mali autor. Non enim Deus eſt mali autor, ſed diabolus, ſicut alias oſtendimus. Alterum malum, eſt Peccatum, cuius parens eſt diabolus, & quod uocant, Malum culpæ. Tertium malum eſt afflictio, quam uocant Malum pœnæ, & qua diabolus ad impellendum & protrahendum homines in peccata & exitium uti ſolet. Quare petimus primum, ut Deus liberet nos à diabolo, ne dominetur nobis, & pertrahat nos in peccata. Non poſſumus autem à diabolo liberari, niſi per Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui diabolum uicit, ac de ipſo triumphauit. Petimus igitur, ut Chriſtus ſuſcipiat curam noſtri, et tueatur nos ab impetu et aſſultu diaboli. Particeps factus eſt (inquit Epiſtola ad Hebræos) puerorum, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Et 1. Iohan. 3. Ad hoc apparuit Filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli.

Malum triplex.

Heb. 2.

Deinde petimus, ut Deus Pater ſeruet nos à peccato. Peccatum enim eſt, quod non reddit Satanæ

tanæ, morti & inferno captiuos. Postremo petimus, ut Pater cœlestis liberet nos ab afflictionibus, quæ & ipsæ dicuntur Malum, non quidem culpæ, sed pœnæ. Non petimus autem, ut omnino non afligamur, quia quamdiu agimus in hoc mundo uitam, obnoxij sumus afflictionibus, & quo quis magis pius fuerit, eo maiores afflictiones sufferre solet, Sed petimus, ut in afflictionibus non destituamur diuino auxilio, et non pereamus. Sicut et Christus ipse alias interpretatur. Non rogo, inquiens, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo, hoc est, Non hoc peto, ut discipulos meos liberes ab omnibus aduersis huius mundi, Sed ut in aduersis, quæ eis solent in hoc mundo accidere, clementer tuearis, & ne pereant, conserues.

Mala quomodo deprecemur.

Habes huius Petitionis sententiã. Nunc curandum est, ne nos ipsi nostra incuria & negligentia obstemus, quo minus exaudiamur. Nam si petimus, ut liberemur diuinitus à malo, cauendum est summo studio à peccatis, ne nos ipsos per peccata tradamus Satanæ captiuos. Quid enim prodesset, si quis imploraret opem Principis, ut defenderet ipsum ab hoste, interea autem fieret ipse transfuga, et traderet sese hosti captiuum? Ita nihil proderit, si quis uerba huius petitionis ore numeret, interea autem pergat in peccatis & sceleribus suis ambulare. Deinde cauendum est diligenter, ne quis conijciat sese temere et sine uocatione Dei in

aduersa

aduersa seu afflictiones. An nõ ridiculum, imo insanũ esset, si quis temerario ausu susciperet in aqua mãris, sine certa uocatione Dei, ambulãdum, ac interea uociferaretur, ad Deum, Libera me à malo? Quare hoc unum nobis semper agendum est, ut postquam agnouimus seruatorem nostrum Iesum Christum, per fidem ambulemus in uocatione eius, qua una re fiet, ut non ab uno tantum, & altero, sed etiam ab omnibus generibus mali per Iesum Christum liberemur.

Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula.

IN fine septem petitionum Dominicæ precationis addi solet hæc appendix, *Tuum est regnum & potentia, & gloria in secula. Sentiunt autem nonnulli, quòd hæc appendix addita sit orationi Dominicæ à Christo ipso. Alij autẽ, quia nec Lucas in descriptione huius orationis addit eam, nec inuenitur in omnibus exemplaribus apud Matthæum, existimant eam à ueteribus orationi Dominicæ pro solenni more Ecclesiastico adiectã esse, sicut ad finem Psalmorum addi solet, Gloria Patri & Filio &c.*

Luc. 11.

Sed hoc utcunq; se habeat, certe pia & utilis est

est appendix, ac sumpta est ex 1. Paralip. 29. & 2. Paralip. 20. Dauid ait: Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria &c. Et mox: Tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes, &c. Iosaphat ait: Tu dominaris cunctis regnis gentium. In manu tua est fortitudo & potentia &c.

Deus cur inuocādus.

Recitatur autem hæc appendix in fine orationis Dominicæ, ut admoneamur de causis, cur Deum cœlestem Patrem inuocemus. Non enim inuocamus Angelos, quia etsi Angeli sunt potentißimi spiritus, tamen non sunt Deus ipse Dominus, sed tantum sunt serui & ministri. Nec inuocamus regem Babylonicum, aut Persicum, aut Romanum, aut ullum alium hominem, uel Patriarcham, uel Prophetam, siue in his terris, siue in cœlis, quia etsi nonnulli eorum fuerunt aut sunt reges in terris, tamen non possunt nos in ueris tentationibus, & in extremis periculis iuuare. Et quanquā multi sunt sancti, hi tamen intantum non possunt alios, in periculis mortis & inferni iuuare, ut ipsi necesse habuerint in his periculis sola clementia Dei confidere, & solam Dei opem implorare.

Inuocamus autem Deum Patrem cœlestem ob has causas. Primum, quia ipsius est Regnum, Solus enim Deus est Rex cœli & terræ. Et sicut solus creauit omnia, ita etiam solus sua potestate conseruat & gubernat omnia, tam corporalia quàm spiritua-

ſpiritualia, & tam terrena quàm cœleſtia. Sunt et in hominibus Reges, ſed tantum in terris, & adminiſtrant tantum terrena. Solus autem Deus eſt Rex cœli & terræ, ac adminiſtrat omnia. Quare hunc ſolum recte & pie inuocamus, ut conferat in nos tam huius terræ neceſſaria, quàm Regni cœleſtis bona. Deus rex cœli & terræ.

Deinde, Ipſius eſt potentia. Sunt quidem & homines & Angeli potentes, ſed nec ſunt αὐτοκράτορες, hoc eſt, per ſe potentes, nec ſunt omnipotentes, quod tamen neceſſarium eſſet, ſi uere nos in omnibus periculis iuuare poſſent, & inuocari deberent. Solus autem Deus ita potens eſt, ut ex ſe ipſo omnia poßit, ideoq; uere Omnipotens dicatur. In manu enim ſua & poteſtate omnia habet tam terrena quàm cœleſtia. Cœlum, inquit, ſedes mihi eſt, et terra ſcabellum pedum meorum. Et iterum, Cœlum & terram ego impleo. Dei potentia. Eſai. 66.

In oratione Dominica petimus panem quotidianum. Etſi autem poſſunt etiam homines diuites panem nobis dare, tamen in uera neceßitate, cum cœlum ſit æneum, ut Moſes loquitur, et terra ferrea, aut cum hoſtes uaſtant agros, et diripiunt quæcunq; repoſita erant, diuites ne ſeipſos quidem iuuare poſſunt, adeoq; omnes tam diuites quàm pauperes è cœleſti ope pendent. Nam fruſtra etiam aratur & ſeminatur, niſi Deus incrementum dederit. Petimus Remißionem peccato-

rum. Sed quis, præter Deum, potest eam nobis autoritate et ueritate dare? Datur quidem nobis peccatorum remißio, etiam per Pastores, & per concionatores Euangelij, hoc autem fit tantum ministerio ipsorum, potestate uero & mandato solius Dei. Petimus, ne inducamur in tentationem, sed liberemur à malo, à Satana, à morte, & ab inferno. Hoc præter solum Deum, nemo præstare potest. Quare necesse habemus ista nec ab Angelis nec ab hominibus, sed à solo Deo petere.

Postremo. Ipsius est gloria. Gloria paratur sapienter, iuste, constanter, fortiter, moderate et clementer factis. Quis autem in administrandis rebus sapientior? quis in seruandis pactis et promissis constantior ac ueracior? quis in condonandis peccatis propter Christum filium suum clementior est Domino Deo nostro?

Gloria Dei

Cum igitur gloria sapientiæ, ueritatis, & clementiæ soli Domino Deo uerè competat, possumus eum securißime inuocare, & certißimam ab ipso exauditionem ac salutem sperare, quippe, qui & sapientia sua nouerit, quid nobis expediat, et ueritate sua promißiones suas seruet, et clementia sua adiuuare nos promptißime uelit.

Quod autem additur, In secula, non est ociose adiectum. Significat enim perpetuitatem, & opponitur humanæ potentiæ & gloriæ. Habent enim & homines potentiam & regna, habent quandam re-

rerum geſtarum aut uirtutum gloriam, nõ autem perpetuam, ſed terrenam & momentaneam. Solus Dominus Deus noſter is eſt, cuius regnum, potentia & gloria ſunt perpetua. Quare ſolus ipſe uere inuocari poteſt & debet, ut & uera ac cœleſtia bona conſequamur.

Amen.

ETſi hæc dictio, Amen, quę ſolet in fine Dominicæ precationis adiſci, nullius pene momenti eſſe uidetur, tamen nequaquam committendum eſt, ut eam oſcitãter prætereamus. Nã quod pauci uideãtur impetrare ea, quæ in hac aut alijs precationibus recitant, inde adeo accidit, quia non concludunt preces ſuas per Amen. Non eſt nobis ſermo de uocali concluſione. Facillimum enim eſt, ore dicere, Amen. Sed loquimur de uera huius uocabuli recitatione per Fidem. Si enim hoc uocabulo precationem Dominicam uere concludamus, conſequimur tam corpore quàm animo perpetuam ſalutem. Si autem non poſſumus uere dicere Amen, nihil aliud reliquum eſt, quàm quod neceſſe habeamus omnium rerum indigere. Quod ut recte intelligamus, dicendum erit, quid hoc uocabulum, Amen, ſignificet. Neque enim eſt uocabulum Germanicum, neque Græcum, neque Latinum, ſed Hebraicum, & ſignificat idem quod, Verum fiat, ſeu, Certum & firmum ſit, aut efficiatur. Amen quid ſignificet.

tur. Itaq; cum dicitur in fine Dominicæ precationis, Amen, idem est ac si diceretur, Credo firmiter, q; fiat, et impleatur, sicut precatus sum.

Cuius fiducia orandũ sit.

Sed dubitas fortaßis, qua fiducia audeas sperare, q; certo fiant & impleantur petitiones, quas in hac oratione recitasti. Hic ergo necessarium est, ut & nos ipsos, & Iesum Christum filium Dei recte cognoscamus. Nihil enim beneficiorum Dei uere sperare possumus fiducia nostræ ipsorum iusticiæ, & dignitatis. Tanta enim est potentia peccati nostri originalis, ut etiamsi sumus Spiritu sancto renati, & facimus bona opera, quæ Deus præcepit, tamen ea semper habeant aliquid uicij, ut non sint perfecte bona, nec impleant per se legem Dei. Quare nemo potest fiducia suæ ipsius iusticiæ certo sperare, quod preces eius exaudiantur. Quid igitur faciamus? Postquam agnouimus nostram iniquitatem & indignitatem, agnoscenda etiam est iusticia & dignitas Iesu Christi filij Dei. Ac primum cogitandum est, quòd Deus sit nobis placatus per Iesum Christum filium suum, & quòd exaudiat omnes inuocantes ipsum ex fide Christi. In Ioele enim dicitur: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nemo autem potest Deum uere inuocare, nisi credat in Christum, quòd Deus sit per Christum propicius & clemens. Non est, inquit Petrus, aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri. Et Christus ipse: Amen amen,

(inquit)

(inquit) dico uobis, quæcunq; petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit uobis. Quare sciamus, q. Deus tunc certo exaudiat preces nostras, cum inuocamus eum, nõ fiducia nostræ, aut aliorũ, quam uis sanctorum hominum iusticiæ, sed fiducia solius iusticiæ Domini nostri Iesu Christi, propter quem Pater factus est nobis propicius.

Deinde cogitandum est, quòd hanc, quam uocamus Dominicam precationem, docuerit nos non Spermologus quispiam, aut somniator, nos Sacrificulus quispiam aut Monachus, imo nec Patriarcha quispiam, aut Propheta, aut Apostolus, sed Christus ipse filius Dei. Hic apud Matthæum perspicue dicit: Ad hunc modum orate, Pater noster, &c. Et apud Lucam, Cum oratis, dicite: Pater noster &c. Filius autem Dei, non docuisset nos sic orare, nisi certo cognouisset, quòd hæc esset sententia Dei Patris sui, & q. Pater uellet omnes inuocantes ipsum, ad hunc modum, ex fide, exaudire. Ethnici & alij impij homines ignorant uoluntatẽ Dei, quia ignorant Filium Dei, et contemnunt uerbum eius. Quare cum incidissent in ipsos graues ærumnæ, et sentirent re ipsa diuinam iram, nescierunt, quomodo deberent inuocare Deum, ut placaretur, sed miserunt ad oracula Delphica, aut alia idolatrica, ut scisciterentur quibus uerbis aut supplicationibus mitigarent iram diuinam, & liberarentur ab aduersis. Hæc autem est impietas & Orationis Dominicæ autor.

idolatria. Nobiſcum multo melius agitur. Non enim opus eſt, ut mittamus legatos trans mare, aut in cœlum, qui exquirant, quibus ſupplicationibus Deus ſit inuocandus, ut ſit nobis propicius, Sed iuxta nos eſt Oratio Dominica in ore et in corde noſtro, quam Orationem docuit nos unigenitus Filius Dei. Nihil autem certius eſt, quàm quòd doctrina filij Dei exponat nobis ipſiſſimam Dei ſententiam ac uoluntatem. Ad Moſen enim de Chriſto filio ſuo dicit Pater: Ponam uerba mea in ore eius. Et in Baptiſmo ac in transfiguratione dicit Pater de Chriſto: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, HVNC AVDITE. Et Iohannes, Pater, inquit, diligit Filium, & omnia ei demonſtrat quæ ipſe facit. Quare nullum dubium eſt, quin quæ Chriſtus docuit nos in precatione Dominica petere, ea certiſſime uelit Deus pater ex fide inuocatus, præſtare ac implere.

Deut. 18.

Hic nunc ſit finis explicandæ Dominicæ precationis. Nobis autem nullus ſit precandi finis. Sine intermiſſione, inquit Paulus, orate. Et Chriſtus ipſe: Oportet, inquit, ſemper orare, & non defatigari. Etſi autem uerba ipſa precationis non poſſunt ſemper ſine ulla intermiſſione recitari, nec hoc diuinitus exigitur, tamen ſumma danda eſt opera, ut cum uerba ſuis temporibus recitamus, recitemus ea non aliud agentes, nec de clementia Dei dubitantes, ſed in uerba precationis intenti, & ſine

Semper orandum.

ne hæsitatione credentes, quòd Deus sit nobis propicius propter Iesum Christum filium suum. Sic enim fiet, ut etsi non semper recitamus uerba, semper tamen in conspectu Dei oremus, siue edimus, siue dormimus, siue aliud opus facimus, tantummodo ut nihil scelerate agamus, sed in uocatione Dei maneamus & pergamus. Nam quemadmodum globus ligneus aut lapideus, si collocatus fuerit in præcipitio excelsi & decliuis montis, & impulsus, ut incipiat deorsum decurrere, solet præceps de monte ruere, etiamsi is qui impulit eum, non sequatur, sed maneat in suo loco, nec attingat eum amplius, Ita si quis suis temporibus recitauerit uerba precationis ex fide, & excitauerit Spiritum precandi, semper promouet coram Deo precatio, etiamsi precator, finita uerborum recitatione, aliud agere uideatur. Spiritus enim, inquit Paulus, intercedit pro nobis, gemitibus inenarrabilibus. Quare cum suscipimus recitanda uerba huius precationis, incumbamus maxime omnium in hoc studium, ut non solum uerba ipsa recte intelligamus, & ad sententiam eorum animaduertamus, sed etiam ex uera in Iesum Christum filium Dei fide commemoremus, ut Spiritus oratione excitatus pergat, nobis etiam tacentibus, & aliud agentibus, in conspectu Dei orare.

DE DECALOGO.

Q.

Quod est compendium in quo continentur præcepta Dei?

R.

Decalogus.

Recita Decalogum.

R.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi etc. Non habeas alienos deos coram me &c.

POstquam percurrimus interpretatione nostra Dominicam precationem, accedendũ nunc est ad explicationem Decalogi, in quo continentur præcepta Dei. Nam ad eam quæstionem, in qua quæritur, quæ sit utilitas fidei symboli Apostolici, respondetur hanc esse utilitatem, q. reputemur iusti coram Deo per fidem propter Christum, & q. donemur

mur Spiritu ſancto, qui excitat nos ad inuocatio-
nem Dei, et ad obſequium præceptorum Dei. Cum
igitur expoſuerimus pro noſtra mediocritate Ora
tionem Dominicam, qua Deum Patrem pro omni
bus ad ueram ſalutem neceſſarijs inuocamus, exi-
git hic noſter ordo docendi, ut ſuſcipiamus nunc
præcepta Dei exponenda. Sumamus ergo in ma-
nus tabulam Decalogi. Nam Decalogus eſt epito-
me ſeu compendium omnium præceptorum Dei,
quæ in tota ſacra Scriptura continentur.

Dicturi autem de Decalogo, oſtendemus pri- 1.
mum omnium, Quis Decalogum dederit aut pro-
mulgauerit. Deinde quibus miraculis, quibuſue ri 2.
tibus ac cærimonijs datus ſit & promulgatus. Ter 3.
tio, In quem uſum ſit datus. Quarto, Num Decalo 4.
gus pertineat etiam ad nouum Teſtamentum, &
quomodo ſeruari ac impleri poſſit et debeat.

Quis Decalogum dederit.

DECalogus nõ eſt excogitatus humano ſomnio,
ſed eſt promulgatus à Domino ipſo Deo noſtro.
Etſi dicendum eſt, quod res eſt, Chriſtus ipſe Fi-
lius Dei, nondum quidem tunc homo factus, ſed ue
rus ab æterno Deus, & præter quem non eſt alius
Deus, recitauit Moſi Decalogum in monte Sinai,
audientibus pluſquàm ſexcẽtis milibus hominum,
& dedit eum poſtea inſcriptum in tabula lapi-
dea, quæ duobus folijs conſtabat. Nam q̃ Chriſtus

ipse Filius Dei Decalogum promulgauerit, manifestum est, cum ex præfatione Decalogi, tum ex aliis locis scripturæ. Præfatio enim Decalogi sic habet: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo seruitutis. Quicquid autẽ creat aut facit Deus pater, hoc creat aut facit per Filium suum. In principio creauit cœlum et terrã, sed per Filium. Postea elegit et conseruauit Patriarchas, & Ecclesiam suam, sed per Filium. Omnia enim, inquit Ioannes de Filio, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Manifestum igitur est, q̃ Deus pater eduxerit Israelitas ex Ægypto, per Filium, ut sicut Filius uere dicitur & est Creator cœli & terræ, ita etiam sit Eductor & Liberator Israelitarum ex Ægypto. Si autem est liberator ex Ægypto, certe est etiã promulgator Decalogi, cum initio Decalogi dicatur, Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de Ægypto.

Christus promulgauit Decalogum.

Et Paulus 1. Cor. 10. ait: Bibebant de spirituali petra, quæ illos comitabatur. Petra autem fuit Christus. Et mox: Neq; tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & extincti sunt à serpentibus. In Exodo autem & in Numeris dicitur, quòd tentauerint uerum Dominum Deum, qui ipsos è terra Ægypti eduxit. Cũ igitur Paulus perspicue dicit, q̃ Christus comitatus sit Israelitas in deserto, & q̃ Israelitæ tentauerint Christum, perspicue etiam docet, q̃ Christus sit Dominus il-

Exod. 17. Nume. 14.

le

le Deus, qui Israelitas ex Ægypto eduxerit, & Decalogum promulgauerit. Quare Decalogus non est habendus pro humano somnio, sed pro diuino oraculo, obseruatu dignissimo.

Sed cum Decalogus ostendat iram Dei & occidat, sicut postea explicabitur, & Christus sit adnunciator gratiæ Dei, & administer uitæ, sicut Iohannes dicit, Lex per Mosen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christum facta est, quomodo cõuenit, ut faciamus ex Christo promulgatorem Decalogi? Distinguamus igitur Christum iuxta maiestatem et ministerium suum. Nam quod attinet ad Maiestatem diuinitatis eius, sicut omnia creauit, & eduxit Israelitas ex Ægypto, ita fuit etiam promulgator Decalogi. Nec id solum, uerumetiam promissor gratiæ Dei, per Patriarchas & Prophetas. Omnia, inquit Paulus, per illum & in illum creata sunt. Et ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt, & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Quare si maiestatem diuinitatis eius consideraueris, denunciat per ministros suos tam iram propter peccata, quàm gratiam & clementiam propter iusticiam. Sicut & in Decalogo utrunque coniungitur: Visitans iniquitatem patrum in filios. Et: Faciens misericordiam in milia his qui diligunt me. Coloss. 1.

Sed si respexeris Ministerium humanitatis eius, tunc recte opponitur Mosi & ministerio eius.

Mo-

Moſes, ut nihil dicam de politica gubernatione eius, qualem Chriſtus in terris non ſuſcepit, attulit ad Iſraelitas ſuos Decalogum iam promulgatum, & in lapidea tabula inſcriptum, ideoq; dicitur attuliſſe iram Dei, & damnationem, propterea quòd Decalogus oſtendat, homines, cum ſint uiolatores legis, obnoxios eſſe iræ diuinæ, & damnationi. Chriſtus autem cum ſuſcepiſſet hominem, nõ fuit prædicator Decalogi, quo reuelatur ira Dei, & denunciatur ſupplicium æternæ mortis, ſed fuit prædicator Euangelij ſui, quo reuelatur gratia Dei, & denunciatur hæreditas æternæ uitæ. Et ſi enim Chriſtus ſuſcepit etiã aliquoties in concionibus ſuis Decalogum explicandum, tamen hoc non fuit principale officium, propter quod in hũc mundum uenit, ſed principale officium eius fuit, prædicare Euangelium de gratia Dei, & placare iram Dei morte ſua. Ad euangeliſandum, inquit, pauperibus, miſit me. Et, Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut condemnet mundũ, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Ac profecto congruenter factum eſt, ut eadem perſona, quæ antea promulgauerat Decalogum, hoc eſt, iram Dei, per Moſen, poſtea coram uiſibiliter, promulgaret, aſſumpto homine, Euangelium, hoc eſt, gratiam Dei, ut perſpicue cognoſceremus, quòd, quæ de ira Dei dicta ſunt, non huc reſpicerent, ut homines manerent in ira Dei, & condemnarentur perpetuo

Chriſti officium principale.

Chriſtus decalogi & Euangelij promulgator.

petuo, ſed ut excitati agnitione iræ Dei, conferrent ſeſe ad agnoſcendum Chriſtum, & conſequerentur per ipſum gratiam Dei, & æternam uitã. Dominus, inquit, mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Et iterum, Ipſe decerpſit nos, & ſanabit, percuſſit, & curabit nos. Ac rurſus, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat. Sed de hac re infra copioſius.

Quibus miraculis promulgatus ſit Decalogus.

DECALOGVS non eſt coram uno tãtum, et altero homine, clam in ſilentio noctis, reuelatus, ſed eſt publice, interdiu, audientibus pluſquam ſexcentis millibus hominum, recitatus. Et ut autoritas eius confirmaretur, non ſolum ædita ſunt miracula in ipſa recitatione eius, uerumetiam multa & magna miracula præceſſerunt & ſecuta ſunt eius promulgationem. Nam priuſquam Decalogus recitaretur, ædidit Deus miracula in Ægypto, & in mari rubro, in quo & mirabiliter obruti ſunt Pharao & exercitus eius. Itaq; promulgatio Decalogi conſtitit interitu potentiſſimi regis, quia cum Moſes & Iſraelitæ petiſſent antea à rege, ut concederet ipſis profectionem in deſertum, ad ſacrificandum Deo, & ad audiendam concionem Decalogi, Rex autẽ obſiſteret huic inſtituto, ac uocationi Dei, maluit Deus, ut rex unà cũ exercitu

citu ſuo in mari rubro periret, quàm ut Eccleſia Dei ab audienda concione Decalogi prohiberetur.

Exod. 16 Dedit etiam Deus Mãna de cœlo, ut Iſraelitæ hoc miraculo excitati, fierent ad audiendum Decalogum attentiores. Et hæc quidem præceſſerunt promulgationem Decalogi, In ipſa autem promulgatione hæc contigerunt. Poſtquam uniuerſus populus, cuius numerus excedebat ſexcentamillia hominum (non connumeratis pueris, mulierculis, & his, qui erant infimæ ſortis, quemadmodum teſtatur Exo. ca. 12.) conſtitit ad radices montis Sinai, ſtatim audiebantur de cœlo tonitrua, micabant fulgura, operiebat montem nubes denſiſſima, ſonabat clangor buccinæ, ac totus mons fumabat. Voluit enim Dominus his ſignis teſtificari maieſtatis ſuæ præſentiam. Quare, cum hæc ita fierent, cœpit Filius Dei, Chriſtus Dominus noſter, recitare Decalogum tam horribili & grandi uoce, ut non ſolum omnes, qui præſtò adſtabant, eam audirent.

Exod. 19. et 21. (Neceſſe autem eſt, quod fuerit uox altiſſima, & ualde ſonora, quàm tot millia hominum audire potuerint) uerumetiam horrore eius ita obſtupeſcerent, ut retrocederent. Hæc uerba, inquit

Deut. 5. Moſes, locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem ueſtram de medio ignis, & nubis & caliginis uoce magna, nihil addens amplius. Poſt hanc autem Decalogi promulgationem, ædita ſunt alia multa & magna miracula in deſerto, & in ingreſ-

ingressu in terram Canaan. Quæ omnia eo respiciunt, ut præter alia, commendarent etiam autoritatem Decalogi, & admonerent, Decalogum esse cœlestem ac diuinam concionem. Ac profecto ante Christum, hominem natum, nullum unquam nec maius, nec illustrius, nec manifestius miraculum in toto orbe terrarum æditum est, quàm promulgatio Decalogi, quem filius ipse Dei, audientibus tot millibus hominum, tanta maiestate recitauit. Nec dubium est, quin Israelitæ, populus durissimus, ac plane incuruiceruicus, repudiassent iugum legis Mosi, nisi coram, suis ipsorum oculis, tanta miracula uidissent, & uocem tam horribilem de cœlo audiuissent. Et quia statim post hanc Decalogi recitationem additur promissio de Propheta, qui sit sicut Moses audiendus, & qui est Dominus noster Iesus Christus, quemadmodum in Deuteronomio capit. decimo octauo scriptum est, idcirco sentiamus hæc miracula, esse cœlestia testimonia non tantum autoritatis Decalogi, uerumetiam ueritatis Euangelij de Domino nostro Iesu Christo, ad quem cognoscendum Decalogus nos urget, & è quo solo omnis salus nostra est petenda.

Quis sit usus Decalogi.

ETSI in Catechismo post recitationem Decalogi sequitur singularis quæstio de Vsu eius, quo

in loco hæc materia copioſius explicanda erit, tamen quia cognitio ueri uſus Decalogi plurimum confert ad rectam ſingulorum præceptorum intelligentiam, quam nũc perſtringendam ſuſcipimus, idcirco pauca quædam de hoc argumento præmittemus. Nam Decalogus non eſt propter hanc cauſam, in monte Sinai multis miraculis promulgatus, ut ſignificetur, q̃ nulla antea fuerit cognitio eius in terris. Hic enim mundus creatus eſt ante Moſen, duobus, plus minus, millibus annorum, et cognitio eorum, quæ in Decalogo præcipiuntur, inſculpta eſt diuinitus humanæ rationi, ab initio creationis eius. Ac non fuit quidem Decalogus ab initio mundi literis mandatus, fuit autem mandatus humanæ rationi, ut quæ poſtea literis ſunt comprehenſa, detenta fuerint antea cognitione. Paulus enim ad Romanos ſcribens, Quod de Deo, inquit, cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis patefecit. Si autem humanæ rationi fuerunt patefacta ea, quæ de Deo poſſunt cognoſci, multò certe magis nota fuerunt illi, quæ homini præſtari debent. Vnde & illud quod Matth. 7. ſcribitur, Omnia quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis homines, ſic et uos facite illis, recte ſolet uocari Lex naturalis, q̃ natura ſeu ratione humana cognoſcatur. Nam ab initio orbis cognitum & prædicatum eſt, quòd unus tantum uerus Deus, creator cœli & terræ, colendus ſit. Et apparet ex Gen. cap. 2.

Decalogus ante promulgationem rationi humanæ cognitus.

quòd

quòd & Sabbatum ſit à Patriarchis obſeruatum. De dilectione autem proximi, hoc eſt, de non occidendo homine, de non committendo adulterium, de non furando, de honorandis parentibus, non dubium eſt, quin à condito orbe in familijs Patriarcharum ſit prædicatum, quemadmodum apparet ex ea concione, quæ extat Gen. 4. ad Cain, et Gen. 9. ad Noham, de non committendo homicidio. Sic extant exempla de non committendo ſtupro ſeu adulterio, Gen. 20. & in alijs locis. Quare manifeſtum eſt, quòd Decalogus non ſit promulgatus, ut ſignificaretur cognitionem eius non fuiſſe antea inter homines. Deinde nec ideo promulgatus eſt, ut ſignificaretur, quòd homines poſſint eum, naturæ ſuæ implere, & operibus Decalogi mereri remiſſionem peccatorum, & uitam æternam. Gen. 34. 38 39.

Ac uerum quidem eſt, quòd ſi Adam conſtitiſſet in ea integra natura, in qua initio conditus erat, poſſent homines Decalogum implere, & meritis ſuis æternam uitam conſequi. Sed poſtquam Adam peccauit, & propagatum eſt peccatum in omnes homines, tanta eſt humanæ naturæ corruptio, ut iam nemo ab Adamo natus poſſit operibus ſuis Decalogo ſatisfacere, Non iuſtificatur, inquit Pſalmus, in conſpectu tuo omnis uiuens. Et, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quare Decalogus non eſt nobis datus, ut ſignificet naturam noſtram ad ſatisfaciendum ei in

tegram esse. Sed potius datus est, ut significet diuersum, uidelicet, naturam nostram esse corruptiorem, quàm ut posßit Decalogo satisfacere. Testificatur enim Decalogus in quem usum homines sint à Deo conditi, & qualem inter se uitam in terris duxissent, si Adam non fuisset lapsus in peccatum. Nam & homines in hunc usum conditi sunt, ut ea faciant quæ Decalogus præscribit, & fecissent etiam ea perfecta obedientia, nisi peccatum intrasset in mundum. Dilexissent enim Deum ex toto corde, & proximum quisque sicut seipsum. Nulla fuisset idolatria, nulla de religione contentio, nullum homicidium, nullum adulterium, nullum furtum, nullum falsum testimonium. Homines conuenissent suis temporibus ad cultum Dei, interea coluissent etiam terram summa iucunditate, concordia & tranquillitate, donec sua cuique corporalis uitæ periodus aduenisset, qua translatus esset summa suauitate de hac corporali, ad cœlestem uitam. Sed postquam homo corruptus est peccato, proponitur ei Decalogus, ut admoneatur de amissa sua fœlicitate, & ducatur in cognitionem peccati sui, ac diuinæ iræ, quam propter peccatum meretur. Nam quemadmodum speculum oppositum sordidatæ facici hominis, repræsentat sordes, & maculas faciei, ita & Decalogus nobis propositus ostendit, quantum sordidati simus peccato, & quantum à uera iusticia et fœlicitate abs-

simus

I. Legis siue Decalogi usus.

Vita hominum qualis fuisset si homo non peccasset.

simus. De hoc legis usu Paulus diligenter docet in Epistola ad Romanos, Per legem, inquiens, agnitio peccati. Et, Lex iram operatur. Ac rursus, Peccatum non cognoui, nisi per legem. Et aliàs, Aculeus mortis peccatum, Potentia peccati Lex. Nam Decalogus exigit ea opera, quæ natura humana peccato corrupta, non solum præstare non potest, uerumetiam corruptionem suam non uere agnoscit. Et tamen solet, præsertim in rerum fœlicitate, de integritate sua etiamnum gloriari & contendere Quare quemadmodum, si Medicus ægroto contendenti se sanum esse, diceret, Agedum, si sanus es, surge, ambula, egredere, ingredere, cole agrum. His uerbis non significaret, ægrotum esse sanum, sed potius indicaret ei morbum, ita & Decalogus, cum dicit ad hominem, Non habeas alienos Deos coram me, hoc est, dilige Deum ex toto corde, &c. non significat hominem hoc præstare posse, sed ostendit ei peccatum suum, et significat, quòd cum non possit hoc præstare, sit maledictus, Maledictus enim, inquit Lex, qui non permanserit in uerbis Legis huius. Quid ergo? Num irridet nos Decalogus, quòd præcipiat nobis ea, quæ optime nouit nos non posse præstare? Aut quia pronunciat in nos sententiam Maledictionis, significat nos perpetua maledictione detinendos, nec unquam liberandos? Non certe irridet nos futiliter, Sed exigit serio, quæ à nobis præstan-

Rom. 3. Rom. 4. Rom. 7. 1. Cor. 15. Deut. 27.

da essent. Cum autem non possimus ea præstare, pronunciat in nos maledictionis Sententiam, non ut nos in maledictione perpetuo detineat, sed ut ostensione peccati & maledictionis excitet & cogat nos iusticiam & benedictionem, extra se inquirere, uidelicet, in Iesu Christo filio Dei per fidem, qui & solus is est, in quo Gentes benedictionem cõsequuntur. Nec est aliud nomen datum inter homines, in quo oporteat eos saluos fieri. Quare etsi Decalogus nihil expresse dicit de Christo seruatore nostro, tamen quia reuelat peccatum, & ostendit nobis nostram maledictionem, amãdat nos à se, ut Christum, ueram iusticiam & benedictionem, inquiramus. Sed de hoc usu Decalogi postea pluribus.

II. legis seu Decalogi usus.

Audiamus nunc & alium eius usum. Nam & propter hanc causam datus est Decalogus, ut discamus ex eo quæ opera Deo placeant, & quæ, postquam renati sumus per fidem, in Christo, facienda sunt. Etsi enim sententia præceptorum Decalogi cognoscitur aliqua ex parte ab humana ratione, tamen quia corrupti sumus peccato, solet hæc cognitio in nobis obscurari, & falsis persuasionibus excuti. Quare necessarius est Decalogus, ut hanc naturalem cognitionem excitet & illustret, ac perspicue doceat, quæ opera Deo placeant, & quæ ad testificandam animi nostri gratitudinem facere debeamus. Testantur rerum gesta-

rum

rum Scriptores, nonnullas fuisse gentes, quarum naturale iudicium ita deprauatum fuerit, quòd existimauerint, non esse inhonestum carnibus parentum & cognatorum suorum uesci. Nec esse inhonestum Furari, scortari, prædari, latrocinari. Et inter Christianos, cum Magistratus non punit blasphemias, adulteria, ebrietates, & alia scelera, existimant homines, quod his factis, aduersus Deum non peccetur. Et tamen hæc sunt peccata crassissima. Quid autem dicemus de peccatis subtilioribus, & spiritualibus, ut uocant, qualia sunt, Contemptus Dei, odium Dei, concupiscentia, & alia, quæ in receßibus cordium, honestißimorum etiam & sapientißimorum hominum ita latent, ut non nisi per Decalogum diuina reuelatione cerni queant? Concupiscentiam, inquit Paulus, non nouissem, nisi Lex dixisset, Non concupisces. Et mox: Absque lege peccatum erat mortuum. Quare datus & promulgatus est Decalogus, ut corrigat falsas persuasiones humanæ rationis, & prauas consuetudines, & ut sciamus, quòd quicquid aduersus Decalogum peccatur, hoc uere aduersus Deum ipsum peccetur, & quòd obedientia horum operum, quæ nobis in Decalogo præscribuntur, debeamus nos gratos, erga Dominum Deum nostrum, qui nos per Christum filium suum à maledictione Decalogi redemit, declarare. Rom. 7.

Pertineat ne Decalogus etiam ad nouum Teſtamentum, & quomodo impleri debeat et poſſit.

IN *commemoratione uſus* Decalogi, *uenit auditori in mentem, quid ſibi uelit, quòd nobis Chriſtianis obtrudatur* Decalogus, *& commendetur uſus eius, cum tamen Apoſtolica ſcriptura toties teſtetur,* Legem, *cuius præcipua pars eſt* Decalogus, *abrogatam eſſe.* Non eſtis, *inquit* Paulus, *ſub lege, ſed ſub gratia.* Et iterum, *Poſtquam uenit fides non amplius ſumus ſub pædagogo.* Ac *rurſus: Vbi uenit plenitudo temporis, miſit* Deus Filium *ſuum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret. Si ergo ſumus liberi à lege, cuius præcipua pars eſt* Decalogus, *cur adhuc obtruditur nobis* Decalogus? *& cur exigitur à nobis obedientia eius? Longum eſſet nunc de abrogatione uniuerſæ Legis Moſi dicere. Nos dicemus nunc tantum pauca quædam, quantum quidem ad præſens inſtitutum ſatis uidebitur, de abrogatione* Decalogi. *Nam in* Decalogo *duo continentur, uidelicet,* Moralia *&* Cærimonialia. *Ac duæ quidem tantum* Cærimoniæ *recitantur in* Decalogo. *Vna eſt de ſtatuis & ſimulachris, ſeu ſculptilibus, in primo præcepto. Altera eſt de obſeruatione diei Sabbati, in tertio præcepto. Hæ duæ*

Rom. 6. Galat. 3. Gal. 4.

Decalogi abrogatio.

Cærimoniæ Decalogi.

Cæ-

Cærimoniæ, quia fuerunt Moſaicæ ſeu Iudaicæ, abrogatæ ſunt in nouo Teſtamento, una cum reliqua politia & Eccleſiaſticis ſacris, quæ per Moſen inſtituta fuerant. Neq; enim nobis prohibitum eſt habere effigies Chriſti & Sanctorum, niſi colerentur et adorarentur. Hic enim eſt impius ſtatuarum & imaginum uſus. Itaq; etſi nobis Chriſtianis per ſe liberum eſt, habere aut non habere ſtatuas Sanctorum, tamen utilius uidetur, nullas proſtare ſtatuas in Eccleſia, ne adſueſcant imperiti eas colere & adorare. Sic nec exigitur à nobis, ut Sabbatum, Moſaico more obſeruemus, quemadmodum poſtea in illis duobus præceptis copioſius explicabitur. Reliqua uero omnia in Decalogo ſunt Moralia, & Naturalia, quæ certe in tantum non ſunt abrogata, ut Deus obedientiam et impletionem eorum, non ſolum exegerit ante legem Moſi, & ſub lege eius, uerumetiam exigat eam nunc, ſub Euangelio in Chriſtianiſmo, multo ſeuerius, quàm antea exigere uiſus eſt. Vnde Chriſtus Matth. 5. ait Non ueni, ut deſtruam legem, ſed ut compleam. Amen quippe dico uobis, donec prætereat cœlum et terra, iota unum aut apex unus non præteribit ex lege, donec omnia facta fuerint, hoc eſt, Lex exigit ſemper tam exactam obedientiam, ut ſi unum iota prætergreſſus fueris, non iudicet ſibi ſatisfactum. Et mox: Niſi iuſticia ueſtra abundauerit pluſquam ſcribarũ & Phariſæorum, non poteſtis

Imagines an prohibitæ.

Sabbati obſeruatio.

ingredi in regnum cœlorum. Et Matth. 19. Si uis ingredi in uitam, ſerua mandata Dei. Et Paulus:

Rom. 2. Non qui audiunt legem, inquit, iuſti ſunt apud Deum, ſed qui legem factis exprimunt, iuſti habebuntur. Et iterum: Circunciſio nihil eſt, præpucium nihil eſt, Sed obſeruatio mandatorum: Dei. Sed redeamus ad concionem Chriſti, ut cognoſcamus obſeruationẽ Decalogi tanta ſeueritate à nobis exigi, ut niſi ei uerè obediamus, æternæ maledictioni obnoxij ſimus. Poſtquam enim Chriſtus apud Matthæum interpretatus eſſet aliquot præcepta Decalogi, addit: Qui audit ſermones hos, & non facit eos, aſſimilabitur uiro fatuo, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam &c. Et iterum: Qui dixerit fratri ſuo, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.

Galat. 3. Et Paulus ex Moſe: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea &c. Vides quanta ſeueritate impletio Decalogi, etiam à nobis Chriſtianis, exigatur.

Decalogus quomodo ſit abrogatus.

Quid ergo de abrogatione Decalogi ſentiendum eſt? Hoc uidelicet ſentiendum eſt, q̃ in Chriſtianiſmo abrogatur quidem Decalogus, non autem quo ad obedientiam, ſed quo ad Maledictionem. Nam Decalogus exigit ab omnibus hominibus perfectam impletionem. Et cum homines eam non præſtent, (Propter imbecillitatem enim carnis præſtare eam non poſſunt) tunc Decalogus maledi-

ledicit & execratur eos, ac pronunciat eos tradendos Satanæ, morti & inferno. Sententia enim Decalogi aduersus peccatorem, hæc est: Quia non seruas legem, nec imples eam perfecte, idcirco maledico & execror te, ac iudico te dignum, quem Diabolus auferat, & conijciat in mortem, ac perpetuum ignem inferni. Hæc est maledictio, qua Decalogus peccatorem execratur. Quæ certe non est iocosa, sed seria, animam simul & corpus hominis æternæ morti ac inferno addicens. Postquam autem homo agnoscit CHRISTVM per fidem, & credit, quòd Christus sit reconciliator ipsius, & condonet ipsi peccata, ac imputet ipsi suam iusticiam, tunc liberatur, non quidem ab obedientia Decalogi, quem semper præstare debemus, sed liberatur ab hac Decalogi maledictione, ut etiamsi non implemus Decalogum perfecte, non tamen possit nos amplius tradere Diabolo, & addicere morti ac inferno, propter Christum, in quem credimus. Christus, inquit Paulus, redemit nos à maledictione Legis, dum pro nobis factus est maledictio. Non dicit, Redemit nos ab obedientia, Sed à MALEDICTIONE Legis. Gal. 3.

Ex his patet nunc, quomodo Decalogum impleamus, & ei satisfaciamus. Non enim possumus eum implere nostris operibus, siue ante fidem, in Christum, siue post fidem in Christum, factis, quia

etiamsi donatur nobis Spiritus sanctus, tamen ca-
ro semper manet corrupta & infirma, nec permit
tit, ut Spiritus sanctus opus suum perfecte in no-
bis impleat. Sicut Paulus docet Rom. 7. Velle, in-
quiens, adest mihi, at ut faciam (seu perficiam) bo-
num, non reperio &c.

Decalogi impletio.

Potest autem impleri hoc modo, uidelicet, cum
credimus in Iesum Christum, quòd ipse sit propi-
ciator noster, tunc Deus remittit nobis peccatum:
& quia facti sumus membra Christi, per fidem, im
putat nobis iusticiam Christi, quæ est perfecta iu-
sticia, ut hac coram tribunali eius ita fidamus, per
inde ac si nos ipsi nostris operibus Decalogum im-
pleuissemus. Itaque efficimur iusti coram Deo, non
nostra, sed aliena iusticia per fidem. Christus enim,
inquit Paulus, est sapientia, iusticia, & sanctifica-
tio nostra. Hoc autem, quod de iusticia, quam De-
us nobis propter Christum imputat, dicitur, non
eò respicit, ut nihil boni operis faciamus, sed ut eo
amplius uocationi Dei per bona opera obedia-
mus. Cum enim credimus in Christum, donatur no
bis Spiritus sanctus, ut incipiamus accendi amore
Dei & proximi, & compescamus carnem, quo
subijciatur spiritui, adeoq; in uocatione Dei obe-
dienter, iuxta Decalogi doctrinam, ambulemus.
Quæ obedientia etsi per se non est impletio De-
calogi, tamen accepta est Deo propter Chri-
stum, & uocatur aliquoties impletio Decalogi,

Bona opera non prohibentur.

non

non ſuo merito, ſed propter Chriſtum, in quem credimus, & in quo ſolo ueram Decalogi impletionem poßidemus. Sed de Decalogi impletione poſtea in ſingulorum præceptorum explicatione copioſius dicetur.

PRÆFATIO DECALOGI.

POſtquam percurrimus ea, quæ in ſuſcipienda explicatione Decalogi præmittere uiſum eſt, accedamus nunc, diuina adiuuante clementia, ad ipſam Decalogi interpretationem.

Ac initio præfatur Dominus ad hunc modum:

Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.

Hæc eſt præfatio, quæ idcirco præponitur Decalogo, ut ſciamus, quis Decalogum promulgauerit. Decalogus enim promulgatus eſt, non ab homine quopiam uel Principe, uel Rege, uel Monarcha terreno, Sed ab ipſomet Filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto. Filius enim Dei eſt Dominus Deus ille, qui eduxit ſeu liberauit Iſraelitas ex Ægypto, quemadmodum ſupra oſtendimus.

Aſſumit autem Filius Dei in titulum ſeu epitheton ſuum, beneficium illud, quod paulo ante in populum ſuum contulerat, uidelicet, Liberationem ex Ægypto: Qui eduxi te, inquiens, ex Ægypto

Filij Dei epitheton.

pto. Assumit autem hunc titulum, non quòd beneficium liberationis ex Ægypto fuerit summum ac præcipuum, sed q. fuerit proximum, et reipsa iam primum ab omnibus compertum, atq; recens adhuc memoriæ infixum. Nam si promulgasset Decalogum, statim post conditum cœlum et terram, ac, post promissionem Seminis mulieris, dubium non est, quin ita præfatus esset: Ego sum Dominus Deus tuus, qui creaui cœlum & terram, & qui creaui te ad similitudinem & imaginem meam, & qui, postquam lapsus es in peccatum, promisi me nasciturum ex muliere, ut conteram caput Satanæ, & liberem te à tyrannide eius.

Eodem modo, si Filius Dei promulgasset Decalogum, statim postquam eduxit Abrahamum è patria sua, et promisit ei Semen benedictum, tunc assumpsisset hunc titulum: Ego sum Dominus Deus tuus, qui te uocaui è patria tua, & promisi me nasciturum è semine tuo, ut in me benedicantur uniuersæ gentes. Certe tale quid est, quod Genes. 28. ad Iacob dicitur, Ego sum Dominus Deus Abrahã patris tui, & Deus Isaac. Ad eundem modum, si filius Dei promulgasset Decalogum, postquam natus esset homo, & resurrexisset à mortuis, assumpsisset hunc titulum: Ego sum Dominus Deus tuus qui ad liberandum te ex potestate Satanæ, & ad expianda peccata tua, factus sum homo, ac suscepi mortem, & resurrexi iterum à morte, ut te in ueram

ueram uitam asſererem, &c. Ac profecto Hieremias haud obſcure ſignificat, quòd Chriſtus ſumpturus ſit ſibi alium titulum, quàm quem propoſuit quondam Decalogo, hoc eſt, quòd longe maius beneficium collaturus ſit in Eccleſiam, quàm ſit liberatio ex Ægypto. Sic enim ſcribit cap. 16. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & non dicent ultra: Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti, Sed, Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis, & de uniuerſis terris ad quas eieceram eos, hoc eſt, Viuit Dominus, qui uulgauit Euangelium ſuum in uniuerſam terram, & uocat omnes gentes ad communionem beneficiorũ ſuorum, quæ parauit nobis morte & Reſurrectione ſua. Et cap. 31. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, Non ſecundum pactum, quod pepegi cum patribus ueſtris in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti &c. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael. Poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorum &c. Quod Hieremiæ dictum intelligendum eſt de liberatione, & de donatione Spiritus ſancti, per Chriſtum. Quare his Propheticis dictis admoniti recte & pie faceremus, ſi hoc tempore præponeremus Decalogo talem præfationem, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui ſuſcepi propter te hominẽ, & expiaui peccata tua morte

mea

mea, & contuli ad te iusticiam & uitam, Resurrectione mea etc. Sed quia sumimus uerba Decalogi ex Mose, retinetur etiam uulgo præfatio Mosi. Et tamen sentiendum est, quod in hac Mosi præfatione loquatur Filius Dei Iesus Christus, qui est uerus & æternus Dominus Deus noster.

Posset autem Filius Dei longißimum dominationis et maiestatis suæ catalogum in titulo recensere, uidelicet: Ego sum Dominus Deus tuus, qui creaui cœlum & terram, qui creaui te ad similitudinem & imaginem meam, qui subieci terram sub pedibus tuis, qui seruaui Noham in diluuio, qui elegi Abrahamū & posteros eius in populum meum: breuiter, qui habeo potestatem in cœlo, in terra, in mari, in omnibus rebus, inter Angelos, homines & dæmones &c. Hæc inquam, omnia, & multa id genus alia potuisset enumerare, idq; uerißime. Sed pauca uerba dicit: Ego, inquiens, sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Sunt autem suæ causæ, cur maluit breui, quàm prolixo procœmio uti, inter quas & hæc una est, quòd hac tituli sui breuitate significare uelit, odiosam sibi esse arrogantiam Monarcharum huius terræ, qui in promulgandis edictis & mandatis suis solent nonnunquam aliquot pagellas suis tantum titulis complere. Discamus igitur statim in initio & præfatione Decalogi modestiam, ut quemadmodum Deus pauca di-

ea de se gloriatur, sed multa præstat, ita nos non gloriemur de nostris meritis, sed exhibeamus nos Deo obsequentes, ut Spiritu sancto donati, & adiuti, multa & magna faciamus.

De diuisione Decalogi.

IN Exod. cap. 31. dedit Dominus Mosi in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei. Hoc si pro nostro more explicandum esset, diceremus Mosi datam esse Tabulam duo Folia continentem. Sed hæ tabulæ confringuntur, Exod. 32. Iubet igitur Dominus Mosen alias tabulas parare, in quas inscripsit Decalogum, quemadmodum Deut. 10. dicitur. Quare cum duæ tabulæ, seu duo folia tabulæ fuerint, solent Decalogum in duas partes diuidere. Vna pars continet ea præcepta, quæ præscribunt immediatum cultum Dei, & ea opera, quibus immediate & proprie cum Deo agimus. Et hæc pars descripta est in primo folio Tabulæ, & constat tribus præceptis. Quanquam sunt, qui primum præceptum, uidelicet, de non habendis dijs alienis, et de non habendis & coledis simulachris, diuidunt in duo, ut fiant quatuor præcepta primi Folij. Hi necesse habent duo ultima præcepta de concupiscentia, quæ nos uulgo diuidimus, in unum coniungere. Altera pars continet ea præcepta, quæ præscribunt mutua inter homines opera. Quæ pars descripta est in secundo

Decalogi pars prima.

Decalogi pars secunda.

ſecundo folio, & conſtat ſeptem, aut ſex præceptis. Sentiendum autem eſt, quòd non tantum illa priora opera, quibus immediate cum Deo agimus, ſint cultus Dei, uidelicet, Fides, dilectio Dei, inuocatio Dei, auditus uerbi Dei, & id genus alia, ſed etiam ea ſunt cultus Dei, quæ in ſecundo folio præcipiuntur, & quæ præſtanda ſunt hominibus, ut ſunt, Honorare parentes, Non furari, Iuſte negociari, non committere adulterium, ſectari pudicitiam etc. Vnde Eſai. 1. dicitur, Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, defendite uiduam, Et uenite & arguite me, dicit Dominus. Hic exigit Deus opera ſecundi folij, & ſignificat ea ſibi placere.

Oſe. 6. Miſericordiam uolo, & nō ſacrificium. Nomine autem miſericordiæ, intelligitur beneficentia erga homines miſeros, & alia caritatis opera, quæ ſecundum folium Decalogi exigit.

Miche. 6. Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, utiq; facere iudicium, diligere miſericordiam, hoc eſt, miſericorditer & clementer alijs hominibus benefacere, &c. Vides igitur perſpicue, quòd opera in ſecundo Decalogi folio præcepta, quanquam homini exhibita, ſint tamen ueri cultus Dei. Sed de hac re poſtea in explicatione ſecundi Folij copioſius.

PRIMVM PRÆCEPTVM.

Non

Non habeas alienos Deos coram me.

QVæ ſit propria huius præcepti ſententia, Moſes ipſe interpretatur Deut. 6. dicens, Audi Iſrael, Dominus Deus ueſter Deus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua &c.

Sed priuſquam pergamus in interpretatione huius præcepti, admirabitur quiſpiam, qui fiat, q̃ uerus Deus tam ſollicite exigat, ut non habeamus coram ipſo alienos Deos, cũ tamen nulla fere gens, ac ne ethnici quidem ſenſerint, ſe alienos Deos, ſed tantum uerum Deum, adminiſtratorem & conſeruatorem cœli ac terræ colere. Non loquor nunc de craſſo uulgo, ſed de ſapientibus inter Ethnicos. Hi uiſi ſunt ſibi credere Deum eſſe mentem ſummam, æternam, omnipotentem, incomprehenſibilem, qua nihil melius, nihil maius poſſit cogitari, creatricem & gubernatricem rerum omnium, remuneratricẽ pietatis, ultricem impietatis. Quod cum ita ſentire uidentur, exiſtimant parum referre, quo nomine mens illa appelletur, Mundus, Natura, Iupiter, aut alio quocunq; nomine. Ioſephus, Iudaicarum antiquitatum ſcriptor, dicit Ariſtæum pro Iudæis apud Regem Philadelphum de Deo ita concionatum eſſe: Cognoui, q̃ tam Iudæi, quàm nos colamus Ioſeph: lib. 12. cap. 2. de Antiq.

eum Deum, qui omnia condidit, quem uocamus, ζῆ
να, hoc est, uiuificatorem, apto admodum uocabulo, q̃ omnibus largiatur uitam. Hactenus Aristæus. Ex hac concione uides, sapientes Ethnicorum existimasse, q̃ colant uerum Deum, qui non re, sed nomine tantum à Deo Iudæorum differat. Quòd si uocabuli differentia faceret alienum Deum, tunc & hi Christiani, quorũ alij essent Hebræi, alij Græci aut Latini, alij Germani colerent diuersos deos, q̃ alij aliter Deum appellent. Apud Eusebium extat decretum Maximini, in quo ita legitur, Nullus Christianorum cogatur inuitus ad Deorum cultum, sed habeat in arbitrio suo, quo quisque uelit ritu Deum colere &c. Ex huius decreti uerbis non est obscurum, quòd Maximinus existimauerit eundem Deum à Christianis & Ethnicis coli, differre autem tantum in modo seu ritu colendi.

Maximini decretum. Euseb. in Eccleſiaſ. hiſt. lib. 9. cap. 9

Cum igitur hæc ita se habent, existimare quisquam posset, q̃ superuacaneum sit præcipere, ne quis habeat alienos deos, cum omnes eundem Deũ, quamuis alij alijs nominibus & ritibus, colant. Sicut & his temporibus, Monachi putant se eundem Christum agnoscere, quem & uere pij agnoscunt, & esse tantum discrimen in aliquibus Ecclesiasticis cærimonijs. Sed res longe aliter se habet, id quod tum perspicuum fiet, cum ueram sententiam huius præcepti, Euangelio Christi traditam, & illustratam, perceperimus. Exposuimus enim su-

pra

prä, quòd cum in præfatione Decalogi dicitur: (Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti) loquatur Christus filius Dei, qui sicut omnia creauit, & Patriarchas selegit ac defendit, ita eduxit etiam Israelitas ex Ægypto.

Cum igitur hæc Decalogi præfatio sint uerba Filij Dei, dubium non est, quin et uerba præcepti, quæ sequuntur, intelligenda sint de Christo filio Dei, ut hæc sit sententia eorum, Non habeas alienos Deos coram me, hoc est, Non habeas, non agnoscas, non credas alios, præter me, Christos, filios Dei, ac seruatores. Hæc est propria & uerè Apostolica sententia huius primi præcepti, uidelicet, quòd mandatur nobis, ne alium agnoscamus Deum, seu Christum, seu saluatorem, præter Iesum Christum, unigenitum filium Dei. Certissimum enim est, quòd in hoc primo præcepto prohibeatur idolatria. Summa autem & maxima omnium idolatria est, cœlestem salutem in alia re quærere, præterquàm in Iesu Christo filio Dei, per fidem. Quare manifestum est, quòd in hoc præcepto maxime omnium prohibetur, ne alium saluatorem, præter Iesum Christum, quæramus, colamus & adoremus. Quid ergo? An non & Pater adorandus est, & Spiritus sanctus? Maxime. Etsi enim tres sunt distinctæ personæ in diuinitate, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & quòd Filius adorandus sit, habet à Patre, tamen hæ tres

Primi præcepti sententia.

perſonæ ſunt eſſentia ſua unus tantum uerus ab æterno Deus, ideoq; ſicut Pater, ita & Filius, & ſicut Pater & Filius, ita & Spiritus ſanctus eſt adorandus. Sed quia Pater nõ cognoſcitur, niſi per Filium, & Spiritus ſanctus non datur, niſi propter Filium, idcirco ignorato Filio, ignoratur & Pater & Spiritus ſanctus. Et quæſita ſalute extra Filiũ, quæritur et ſalus extra Patrem & Spiritum ſanctum. Itaq; in hoc primo præcepto præcipue exigitur, ut non agnoſcamus alium ſaluatorem, præter Chriſtum Filium Dei, ut cum hunc uere agnoſcimus, agnoſcamus etiam uere Patrem & Spiritum ſanctum, ne deſignemus idolatriam.

Sed percurramus autores, propagatores, & ſectatores idolatriæ, ut manifeſte intelligamus, quòd tum demum uera deſignetur idolatria, cum cœleſtis ſalus in alia re, præterquam in Chriſto filio Dei per fidem quæritur.

Idolatrarũ catalogus.

Satan.

Primus idolatra eſt Satan cum angelis ſuis, qui etiam eſt primus autor & inuentor idolatriæ. Hic enim cum eſſet creatus per Filium Dei, ut ipſum agnoſceret ſuum creatorem, & Seruatorem, & adoraret eum uerum Deum ſuum, auertit ſe ab eo, admiratione ſuæ ipſius nobilitatis, & maluit ex ſe ipſo ſuam ſalutem petere, hoc eſt, ſibi ipſi Deus eſſe, quàm Filium Dei pro autore ſalutis ſuæ agnoſcere & adorare. Diabolus, *inquit* Iohannes, *ab*

1. Ioh. 3. *initio peccat. Et, ille homicida erat (inquit* Chriſtus)

ſtus) & mendax ab initio. Atq; hæc quidem peccata deſignauit Satan ab initio humani generis. Decepit enim Adamum mendacio, & occidit eum peccato. Sed erat & antea peccator, ab initio creationis ſuæ. Quæramus igitur, quod fuerit illud peccati genus, quod ſatan deſignauit, priuſquam Adamum decepit, & in mortem coniecit. Hoc autem haud difficulter deprehendere licet, ſi ingenium, naturam & opera Satanæ conſideraverimus.

Satanæ peccatum ab initio.

Summum enim ſtudium ſatanæ iam inde ab initio mundi ſemper fuit, & adhuc eſt, ſemperq; erit, ut pugnet cum Filio Dei, & perſequatur eum, ſiue in ipſius perſona, ſiue in membris eius, hoc eſt, hominibus credentibus in Filium Dei. In Gene. cap. tertio dicitur ad Serpentem, hoc eſt, ad Satanam, Semen mulieris (quod eſt Chriſtus) mordebit caput tuum, & tu uiciſſim mordebis calcaneum eius. Quo ſignificatur, quòd Satan hoc unum noctesq; diesq; agat, ut cum uideat ſe opprimi à Filio Dei, uiciſſim ipſe Filium Dei opprimat, et omnino, ſi queat, extinguat.

In Apocalypſi, Draco ſtat ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperiſſet, filium eius deuoraret. Hic eſt Satan, qui in hoc ſolum ſtudium incumbit, ut deuoret Chriſtum, & deturbet eum, quantum in ipſo eſt, è throno maieſtatis ſuæ. Cum igitur ſemper ab initio humani generis declarauerit odium ſuum aduerſus Filium Dei, et conatus

sit homines à Filio Dei, ad sui obsequium abducere, ut non in Filio Dei, sed in se ipso salutem quærant, dubium non est, quin hoc primum, adeoq; perpetuum sit peccatum Satanæ, quòd seipsum, contempto Christo filio Dei, admiretur, & ex seipso omnem salutem petere, ac sibijpsi Deus seruator esse uelit. Itaq; Satan fuit primus autor & inuentor idolatriæ, quòd maiestatem, quæ debetur Filio Dei, ad seipsum rapere, & seipsum Deum facere studuerit.

Adam quo modo sit factus idolatra.

Secundus idolatra est Adam. Hic factus est idolatra tali modo: Initio Adam creatus est, in uera Filij Dei cognitione. Agnoscebat enim se non solũ à Patre per Filium creatum, sed etiam Filium Dei esse suam iusticiam, sapientiam, salutem, & fœlicitatem, quippe q; ad imaginem & similitudinem eius creatus esset. Agnoscebat Filium Dei esse uerum & unicum caput Ecclesiæ, & Ecclesiam esse carnem & ossa, hoc est, Corpus eius, ut tota Ecclesiæ salus à Filio Dei pendeat. Nam de hac re conciona tur Adam, cum uideret Euam è costa sua formatam. Hoc nunc, inquiens, os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Et mox: Erunt duo in carnem unam. Hæc uerba dixit Adam, præditus adhuc Spiritu sancto. Non sunt autem intelligenda de externo tantum coniugio, Sed maxime omnium de coniugio inter Christum & Ecclesiam. Sic enim Paulus ad Ephesios scribens, Mysterium, inquit, hoc magnum

magnum est, Ego autem loquor de Christo, & Ecclesia eius. Quare cum Adam habuerit adhuc, cũ uerba illa loqueretur, Spiritum sanctum, dubium non est, quin hoc mysterium perspicue intellexerit. Itaq; uere cognouit, quòd uera sapientia, iustitia, salus, & ueritas hominis tota à solo filio Dei, per quem, & ad cuius imaginem ac similitudinem creatus est, pendeat.

Postquam autem Adam magis præbuisset aures mulieri à Satana deceptæ, quàm obediret uerbo Dei, quod antea audiuerat, elegit sibi pomum, cuius esu consequeretur ueram sapientiam, ac fieret sicut Deus, sciens bonum et malum. Itaq; prætulit pomum Filio Dei, & factus est idolatra in pomo, propterea q, maluit sapientiam, salutem, ac diuinitatem suam ex pomo, quàm ex Filio Dei accipere, & plus confisus est pomo, q̃ Filio Dei. Qua idolatria non solum amisit Spiritum sanctum, & ueram cognitionem Filij Dei, sed etiam amisit omnem salutem, & coniectus est in summam ignorantiam & impietatem. Etsi enim relicta fuit in eo nonnulla cognitio Dei, tamen sicut reliqua uita post peccatum in Adamo, non est uera & constans uita, sed potius progressus ad mortem, & continua exhalatio uitæ, ita & reliqua cognitio Dei in Adamo post peccatum, non est uera & firma cognitio, sed tam imbecillis est, ut una eaq; leui admodum tentatione excutiatur. Habes igitur

nunc ſecundum idolatram, Adamum, qui tamen poſtea egit pœnitentiam, & recepit cognitionem Filij Dei, ex promiſſione, quæ dicta fuit de Semine mulieris, ſeu Filio uirginis, contrituro caput Serpentis.

Omnes homines idolatræ.

Porro quia in lumbis Adæ omnes poſteri eius fuerunt, idcirco non eſt ſibi ipſi tantum in ſua perſona idolatra factus, ſed propagauit idolatriam in omnes poſteros ſuos, ut quotquot homines ex ipſo deſcendunt, ſint natura idolatræ. Propter unum hominem, inquit Paulus, peccatum in mundum intrauit. Et: Per unius delictum propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem. Primum autem omnium, & præcipuum peccatum Adæ fuit idolatria. Omnes igitur homines naſcuntur ab Adamo idolatræ. Vbicunq; enim quæritur iuſticia, ſalus & redemptio, præterquam in Chriſto filio Dei per fidem, ibi deſignatur idolatria. Solus enim Chriſtus filius Dei, factus eſt, ut Paulus ait, nobis à Deo ſapientia, iuſtificatio, & redemptio. Et Petrus, Non eſt aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Homines autem ab Adamo propagati, ignorant natura ſua Filium Dei, & quærunt ſapientiam, iuſticiam, ac ſalutem ſuam, non in ipſo Filio Dei, ſed in alijs rebus utcunq; oblatis, & aliquam diuinitatis ſpeciem habentibus. Omnes igitur homines ab Adamo propagati, ſunt natura idolatræ.

Rom. 5.

Sed

Sed deſcendamus ad poſteros Adæ, ut manifeſte cognoſcamus idolatriam in ipſis propagatam eſſe. Ab Adamo nati ſunt Cain, & Abel. His idolatria naturaliter inhæſit, fueruntq; idolatræ natura, ex propagatione Adami, quia natura ignorauerunt Filium Dei, ideoq; non potuerunt in eo quærere ſalutem ſuam. Sed Adam docuit eos Euangelium de Semine mulieris, ſeu de Filio Virginis (qui eſt Chriſtus filius Dei) contrituro potentiam Satanæ, & inſtituit Sacrificia tanquam ſacramenta, quibus admonerentur de futuro Sacrificio Filij Dei, quo expiandum eſſet peccatum, & iuſticia impetranda. Inter hos igitur duos fratres, Abel credidit Euangelio de Filio Dei, et ſacrificauit ex hac fide, de primogenitis gregis ſui, ut fidem ſuam tam declararet, quàm confirmaret. Cain autem manſit impius et idolatra, non credidit Euangelio, non agnouit Filium Dei per fidem. Itaque non quæſiuit in eo ſalutem ſuam, ſed potius in ſe ipſo, & in ſacrificio ſuo. Confiſus enim merito ſuæ iuſticiæ, et ſacrificij, promiſit ſibi non tantum terreni, uerum etiam cœleſtis Regni hæreditatem. Quare etſi Adam recte docuit de Sacrificio, tamen Cain, non renatus per Euangelium, abuſus eſt eo ad ſuam impietatem, et fecit ex eo idolum, de quo multo honorificentius, quàm de Filio Dei, quem non uoluit agnoſcere, ſenſit. Cain idolatra.

Deinde ſecuta eſt idolatria, in toto orbe terarum

Idolatria usq; ad diluuium.

rarum, usq; ad diluuium. Etsi enim nullum scriptum, quod ego sciam, extat, quod testificetur, institutas fuisse ante diluuium statuas in diuinum cultum, et homines adorasse externo cultu alienos deos, tamen naturalis idolatria propagata fuit iã inde ab Adamo in omnes posteros eius, quæ allata ad Sacrificia etiam diuinitus instituta, fecit ex ipsis idola, seu alienos deos. Postquã enim amissa esset, abiecto Filio Dei, iusticia & salus, nihilominus autem tenerentur homines iusticiæ & salutis desiderio, arripuerunt quoduis obuium, quod saltem aliquam diuinitatis speciem haberet, et selegerunt sibi illud in hunc usum, ut in eo uel faciendo, uel colendo iusticiam et salutem consequerentur. Nec quisquam potuit hanc naturalem idolatriam carni inhærentem compescere, nisi qui in familijs Patriarcharum crediderunt in semen mulieris, hoc est, in Filium Dei, ex qua etiam fide usi sunt sacrificijs (quæ quidem tunc fuerunt diuinus cultus) nõ ut meritis eorum seruarentur, sed ut fidem suam confirmarent, & testificarentur, & his sacris concionem de futuro sacrificio Filij Dei ad posteros propagarent. Sicut ergo Adam seductus, exercuit imitio idolatriam in pomo, ita posteri eius, quibus natura inhæserat idolatria, et qui non renascebantur per fidem, exercuerunt eam in sacrificijs, & reliquis sacris, quæ inter Patriarchas fuerunt usitata. Nec adeo mirum est, quòd idolatria exer-

ceatur non tantum in idolis, qualia Gentes habuerunt, uerumetiam in ueris & legitimis ſacris diuinitus inſtitutis. Nam pollutis, inquit Paulus, & infidelibus nihil eſt purum, Sed polluta eſt illorum mens & conſcientia. Sic & idolatris omnia ſunt idola. Quemadmodum enim is, cui dominatur affectus auariciæ, exercet auariciam ſuam non tam mille aureis ad uſuram collocandis, quàm decem aut uiginti ouis uendendis: ita & is, qui non eſt regeneratus per fidem, exercet idolatriam ſuam tã in ſacris diuinitus inſtitutis, quàm in cultibus à ſe ipſo excogitatis. Propterea quòd cum quærat iuſticiam & ſalutem, ignoret uero, aut contemnat filium Dei, fieri non poßit, quin ex quauis re, quæ modo aliquid in ſe diuinitatis habere uidetur, iuſticiam & ſalutem ſuam petat.

Idolatria poſt diluuium.

Sed perſequamur etiam paucis ea quæ poſt diluuium geſta ſunt. Noha enim cum filijs ſuis ex arca egreſſus, ſtatim obtulit ſacrificia. Ac Noha, etſi etiam ipſe habuit in carne ſua naturalem idolatriam, tamen renatus per fidem uſus eſt ſacrificijs pie, uidelicet non ut reportaret ex operib. et meritis ſacrificiorum ſuorum ſalutem, ſed ut ſacrificijs confirmaret fidem ſuam in filium Dei, futurum ſacrificium pro peccatis noſtris, et declararet his ſacris ſuam erga Filium Dei obedientiam, ac propagaret Concionem de Filio Dei ad poſteros ſuos. Nam hæc ſola eſt uera religio, & uera fides, agnoſcere

ſcere Chriſtum filium Dei, quòd propter hunc ſolum habeamus uitam, ſapientiam, iuſticiam, ſanctitatem & ſalutem, quæ etiam non in alijs rebus, ſiue terrenis, ſiue cœleſtibus, ſiue infernis, Sed in ſolo Chriſto filio Dei quærenda ſunt per fidem. Et hanc Religionem profeſſus eſt Noha ſacrificijs ſuis.

Ex filijs autem Nohæ, & poſteris eorum orti ſunt per ſucceßionem duo ordines hominum. Alter eſt populus Gentium incircunciſarum, alter Iudæorum circunciſorum. Manſerunt autem apud utrunq; populum ſacrificia. Propagata eſt etiam in utriuſq; populi carne naturalis idolatria. Sed in poſteris Sem & Abrahæ inſtaurata eſt Concio de Filio Dei, qui uocatus eſt Semen mulieris, & ſemen Abrahæ. Itaque nonnulli ex his facti ſunt ueri cultores Dei per fidem. In poſteris autem Cham et Iaphet manſerunt tantum ſacrificia, à Patriarchis accepta, ſed Concio de Filio Dei & contempta fuit inter ipſos, & amiſſa. Quare cum non renaſcerentur per fidem in Filium Dei, non ſolum attulerunt naturalem ſuam idolatriam ad ſacrificia, à Patribus accepta, uerumetiam excogitauerunt noua ſacrificia, & nouos cultus Dei. Præterea ſtatuas, & abſurdißimos quoſdam ritus religionis, quibus ſperauerunt ſe conſecuturos iuſticiam & ſalutem. Euſebius ſcribit, Antiquißimis temporibus effigies animalium ab Ægyptijs, in gaCham et Iaphet idolatræ.

leis

leis gestari solitas, ac fuisse signa imperij. Parta autem uictoria, ea animalia, quorum effigies à ducibus gestatæ fuissent, consecrata esse in deos. Hinc est, quòd Ægyptus impleta fuerit absurdissima idolatria, & coluerit pro dijs bestias etiam abiectissimas. Paulus ad Romanos scribens, de gentibus dicit: Mutauerunt gloriam immortalis Dei per imaginem non solum ad mortalis hominis similitudinem efficiam, uerumetiam uolatilium, & quadrupedum, & reptilium. Considerandum autem est, quòd gentes non fuerint tam rudes, ut senserint ista animalia uere esse deos, sed dicuntur ea pro dijs coluisse, quòd existimauerint, è cultu horum animalium consequi apud uerum Deum salutem & fœlicitatem. Atque hæc quidem de gentibus. Euseb. de præpara. Euangeli. lib. 2. ca. 1.

Inter Iudæos autem, etsi manserunt sacrificia à Patriarchis accepta, et Prædicatio de Filio Dei, nec fuerunt publicis legibus permissæ statuæ, quæ colerentur, in maxima tamen parte Iudæorum hæsit naturalis idolatria, quam afferentes siue ad sacrificia legitima, siue ad alia sacra à seipsis excogitata & usurpata, facti sunt idolatræ, quia quæsiuerunt salutem suam non in Filio Dei per fidem, sed uel in ordinarijs sacris, uel in ficticijs cultibus Dei. Iudæorum idolatria.

Veniamus ad Christianos. Postquã enim Christus natus est, et uulgauit Euangelium suum in orbem

bem terræ, desijt quidem paulatim externa idolatria Gentium & Iudæorum, mansit tamen natura lis idolatria sicut erat ab Adamo propagata, in carne totius humani generis. Diuisum autem est humanum genus in tres partes, in Iudæos, in Christianos, & in Mahumetistas. Ac apud Iudæos quidem et Mahumetistas, penitus extincta est uera cognitio Filij Dei. Quare hi afferentes naturalẽ suam idolatriam ad sacra sua, etsi gloriantur de cultu ueri Dei, tamen non sunt, nisi idolatræ, q, existiment se merito suorum sacrorum consequi apud Deum salutem. Inter Christianos autẽ, manet quidem prædicatio Euangelij de Christo, pauciſsimi tamen sunt, qui discunt ueram cognitionem Christi. Reliqui omnes, retinentes suam naturalem idolatriam, & afferentes eam non tantum ad ficticia sua, uerumetiam ad ordinaria et legitima in Christianiſmo sacra, designãt coram Deo idolatriam. Hinc sunt ordines monastici, discrimen ciborum, sacrificia Missarum, Cultus sanctorum, et infinita alia, quæ Hypocritæ faciunt, ut meritis talium operum consequantur à Deo salutem.

Humani generis tres partes.

Christianorum idolatria.

Hæc idcirco tam copioſe recensuimus, ut cognoſceremus non solum originem idolatriæ, uerumetiam quæ proprie sit uera idolatria. Hæc enim tum designatur, cum aut ignorato aut contempto Filio Dei, quæritur cœlestis salus in alijs rebus siue cœlestibus, siue terrenis, siue infernis.

Sicut

Sicut & hæc sola uera est religio & fides, cum agnoscimus Christum Filium Dei, & credimus, quòd propter hunc solum Deus sit nobis propicius, remittat nobis peccata, adoptet nos in filios suos, & seruet nos in morte, ad æternam uitam. Non enim aliud est nobis datum nomen, in quo oporteat nos saluos fieri. Et: Sic dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Quæ in primo præcepto prohibeantur

POSTQVAM exposuimus, quæ sit idolatria, & unde initio orta sit, aggrediemur nunc, diuina clementia adiuti, ad exponenda ea, quæ sunt in hoc primo præcepto prohibita. Ac manifestum quidem est ex ijs, quæ iam commemorauimus, quòd in hoc præcepto generaliter prohibita sit idolatria, uidelicet, q̃ non debeamus alium Christum, alium seruatorem & liberatorem à peccatis & morte agnoscere, præter unigenitum Filiũ Dei, per quem orbis conditus est, & Israelitæ ex Ægypto liberati sunt, Et qui in plenitudine temporis assumpsit hominem, ut homines in ipsum credentes transferret in regnũ Patris sui. Sed hæc idolatria, qua uel nulli uel alieni seruatores in cœlo quæruntur, et quæ naturaliter homini inhæret, solet

Idolatria prohibita.

ſolet ſeſe in ijs hominibus, qui non ſunt ex Euangelio per Spiritum ſanctum renati, uarijs modis & ſpeciebus prodere et in carne dominari. Recitabimus igitur idolatriæ ſpecies, ut intelligamus quàm late hoc præceptum pateat.

Idolatriæ ſpecies.

Epicurei.

Prima ſpecies idolatriæ eſt impietas Epicureorum & Pyrrhoniorum, eorum uidelicet, qui ſentiunt aut nullum eſſe Deum, nullum eſſe Filium Dei ſeruatorem, aut ſi quis eſt, nullam eum habere curam et prouidentiam rerum humanarum. De quibus Pſalmus 13. ait: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Et Thren. 3. Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret Domino non iubente. Ex ore altißimi non egredientur nec bona nec mala &c. Tales impios etiam honeſtæ Gentes damnauerunt.

Ethnici.

Secunda ſpecies eſt impietas Ethnicorum, qui etſi ſenſerunt eſſe Deum uerum, tamen non agnouerunt uerum Chriſtum filium Dei, ſed excogitauerunt ſibi multos Deos, & uaria idola, quorum cultu conſequerentur iuſticiam & ſalutem. Hi quia finxerunt uarios Chriſtos, hoc eſt, ſeruatores & iuſtificatores, & non agnouerunt uerum Chriſtum, fuerunt impij idolatræ.

Iudæi.

Tertia ſpecies eſt impietas eorum Iudæorum, qui ignorato aut contempto Filio Dei per Prophetas promiſſo, & legitimis ſacris adumbrato, inſtituerunt noua ſacra in Excelſis, in Lucis, & in ual

libus

libus, ac sperauerunt se meritis horum sacrorum consequi iusticiam & salutem coram Deo. Hi habuerunt coram uero Christo, tot alienos Christos, quot sacra ad expianda peccata sua fecerunt.

Quarta species, est impietas Phariſæorum & hypocritarum inter Iudæos, qui, etsi non instituerunt illegitima sacra in excelsis & uallibus, sed fuerunt contenti legitimis sacrificijs, excogitauerunt tamen alios cultus Dei, uidelicet, certa ieiunia, certas preculas, fimbrias uestimentorum, lauationes manuum, & alia, quibus tribuerunt meritū expiationis peccatorum, & perpetuæ salutis. Hi quia non quæsiuerunt iusticiam & salutem in uero Christo Filio Dei, per fidem, sed in meritis suorum sacrorum & operum, fuerunt idolatræ, non cultores ueri Dei. Phariſæi.

Quinta species est impietas hæreticorum, qui non recte senserunt de Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Longum autem esset omnes hæreticorum species enumerare. Attingamus nūc duas tantum species. Alij enim hæretici dicti fuerunt Marcionitæ, qui senserunt Christum non esse uerum hominem. Alij dicti sunt Ariomanitæ, qui senserunt Christum non esse uerum ab æterno Deum. De quibus consulendi sunt ueteres autores, Tertullianus, Athanasius, Epiphanius, Hilarius, & alij. Hæretici.

Sexta species, est impietas Mahumetistarum, seu Turcarū. Hi etsi fatentur unum uerum Deum, stæ. Mahumeti

& ſentiunt Chriſtum ueniſſe in hunc mundum, ac edidiſſe magna miracula, quem & Verbum Dei uocant, tamen ſunt idolatræ, quia non tribuunt Chriſto ueram ſuam maieſtatem. Sentiunt eũ tantum legislatorem fuiſſe, & non eſſe pro peccatis noſtris mortuum. Tribuunt autem expiationem peccatorum & æternam ſalutem, meritis ſuorum operum, quæ ipſi ſine uerbo Dei excogitant. Quare cum habeant alienos Chriſtos coram uero Chriſto, ſunt idolatræ.

Miſſifices. Septima ſpecies idolatriæ eſt eorum Chriſtianorum, qui faciunt & audiunt ſacrificia Miſſarum, pro peccatis uiuorum & mortuorum, ac pro conſequenda fœlicitate rerum terrenarum & cœleſtium. Solent enim ſacrificia Miſſarum celebrari pro fœlici fortuna omnium rerum, ſiue in hoc, ſiue in futuro ſeculo. Hæc eſt uera idolatria, quia quod in Deo quærendum & accipiendum eſt per fidem propter ſolum Ieſum Chriſtum filium Dei, hoc iſti quærunt & accipere cupiunt per Miſſam propter opus meritum et ſacrificium Miſſæ. Vides ergo omnia ſacrificulorum & Monachorum templa plena eſſe idolatriæ.

Monachi. Octaua ſpecies eſt impietas Monachorum, qui ſentiunt opera Ordinum ſuorum eſſe expiationes peccatorum & merita perpetuæ ſalutis.

Nona ſpecies eſt impietas inuocantium Sanctos mortuos, quia unus ſolus Deus in nomine Ieſu

ſu Chriſti, non in nomine Sanctorum inuocandus eſt.

Decima eſt impietas eorum, qui colunt & adorant ſtatuas ſeu imagines Sanctorum, & putant ſe precibus ſuis apud ſtatuas effuſis, benedictionem Dei conſequi. Hi tot Chriſtos ſibi faciunt, quot ſtatuas colunt & uenerantur. Imaginum cultores.

Vndecima eſt impietas omnium hypocritarum in Chriſtianiſmo, qui pollicentur ſibi remiſſionem peccatorum, et propicium Deum, propter merita ſuorum operum, quæ opera uel ex lege Dei, uel ex ſuis ipſorum adinuentionibus faciunt. Hypocritæ Chriſtiani.

Duodecima eſt impietas omnium arrogantium & ſuperborum hominum, qui rerum fœlicitatem tribuunt ſuæ ſapientiæ & uirtuti, ſicut Nabuchodonoſor, Dan. 4. & Herodes Act. 12. Superbi.

Decimatertia eſt impietas omnium auarorum hominum. Nam auaricia eſt idolatria, Ephe. 5. & Coloſſ. 3. Auari.

Decimaquarta eſt impietas Magorum, maleficarum, augurum, & id genus aliorum, qui ſentiunt ſuas incantationes eſſe cauſas fœlicitatis rerum. Vnde Deut. 18. dicitur: Non augures, & incantatores, ſed Prophetam, Chriſtum, audiendum eſſe. Etſi autem poſſunt plures ſpecies enumerari, quibus naturalis noſtra idolatria ſeſe prodit, tamen quia quæ reliquæ ſunt ſub his continentur, progrediamur ad explicationem eorum, Magi.

quæ hic de usu Sacramentorum obijci possunt. Si enim idolatria est, petere salutem suam ex alijs rebus, præterquàm ex Christo per fidem, cur iubemur uti Sacramentis? Cur ueteres usi sunt Circuncisione & Sacrificijs? cur non utimur baptismo, cœna Dominica, & prædicatione Euangelij? Nam qui cupiunt remißionem peccatorum, consolationem in aduersis, liberationem à malis, & salutem, conferunt sese ad auditum Euangelij, & ad usum Sacramentorum. Si ergo remißio peccatorum, & uera ac æterna salus, tantum in Christo quærenda sunt, quomodo utendum est Sacramentis, ne designemus idolatriã? Negari certe nõ potest, quin impij Israelitæ designauerint idolatrian non in excelsis tantum, sed etiam in legitimis sacrificijs, quemadmodum testantur Esai. cap. 1. & 66. & Hiere. cap. 7. Sic non est inusitatum, quòd & impij Christiani faciant ex concione Euangelij, & Cœna Dominica, idolum, & designent in horum usu idolatrian. Quemadmodum enim accidere potest, ut quispiam fiat adulter in sua propria uxore, & fur in suis proprijs facultatibus, uidelicet, cum retinet facultates, ubi debet & potest egentem iuuare, Ita accidere solet, ut homo exerceat idolatrian in ueris ac legitimis sacris. Quod ut recte intelligamus, consideremus iterum, quæ sit uera religio, & quis uerus Dei cultus, quo iustificamur & saluamur. Nam uera Religio hæc est, ut credamus, quòd

Obiectio de usu Sacramentorum.

Vera Religio.

Iesus

Iesus Nazarenus filius uirginis Mariæ, sit uerus Meßias, seu Christus, æternus Filius Dei. Et quòd propter hunc solum, si credimus in eum, consequimur à Deo patre remißionem peccatorum, reputemur iusti, adoptemur in filios Dei, & fiamus hæredes æternæ salutis. Hæc religio, non tunc primum exorta est, cum Iesus Christus natus est homo, sed prædicata fuit ab initio orbis terræ. Cum enim homo peccato interijsset, recepit Deus se mißurum Filium suum in hunc mundum, qui expiaturus sit sacrificio suo peccatum mundi, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Quare priusquam Filius Dei homo fieret, institu- *Sacrificia cur institu-*
ta est Circunciſio, instituta sunt Sacrificia, non ut *ta.*
homines crederent, se propter ipsas horum sacrorum actiones, aut propter merita eorum consequi remißionem peccatorum & salutem. Sed ut essent sacramenta & signa, quibus excitaretur, confirmaretur, et conseruaretur fides in promissum Christum filium Dei. Quæ fides si uera est, credit, quòd iustificemur coram Deo, seu absoluamur à peccatis, tantum propter Christum.

Similiter postquam Christus filius Dei natus *Prædicatio*
est homo, instituta est prædicatio Euangelij, insti- *Euangelij*
tuta sunt Sacramenta, uidelicet, Baptismus, & Cœ- *& Sacra-*
na Dominica, non ut homines sentirent, quòd ab- *menta cur*
soluerentur coram Deo à peccatis suis, hoc est, *instituta.*
iustificarentur, propter usum harum rerum per

ſe,& propter meritum actionis,earum,Sed ut uſu earum cognoſcerent Chriſtum, conciperent fidem in Chriſtum,confirmarent & conſeruarent fidem in Chriſtum, quæ fides eò reſpicit, quòd contingat nobis ſalus tantum propter Chriſtum. Ex hac ſola fide pendet tota ſalus non noſtra tantum, ſed etiam Patriarcharum. Neque enim alia fuit ſalutis uia Patriarchis,quàm nobis propoſita. Sed una omnium eſt, uidelicet fides in Chriſtum, q̃ propter hunc ſolum abſoluamur à peccatis, & ſeruemur. Quid tentatis Deum, inquit Petrus, ut imponatis iugum ſuper ceruices diſcipulorum,quod neq; patres noſtri,neq; nos potuimus portare, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros,quemadmodum & illi. Quare ſi quis utitur Euangelij auditu, Baptiſmo, & Cœna Dominica,ut cognoſcat Chriſtum, et confirmet fidem ſuam, is non committit idolatrian, quia non quærit alienum Chriſtum,ſed utitur ordinatione & inſtituto Chriſti, ad confirmandam fidem in uerum Chriſtum.

Fides Patriarcharum & noſtra una eſt. Act.15.

Falſa autem Religio,ſeu idolatria,eſt, cum homo ſentit ſe conſequi à Deo remiſſionem peccatorum,iuſticiam & ſalutem propter actiones et merita ſuorum operum. Hic enim quærit aliud nomen,in quo ſaluus fiat,præter Chriſtum, per fidẽ. Quare qui ſic affectus eſt, deſignat idolatrian, in quocunque opere, quod tali opinione faciendum ſuſcip-

Religio falſa ſeu idolatria.

ſuſcipit. Itaq; Iudæus afferens hanc opinionem ad opera Circunciſionis & legitimorum ſacrificiorum, deſignat idolatrian. Etſi enim non potuit coram humano iudicio accuſari idolatriæ, tamen coram Deo fuit uerus idolatra, quòd abuſus ſit Sacramentis fidei contra fidem. Sic etiam Chriſtianus afferens talem opinionem ad auditum Euangelij, ad Baptiſmum, & Cœnam Domini, & confidens ſe iuſtum fieri propter merita horum operum, ſeu actionum, is abutitur Sacramentis fidei contra fidem, & eſt idolatra, etiamſi non poteſt coram hominibus idolatriæ accuſari, niſi cum aut impietatem ſuam manifeſte confitetur, aut illegitima ſacra, et prohibitos cultus Dei ſectatur. Nam quemadmodum, ſi quis ſpinam geſtat in pede, quacunque incedit, calcat ſpinam, non quòd uia ſit plena ſpinis, ſed quòd ipſe ſpinam ſecum afferat, ita is, cui naturalis idolatria ſic dominatur, ut non niſi ex meritis ſuæ ipſius iuſticiæ ſalutem petat, ſemper deſignat idolatrian, quodcunque opus, quantumcunque alioqui honeſtum & bonum fecerit.

Sed hæc de idolatria, & ſpeciebus eius, quæ in primo præcepto prohibita ſunt, ſufficiant.

Quæ in primo præcepto mandentur.

EXPONAMVS igitur nunc, quæ in hoc

primo præcepto sint mandata. Sed hæc facile cognosci possunt, si recte cognouerimus, quæ sint prohibita. Nam quæ prohibentur uicia, horum contrariæ uirtutes mandantur. Quare si prohibetur idolatria, haud difficulter cognoscitur, quòd mandetur uerus ueri Dei cultus, seu religio. Etsi prohibetur, ne in alio, præterquàm in Christo, quæramus iusticiam & salutem per fidem, manifestum est, q̃ mandetur nobis, ut credamus solum Iesum Christum filium Dei, esse uerum et æternum Deum seruatorem nostrum.

Primum igitur, quia ostendimus supra, quòd filius Dei commemorauerit Decalogum in monte Sinai, & dixerit: Non habebis alienos deos coram me. idcirco præcipit, mandat, & exigit, ut solum ipsum, uerum Deum, saluatorem nostrum agnoscamus. Et quia Pater, à quo Filius ab æterno genitus est, & postea in hunc mundum missus, et Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio procedit, sunt eiusdem essentiæ cum Filio, idcirco præcipitur nobis, ut Patrem & Spiritum sanctum, unà cum Filio, solum uerum & æternum Deum agnoscamus. Nam si in diuinitate consideraueris personas, tres sunt distinctæ personæ. Si autem consideraueris in diuinitate Essentiam & Maiestatem, unus tantum est uerus & æternus Deus, omni officio à nobis colendus & adorandus, quemadmodum aliàs copiosè demonstratum est. Cum igitur præcipitur nobis,

bis, ut ſolum Chriſtum filium Dei pro uero Deo et ſeruatore noſtro habeamus, præcipitur etiã, ut ſolum Patrem Chriſti, & Spiritum ſanctum eius pro uero Deo & Seruatore noſtro habeamus, quia hæ tres Perſonæ, ſunt eſſentia ſua tantum unus Deus.

Deinde præcipitur, ut hunc Deum patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum diligamus, colamus, timeamus, ueneremur, adoremus & inuocemus ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine noſtra. Sic enim Moſes ipſe interpretatur hoc præceptum, Deut. 6. Et Chriſtus confirmat hanc interpretationem Matth. 22.

Præterea præcipitur, ut omnia bona opera, quæ hic uerus Deus uerbo ſuo mandat, faciamus ſine ulla tergiuerſatione, tota mentis propenſione, nulla carnis repugnantia, & ſine ullo uicio. Mandatur enim dilectio Dei, non ex dimidio, ſed ex toto corde, & non ex dimidia, ſed ex tota anima & fortitudine. Vnde & Moſes Deut. 6. addit: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies.

Poſtremo præcipitur, ut omnia mala ſeu afflictiones, quas nobis uerus Deus imponit, obedienter, ſine ullo murmure, ſine ulla rebellione, ſine ullis conuicijs, feramus. Non ſimus impacientes, non accuſemus Deum iniquitatis, non inuehamur in DEVM implijs, contumelioſis & blaſphemis, ſeu

cogitationibus, seu uerbis, Sed toleremus omnia aduersa tam pacienter, ut nobis omne afflictionis meritum & omnem iniusticiam, Deo autem omnem iusticiam & æquitatem adscribamus. Etsi enim Deus non semper immittit afflictiones in homines pios, propter certum peccatum, & pij patiuntur sæpenumero persecutionem propter iusticiam, et nomen Christi, tamen semper nobis coram Deo confitendum est illud Psalmi: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et illud: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et illud: Tibi tantum pecco, & malum coram te facio, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Nam quod hoc præceptum Dei exigat tam perfectam & absolutam in omnibus tam actionibus quàm passionibus obedictiam, non solum docet hoc dictum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, uerumetiam illud Pauli, Rom. 7. Lex est spiritualis, hoc est, Lex non exigit tantum externa opera sed exigit in homine Spiritum sanctum, qui perfecte omnia sine ullo uicio impleat.

Præmia seruati, & supplicia uiolati huius primi præcepti, ac totius Decalogi.

IN commemoratione primi præcepti Decalogi ad-

additur Exod. 20. & Deut. 5. hæc appendix: Ego Dominus Deus tuus, Deus ſum zelotes, ſeu æmulator, uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia, his qui diligunt & cuſtodiunt mandata mea. His uerbis docet Dominus, quæ præmia maneant eum, qui ſeruat Decalogum, & quæ ſupplicia maneant uiolatorem et præuaricatorem Decalogi. Ego, inquiens, Dominus Deus tuus, ſum zelotes, ſum zelotypus, ſum æmulator. Sicut enim honeſtus maritus ferre non poteſt, ut uxor eius exerceat cum alio impudicitiam, ita ego non poſſum ferre, ut alium Deum coram me habeas, ut in alio, præterquã in meipſo, quæras iuſticiam et ſalutẽ. Ferre non poſſum, ut partim me, partim alios adores. Volo & exigo totam adorationem, uolo et exigo dilectionẽ totius cordis & omnium uirium tuarum. Diligas, uolo, me ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua.

Quid ergo ſupplicij manet eum, qui uerum Deum, uerum Chriſtum filium Dei deſerit, et quærit alios deos, alios Chriſtos ac ſeruatores, & exercet idolatriam? Viſito, inquit, iniquitatem patrũ, in poſteritate eorum.

Primum enim, Deus punit autores & magiſtros idolatriæ, non uno tantum genere corporalis afflictionis, ſed ablatione omnis fœlicitatis eorum

rum in hoc mundo. Deinde pœna non resistit tantum in autoribus idolatriæ, sed propagatur & grassatur etiam in posteros eorum, usque ad tertiam, adeoq; quartam generationem, hoc est, Deus solet idolatriam punire internecione totius familiæ. Ac alia quidem scelera, uidelicet, Ebrietas, scortatio, impostura alijs pœnis in hoc seculo puniri solet, uidelicet, penuria rerum, pestilentia, incursionibus hostium &c. Idolatria autem solet puniri totius gentis deuastatione. Exemplum habes in Adam, qui cum designaret idolatriam in pomo, & quæreret in eo suam diuinitatem & felicitatem, non ipse tantum punitus est sententia mortis, hoc est, exterminio è uita, sed etiam uniuersa posteritas eius, quia in Adam omnes moriuntur.

Exẽpla punita idolatriæ.

Deut. 8. Si oblitus Domini Dei tui, secutus fueris Deos alienos, coluerisq; illos, & adoraueris, ecce nunc prædico tibi, quòd omnino dispereas, Sicut gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo, &c. Docet Moses, quòd & gentes terræ Canaan deletæ sint propter idolatriam, & Iudæi sint delendi, si & ipsi exemplo Gentium idolatrian sectentur.

Iud. 8. instituit Gideon Ephod, quo designauit idolatriam omnis Israel. Dicit ergo Scriptura: Factum est Gideoni & OMNI domui eius in ruinam.

1. Reg.

1. Reg. 13. *Saul designat idolatriam, non quidē externa idoli adoratione, sed interna mentis impietate, propterea quòd sacrificaret Samuele non expectato, iuxta mandatum Dei. Audit ergo: Nequaquam consurget regnum tuum. Et postea: Pro eo q; abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex &c.*

3. Reg. 14. *Hierobeam instituit duos uitulos aureos. Quare dicitur ad eum: Quia feciſti tibi deos alienos conflatiles, ut me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post tergum, idcirco ecce ego inducā mala super domum Hierobeam, & percutiam de domo eius mingentem ad parietem &c.*

4. Reg. 17. *Totus Israel abijcitur & uastatur propter idolatriam.*

2. Paralip. 36. *Abijcitur, & in captiuitatem abducitur etiam Iuda propter idolatriam.*

Ac postremo, abijciuntur Iudæi non solum è regno suo terreno, sed etiam ex hæreditate regni cœlestis, propterea q; contempto & abiecto Christo, sectabantur phariſaicam ſuam idolatriam.

Postquam autem diuulgatum est Euangelium Christi in orbē terræ, & Christiani consecuti sunt regna Syriæ, Ægypti, Græciæ, & alia, uidebatur Ecclesia Christi fœlicißima. Sed cum amplecterentur impietatem Arianam, & sectarentur idolatriam Monasticam, amiserunt iterum regna, &

deuasta

deuastatæ sunt Ecclesiæ furore Mahumetico.

In Romano regno, non solum exercetur idolatria sacrificijs Missarum pro peccatis uiuorum et mortuorum, inuocationibus Sanctorum, & multis alijs sacris, uerumetiã defenditur edictis, gladijs, ignibus, & omnibus ferè suppliciorum generibus. Quid igitur de Romano imperio futurum sit, manifeste significare possunt exempla, quæ hactenus commemorauimus.

Postremo, si homines externis supplicijs admoniti, non resipiscunt, et non conuertuntur ad Christum Filium Dei, nec in ipso solo iusticiam et salutem per fidem quærunt, nihil aliud reliquum est, quàm ut puniantur æterno supplicio inextinguibilis ignis. Hactenus de pœna idolatriæ.

Pietatis præmium.

Dicendum etiam est de præmio pietatis, & ueri cultus Dei. Faciens, inquit, misericordiam, seu præstãs beneficia, uidelicet, terrestria et cœlestia, innumeris, nimirum his, qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Sicut enim Deus punit idolatriam non in autoribus tantum, sed etiam in posteris, et quidem punit eam tam corporalibus, quàm æternis supplicijs, ita etiã præstat beneficia corporalia et æterna nõ solum patribus, qui uere ipsum colunt et ex toto corde diligunt, uerumetiam posteris eorum, si patrum pietatem sectantur.

Hic ergo dicet quispiam: Quis ille est, qui hoc præceptum Dei implet perfecte, sicut exigitur? Quis

Quis diligit Deum ex toto corde, & ex tota anima? Nullus certe hominum est, qui hoc primũ præceptum tanta perfectione seruauit unquam, quanta Spiritus sanctus in eo requirit. Quis ergo poterit à Deo expectare misericordiam, seu beneficia, siue corporalia, siue æterna? Respondeo, Sicut nullus unquam hominum impleuit hoc de dilectione Dei præceptum, operibus suæ ipsius iusticiæ, ita nullus etiam dignus est beneficijs Dei. Maledictus enim omnis, qui non permanet in omnibus uerbis legis huius.

Quis ergo seruatur? Respondeo iterum: Nullus hominum seruatur, siquidem respexeris humana ipsorum merita. Et tamen, ne genus humanum in uniuersum interiret, inuẽta est ratio, qua & hoc præceptum, & totus Decalogus impleatur, & homines ueram ac æternam salutem consequantur.

Quomodo primum præceptum impleatur.

PRIVSQVAM hoc exponamus, iterum admonendi sumus de nostra imbecillitate, qua fit, ut legem Dei nostris operibus nunquã perfecte impleamus. De qua re idcirco tam diligenter admonendi sumus, non ut abijciamus omnem spem impletionis, sed ut excitemur ad quærendam ueram impletionis rationem. Nam primum præceptum exigit

exigit, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex omni fortitudine. Vera igitur et perfecta dilectio Dei, est impletio primi præcepti. Nullus autem hominum est, qui Deum ex toto corde natura sua diligat. Primum enim, Ad dilectionem Dei perfectam requiritur Spiritus sanctus, quia Lex quæ hanc dilectionem præcipit, est spiritualis. Homo autem natura sua caret Spiritu sancto, quia concipitur et nascitur in peccato. Et quā quam pij donantur Spiritu sancto per fidē, tamen cum caro adhuc uiuit, Spiritus sanctus non potest opus suum etiam in pijs plene perficere propter carnem. Nam quemadmodum artifex, quanquam optimus & maxime industrius fuerit, tamen si utitur uicioso instrumento, facit & opus uiciosum, ita Spiritus sanctus perfectus quidem artifex est, sed quia instrumentum eius, uidelicet Caro, per peccatum deprauata, est uiciosum, idcirco fit & opus uiciosum ac imperfectum. Lex, inquit Paulus, imbecillis est per carnem. Manifestum igitur est, q. dilectio Dei, quæ est impletio primi præcepti, nunquam sit perfecta in homine, in hac quidem corporali uita.

Rom. 8

Deinde, etsi homo habet natura sua aliquam cognitionem Dei, sicut Paulus Rom. 1. docet, tamen quia homo corruptus est per peccatum, naturalis illa cognitio Dei ita obscurata & deprauata est, ut non solum non sit perfecta, uerumetiam ena-

euaneſcat in grauibus tentationibus. Homo enim uiribus ſuis relictus, & grauiter præter meritum, ut ſibi uidetur, afflictus, dicit uel tandem in corde ſuo, quod in Pſalmo extat, Non eſt Deus. Itaq; ſi dicendum eſt, quod res eſt, Deus homini magis eſt ignotus quàm cognitus. Ignoti autem ut nulla eſt cupido, ita nulla eſt uera dilectio. Quare nullus hominum, implet natura ſua hoc primum Præceptum. Ac ſomniant quidem hypocritæ ſe tanto amore Dei ardere, ut huic præcepto plene ſatisfaciant. Sed Paulus Romanis ſcribens cap. 9. retundit arrogantiam & præſumptionem eorum. Dicit enim: Iſrael ſectabatur legem iuſticiæ, ſed ad legem iuſticiæ non peruenit. Propter quid? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Voluerunt enim Iſraelitæ hanc legem implere ſuis operibus. Paulus autem perſpicue docet, quòd non impleatur operibus. Inueſtigemus ergo, quomodo impleatur, Niſi enim impleatur, non poſſumus ſalui fieri, quia dicit Chriſtus: Amen amen dico uobis, donec Matth. 5. prætereat cœlum & terra, iota unum & unus apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint. hoc eſt, Deus tam ſeueriter exigit legis impletionem, ut citius permitteret cœlum & terram ruere, ac interire, quàm ut remitteret unum ſaltem iota, aut apicem de lege ſua, quem non exigeret. Et mox. Niſi abundauerit iuſticia ueſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non pote-

ſtis ingredi in regnum cœlorum. Diſcamus igitur, quomodo lex uere à nobis impleri poſsit. Dicamus autem nunc de impletione huius primi præcepti. Poteſt enim ei ſatisfieri, ac debet impleri duobus modis. Vno modo, Fide in Chriſtum. Alio modo, Obedientia ex fide.

Quomodo primum præceptum impleatur fide.

INITIO explicationis Decalogi oſtendimus, quòd Chriſtus filius Dei promulgauerit Decalogum, & ipſe ſit, qui dixerit, Ego ſum Dominus Deus tuus, Non habeas alienos Deos coram me. Hoc idem etiam nunc, cum agitur de dilectione Dei, quà primum præceptum impletur, cõſiderandum eſt. Deus enim non agnoſcitur, niſi per Chriſtum filium ſuum.

Iohan. 1. Deum nemo uidit unquam, Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe expoſuit.

Iohan. 14. Nemo uenit ad Patrem, niſi per me.

Et mox. Philippe qui uidet me, uidet & Patrẽ meum.

Matth. 11. Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cuicunq; uoluerit Filius reuelare.

Ex hoc ſequitur, quòd qui uoluerit uerum Deum cognoſcere, in uerum Deum credere, uerum Deum diligere, & huic primo præcepto ſatisfacere, neceſſe habeat, Chriſtum filium Dei cognoſcere,

re, in Christum credere, ac eum diligere. Etsi autem fides in Christum, quam per Spiritum sanctum ex Euangelio cõcipimus, imbecillis est in hac carne, tamen Christus, qui per fidem accipitur, & quo per fidem induimur, non est imbecillis, sed perfectus, & omni perfecta iusticia præditus. Vnus enim & solus Christus inter omnes homines inuentus est, qui Deum uere ex toto corde, & ex tota anima dilexit, & hoc mandatum perfecte custodiuit, nec ullum unquam genus idolatriæ designauit. Donatur autem Christus una cum omni sua iusticia ei, qui credit in ipsum.

Rom. 8. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit ipsum, qui fieri potest, ut non cum eodem OMNIA nobis donet?

Galat. 3. Omnes filij Dei estis, eo quòd credidistis Christo Iesu. Nam quicunque baptisati estis, Christum induistis, hoc est, donati estis Christo, & omnibus bonis eius.

Iohan. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, Gratiam pro gratia.

Quare cum Christus impleuerit primum præceptum perfectißime, et donetur cum omni sua iusticia credenti in ipsum, manifestum est, quòd qui credit in Christum, habeat omnem iusticiam primi præcepti in Christo, & imputetur ei propter Christum tota & perfecta huius præcepti impletio. Et

Fide implemus mãdata Dei, quo modo intelligendum.

hoc illud est, quod dicere solemus, Mandata Dei *impleri à nobis fide. Hoc enim non sic intelligendum est, quòd fides hominem ita mutet ac transformet, ut suis operibus perfecte impleat mandata* Dei. *Fieri enim non potest, ut in hac carne opera diuinitus præcepta sint perfecta, sed intelligẽdum est, quòd cum credimus in Christum, imputetur nobis tota iustitia Christi, quæ est mandatorum* Dei *impletio.*

Rom. 8. *Quod Lex præstare non poterat ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc* Deus *proprio* Filio *misso, sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. hoc est,* Quia Deus *uidit nos non posse legi suæ satisfacere perfecte, misit* Filium *suum, qui expiauit peccata nostra, et fecit omnem iustitiam, ut cum credimus in eum, imputetur nobis omnis illa iustitia, quam lex exigit, & quam* Christus *præstitit.*

Rom. 5. *Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines, uidelicet, credentes, ad iustificationem, (hoc est) omnes, qui credunt in* Christum, *reputantur coram* Deo *iusti, propter* Christum *iustum, in quem credunt.*

Hoc ipsum significat etiam appendix huius præ-

præcepti, in qua dicitur: Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Solus autem Christus uere & ex toto corde dilexit Deum, & perfecte custodiuit mandata eius. Quare Deus omnibus posteris Christi, qui sunt credentes in ipsum, hanc misericordiam facit, & hoc beneficium præstat, ut imputet ipsis omnem iusticiam Christi, & reputet eos coram se iustos propter Christum. Habes primum modum impletionis huius præcepti, qui nobis ad salutem necessarius est.

Quomodo impleatur primum præceptum obedientia operum.

EST & secundus modus necessarius, qui est obedientia operum ex fide. Postquam enim credimus in Christum, et imputatur nobis iusticia Christi per fidem, non debemus committere, ut iusticia Christi, quæ nobis donata est, sit in nobis ignaua, & ociosa, sed exigitur, ut sit actuosa & fructuosa. Debet enim excitare in nobis ueram dilectionem Dei, uidelicet, ut incipiamus Deum ex animo diligere. In hoc, inquit Iohannes, est caritas, non q. nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit Filium suum propiciationem pro peccatis nostris, (hoc est) Deus complexus est nos tanto amore, ut etsi nos non dileximus eum, ta-

men donauit nobis Filium *ſuum, ut eſſet expiator peccatorum noſtrorum. Quis ergo tam durus, tam crudelis, tam immanis eſſet, qui tam gratuitum & clementem benefactorem non uiciſsim diligeret? Quis diligenter conſiderans, quantis beneficijs ornetur à* Deo *patre per unigenitum* Filium *ſuum, teneri poſſet, quin ad mutuum* Dei *amorem inflammaretur? Etſi autem is amor & ea dilectio, qua* Deum *in hac uita complectimur, adhuc eſt imperfecta, (quippe quòd in futura demum uita perficiatur) nec meretur per ſe nomen impletionis præcepti Dei, & rectius uocatur* Obedientia *quàm impletio aut ſatisfactio, tamen præſtanda eſt* Deo, *et placet ei, propterea quòd placeat ei Chriſtus filius ſuus, ex cuius fide hæc dilectio præſtatur. Nam qui ſunt oſores* Dei, *qua impudentia profiteri poſſunt, ſe credere in Chriſtum, & confidere iuſticiæ Chriſti? At enim, nemo uult uideri oſor* Dei, *ſed gloriantur omnes ſe diligere Deum, adeoq; prædones etiam ipſi, ſolent ſe iactare inimicos quidem totius mundi, amicos autem* Dei. *Neceſſarium igitur eſt, ut unuſquiſq; diligenter ſeſe probet, num Deum uere & ſerio diligat, ſicut uerbis gloriatur.*

Dilectio nostra quomodo Deo placeat.

Dilectio uera erga Deum quomodo probetur.

Sed quomodo, inquies, hoc probabimus? Hic cõſiderandum *eſt, quod* Iohannes *in priori ſua Epiſtola cap. 5. ſcribit.* Hæc *eſt, inquiens, caritas* Dei, *ut præcepta eius ſeruemus, (hoc eſt) In hoc cognos-*

gnoſcimus, num Deum uere diligamus, ſi obedierimus præceptis eius. Deus autem præcepit nobis præcipue duo, Alterum eſt, ut Chriſtum filium ſuum audiamus. HVNC, inquiens, AVDITE. Ergo nec Ethnici, nec Iudæi, nec Turcæ, nec Hypocritæ collocantes ſpem ſalutis ſuæ in meritis ſuæ ipſorum iuſticiæ, diligunt Deum, quia non audiunt Chriſtum filium Dei, nec deteſtantur ex animo idolatriam, ſed potius amplectuntur eam cupidiſſime. Sunt inter homines, qui exiſtimant, nullum debere alterius religionem reprehendere & damnare. Hi dicere ſolent: Quis ſcit, quis noſtrum ſit altero melior? Hi ſentiunt unumquenque in ſua religione ſaluum fieri, ſi modo honeſtam uitam duxerit. Sed hi nequaquam diligunt Deum, quia non obediunt mandato eius, quo iußit nos ſolum Chriſtum filium ſuum audire, & omnem idolatrian ac religionem pugnantem cum Euangelio Chriſti, ex animo deteſtari. Duo à Deo præcipue præcepta.

Alterum eſt, ut proximum etiam inimicum diligamus, & ei benefaciamus. Nam qui odio habet proximum, & inuidet ei carnali affectu, etſi gloriatur ſe Deum diligere, tamen fieri non poteſt, ut una cum carnali odio proximi habeat dilectionem DEI. Si quis dixerit, inquit Iohannes, Diligo Deum, & oderit fratrem ſuum, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem uidet, DEVM, quem non uidet, quomodo poteſt 1. Iohan. 4.

diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Vide mihi nunc, quot ſint dilectores Dei inter homines. Nihil enim uſitatius eſt, quàm ut homines ſe inuicem odio habeant, iniurijs afficiant, conuicijs proſcindant. Quomodo igitur fieri poteſt, ut ſint dilectores Dei? Paulus ad Titum ſcribens, Deum, inquit, profitentur ſe ſcire, factis autem negant, cum ſint abominabiles, dicto non audientes, & ad omne bonum opus reprobi. An non clare teſtatur Paulus, nullam ibi eſſe ucl cognitionem uel dilectionem Dei, ubi eſt turpis & ſcelerata uita, ac odium proximi? Quare neceſſarium eſt, ut poſtquam credis in Chriſtum, & reputaris iuſtus ac impletor legis propter Chriſtum, incipias Deum uere & ex animo diligere, id quod tum probabis, non cum perſuaſeris te cogitationibus tuis, quòd Deum diligas, ſed cum fugis & deteſtaris omnem idolatriam pugnantem cum Euangelio Chriſti, & diligis proximum tuum ac benefacis ei, etiamſi tu male ab eo affectus fueris. Hac obedientia non mereris quidem remiſſionem peccatorum, quam iam ante habes in Chriſto per fidem, attamen conſeruas Chriſtum per fidem acceptam, & teſtificaris gratitudinem tuam, qua inuitas Deum, ut ſubinde magis ac magis liberalitatem ſuam in te declaret.

Habes quibus modis primum præceptum impleri à

ri à nobis queat, Fide, uidelicet, & obedientia, quorum alterum est aliena impletio, sed nobis per fidem applicata, alterum est nostra impletio, seu, ut rectius loquar, obedientia, quæ etsi per se indigna est nomine impletionis, tamen exigitur, ut ueræ illius alienæ et nobis applicatæ impletionis fructus, donec perueniamus ad cœlestem uitam, in qua ornabimur perfecta dilectione Dei, & æterna iustitia.

Non facias tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c.

Priusquam pergamus ad explicationem aliorum præceptorum Decalogi, perstringenda paucis est hæc appendix, quæ additur primo præcepto, quanquam sint, qui ex hac singulare præceptum faciant. Non facias, inquit, tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, non eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adores, neq; colas ea.

Sciamus igitur, quòd non omnia, quæ in hac appendice continentur, pertineant ad nos Christianos. Sicut nec præceptum de Sabbato, ex omni parte ad nos pertinet. Nam in hac appendice duo præcipue prohibentur, quorum alterum est Cærimoniale, seu Leuiticum aut Iudaicum. Alterum est naturale seu Morale. Illud enim est Cærimo-

Imaginum usus quatenus prohibitus.

niale seu Iudaicum, quod prohibetur externus usus imaginum in Ecclesia Iudæorum. Nam quemadmodum non licuit Iudæis per legem Mosi, uesci carnibus suillis, aut uti ueste ex lana & lino contexta, ita non licuit eis ullas imagines in templo suo habere. Ac manifestum quidem est, quòd Iudæi non omnino nullis imagimibus usi fuerint.

Exod. 25. Duo Cherubim, quæ fuerunt imagines alatæ, collocantur super Arca propiciatorij.

3. Reg. 7. Sculpsit Salomon in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, Cherubim, Leones, & palmas &c.

2. Paralip. 9. In eburneo solio Salomonis erant duo leones, & duodecim leunculi &c.

Hæ certe sunt imagines earum rerum, quæ sunt in his terris. Manifestum igitur est, quod lex non damnat indiscriminatim, etiam apud Iudæos, omnem imaginum usum. Sed cum dicitur: Non facias tibi sculptile &c. intelligendum est, quòd Iudæi non debeant suum templum & suas domos ornare sculptilibus & imagimibus, ad imitationem impiarum gentium, ac præcipue Ægyptiorum, qui in omnibus compitis & uijs obtrudebant hominibus uarias imagines earum animalium, quæ pro dijs colebant, quemadmodum haud obscure significat Moses Deut. 4. Custodite, inquiens, ani-

mas

mas uestras sollicite. Non uidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus &c. Et mox. Vos tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, &c. Quare sicut multi alij mores Gentium prohibiti fuerunt Israelitis, ita & hic mos instituendi imagines & sculptilia in templo, fuit eis prohibitus, ne uiderentur impietatem & idolatriam Gentium imitari. Hanc legem ij Iudæi, qui fuerunt Hierosolymis tempore Pilati, ita tutati sunt, ut maluerint trucidari, quàm imaginem Cæsaris in ciuitate Hierusalem ferre, quemadmodum Iosephus scribit. Sed hæc Leuitica seu Iudaica pars huius præcepti nihil ad nos Christianos, qui sicut liberi sumus à circuncisione, à sacrificijs, & alijs sacris Leuiticis, ita & liberi sumus ab hac parte huius præcepti de Imaginibus. Quanquam enim utilius esset, propter multas causas, ut nullæ imagines publice in templis nostris prostarent, tamen per se non est peccatum, sed liberum habere imagines, præsertim in rerum gestarum monumentum. Ioseph. lib. 18. cap. 5. Antiq.

Naturale seu Morale, quod in hac appendice prohibetur, est Adoratio, & cultus imaginum. Hoc prohibetur non Iudæis tantum, sed & omnibus Gentibus. Et prohibetur non scripta tantum Lege, sed etiam naturali lege, quæ est omnibus hominibus insculpta. Cum enim natura cognitum sit Imaginum adoratio omnib. prohibita.

sit quod sit Deus, & quòd hic Deus sit mens inuisibilis, superãs omnium rerum substantiam & imaginem, necessario ex hac cognitione sequitur, quòd debeamus hunc solum Deum colere & adorare, non idola, non imagines, non simulacra. Itaque etsi Christianis non est prohibitum, habere imagines Christi & Sanctorum, ad monumentum rerum gestarum, tamen prohibitum est eis, ne has imagines colant, neq; adorent.

1. Cor. 10. Fugite à cultu simulachrorum.

1. Iohan. 5. Cauete à simulachris.

Quare apud Christianos imagines tantisper sunt tolerabiles, dum nec coluntur, nec adorantur. Postquam autem usurpantur in cultum & adorationem, tunc fiunt impia idola, et debent ab ijs, quorum interest abrogari. In Num. cap. 21. instituitur Æneus serpens uerbo Domini, in deserto, ut quotquot ab ignitis serpentibus infecti essent, & aspicerent Serpentem æneum, recuperarent sanitatem. Hic æneus Serpens conseruatus fuit à maioribus in monumentum rerum gestarum. Sed cum postea Israelitæ abuterentur eo in cultum, & adolerent coram eo incensum, confregit eum Ezechias pio certe & heroico spiritu, ac uocauit eum Nehusthan, hoc est, Æs, q. d. Quid aliud est hic serpens, nisi æs? Cur igitur prostaret in cultum diuinum?

Num. 21

Sic et de Imaginibus apud Christianos sentiendum est, q; etsi possunt haberi pro monumentis rerum

rum geſtarum, tamen cum incipiunt coli & adorari, non ſunt amplius approbandæ. Extat apud Scholaſticos doctores impia propoſitio de imaginibus, uidelicet, quòd imagines rerum adorandarum, ſint eadem ſpecie adorationis adorandæ, quæres ipſæ ſignificatæ &c. Hoc uere eſt docere idolatriam. Quare fugiẽda eſt talis doctrina, ut quæ ad impietatem abducat. Sectanda autem eſt ſola Euangelij Chriſti doctrina, quæ recta ad Chriſtũ ac ueram ſalutem ducit. Nam ſi uolueris imaginem Chriſti & Sanctorum eius uiſibiliter inſpicere, ac recte colere, inſpiciendus & colendus eſt pius homo, qui in Chriſtum credit, Colendus, inquã, eſt, non adoratione, ſed dilectione, & beneficijs. Illæ enim mutæ & ligneæ & lapideæ, aut etiam argenteæ & aureæ imagines, nihil habent de Chriſto, præter externam quandam hominis figuram. Homo autem pius ob oculos poſitus, primum creatus eſt ad imaginem Dei. Deinde, quia credit in Chriſtum, factus ſeu potius renouatus eſt in imaginem Chriſti. Quare, ſi hunc hominem dilectione & officijs humanitatis colueris, ſentiendum eſt te uere imaginem Chriſti colere. Quod enim, inquit, uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis &c.

Occam lib. 3. Sententiarum diſt. 10.

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

Non

Non assumas Nomen Domini Dei tui in uanum. Non enim habebit Dominus &c.

PRimum præceptum instituit & erudit corda hominum, quid de Deo sentire debeant. Prohibet omnem idolatriam, ne agnoscamus falsum Deũ, falsum Christum, pro uero. Mandat, ut uerum Deum, uerũ Christum agnoscamus, & in ipsum credamus, ac ipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine diligamus.

Nunc sequitur secundum præceptum, quod instituit & erudit linguam, uidelicet, quid sermonibus nostris de uero Deo loquendum sit.

Cum præceptum prohibet nobis, ne in uanum assumamus Nomen Domini, consideremus initio quid sit Nomen Domini. Nam, cum de Nomine Domini hoc loco sermo est, non intelligamus has tantum literas & syllabas, DEVS, aut aliud uocabulum Dei, sed per Nomen DEI, intelligitur Deus ipse. Similiter, Gloria Dei, Verbum Dei, Doctrina Dei, & id genus alia. Omnis inquit Ioel, qui inuocauerit Nomen Domini, saluus erit, hoc est, qui inuocauerit Dominum Deum ipsum. Et apud Malachiam: Magnum est Nomen meum, hoc est, gloria & maiestas mea. Et apud Iohannem: Manifestaui nomen tuum hominibus,

hoc

hoc eſt, teipſum, & gloriam tuam, &c.

Quod cum ita ſe habet, uidendum nunc erit, quæ hoc præcepto prohibeantur.

Quæ ſecundum præceptum prohibeat.

PRIMO, prohibet blaſphemiam & maledi- Sermones
centiam de Deo, de Filio Dei, de Spiritu Sancto, de prophani.
uerbo & doctrina Dei. Quales ſolent eſſe ſermo-
nes prophanorum hominum & Epicureorum, qui
non uerentur palam dicere: Quid ad me Deus in
cœlo? quid ad me doctrina & Scriptura Dei?
Quis ſcit, num ea uera ſunt, quæ Scriptura, quam
iſti uocant, ſacram, de Deo, & de alijs cœleſtibus
rebus tradit? Alij dicunt: Quid? cur adhiberem
fidem Prophetis & Apoſtolis, cum & ipſi fuerint
homines, qui & fallere & falli poſſunt? Hæ & ſi
miles uoces, ſunt blaſphemæ, & in Nomen ſeu glo
riam Dei contumelioſæ, atq; hoc ſecundo præce-
pto prohibitæ.

Secundo prohibet omnem hæreticam doctri- Hæreſes.
nam, et omnes corruptelas uerbi Dei, ut Cerinthi,
Marcionis, Arij, & aliorum hæreticorum.

Tertio prohibet abuſum Nominis Dei, & ſa- Magia.
eræ Scripturæ, aut uerborum eius ad Magiam &
incantationem. Sunt, qui ſcribunt initium Euan-
gelij Iohannis in ſchedam, & ſuſpendunt ex col-
lo, ut ſint ab incantationibus, & ab impetu ad-
uerſario-

uersariorum tuti. Alij utuntur uerbis sacris ad cõsecrationes, in medendis morbis hominum & bestiarum. Quam Magiam excusare solent, quod nõ nisi bonis & pijs uerbis utantur. At enim, quo uerba, in incantationibus magis sunt pia, eo maior est istorum hominum impietas. Nam quo res est melior & diuinior, eo peior & damnabilior est abusus eius. An non Vinum, bona Dei creatura est? Quis ergo ferret ebrium suam ebrietatem sic excusantem, quod uinum sit bona Dei creatura? Quo enim uinum melior creatura Dei est, eo peius est abuti uino ad ebrietatem. Sic etiam, quo sanctius est nomen Dei, & quo sacratiora sunt uerba diuinæ Scripturæ, eo sceleratius est, tam sacra prophanare, & ipsis ad impias incantationes abuti.

Abusus dictorum sacræ Scripture ad scommata.

Quarto prohibet ridiculas usurpationes dictorum sacræ Scripturæ, quales solent fieri in Pasquillis, & familiaribus prophanorũ hominum sermonibus. Tradita enim nobis est sacra Scriptura, non ad risum & scommata, sed ad seriam perpetuæ salutis acquisitionem. Omnis Scriptura, inquit Paulus, diuinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia &c.

2. Timot. 3.

Abusus nominis Dei & uulnerũ eius.

Quinto prohibet abusum Nominis Dei, Sanctorum, Sacramentorum, Elementorum, Vulnerum Christi, Membrorum eius, & aliarum id genus rerum, ad execrationes maledicentiam, & uirulen

tas

tas imprecationes. Hic abusus Nominis Dei, & uul nerum eius, quo uulgarior est inter homines, eo a bominabilior & detestabilior est coram Deo: Pri mum, quia in tali abusu nomen Dei, quod est san ctum, irreuerenter usurpatur. Deinde, quia in ma ledicentia & execratione Deus inuocatur, ut no ceat ijs, quos debemus amare, iuuare, & eis bene precari. Deus autem non uult inuocari ut noceat, sed ut iuuet, ut defendat & tueatur. Et Filius Dei suscepit passionem & uulnera sua, non ut perdat, sed ut seruet homines. Quare tales execrationes sunt horribiles blasphemiæ aduersus Deum, et ma xima contumelia Nominis eius. Negari quidem non potest, quin & Prophetæ aliquoties execren tur impios, Sed quod hi faciunt, mandato Spiritus sancti faciunt, et sunt exempla personalia, quæ no bis sine certa Dei uocatione imitari non licet. No stri enim officij est, ut maneamus in obedientia ge neralis præcepti, quod est, ut non usurpemus no men Dei ad maledicentiam, sed ut bene precemur etiam inimicis.

Sexto prohibet uulgaria Iuramenta, quibus so lemus ueritatem sermonis nostri per Nomen Dei, aut per alias res diuinas testificari. Quale est, quod uulgo dici solet, Quod loquor, uerum est, per Deum. Et, Nisi uerum sit, confundat me Deus, aut Diabolus auferat me. Item, Es ist marter gros / Es ist leidens viel &c. hoc est, Multum et magnum Iuramenta uulgaria.

est, per martyrium, per passionem Christi. Hi sunt prophanissimi sermones, & Deo ualde abominabiles. Ne omnino, inquit Christus, iuretis, neq; per cœlum, quia thronus Dei est &c. Et mox. Sermo uester sit, Est est, Non non. Quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficiscitur. Et tamẽ hoc dicto Christi non prohibentur legitima iuramenta, quæ Magistratus iuxta publicas ordinationes exigit, aut alia iuramenta, quæ singulari uocatione Dei fiũt, sed prohibentur tantum uulgaria illa & priuata iuramenta, quæ sine ulla Dei uocatione suscipiuntur. Sed de licitis & illicitis iuramentis extant alias erudita scripta.

Matth. 5.

Vide Catechesin Philippi.

Septimo prohibet peiuria & uiolationes iuramentorum. Non loquimur autem nunc de uiolationibus impiorum iuramentorum. Nam ut impia iuramenta nullo modo fieri debent, ita si quis siue errore, siue ignorantia, siue uiolenta coactione, siue alio quodam modo impia iurauerit, peccauit quidem iuratione sua grauissime, Sed multo grauius peccaret, si quod impie iurauit, seruare pertinaciter pergeret. Vocamus autem impium iuramentum, quo quis iurat se impie facturum, contra mandata Dei, & peccaturum aduersus Deum, ut si quis iurauerit se adoraturum idolum, aut interfecturum hominem innocentem. Quale sentiebat se iurasse Herodes Matth. 14. aut quale fuit iuramentum Dauidis, qui iurabat se uindicaturum

Peiuria.

rum contumelioſa uerba in Nabal, ſicut ſcriptum eſt 1. Reg. 25. Debuiſſet enim Dauid talem contumeliam æquo animo ferre, & Domino uindictam relinquere. Tale genus iuramenti, ſicut nequaquam faciendum eſt, ita factum nequaquam præſtandum eſt. Non enim ſunt facienda mala, ut eueniant bona. Bonum eſt ſeruare iuramentum, ſed malum eſt peccare aduerſus Deum. Non eſt igitur peccandum, ut ſerues iuramentum. Impie fecit Herodes, quod ſeruando iuramento ſuo occiderit Iohannem Baptiſtam. Pie fecit Dauid, quòd cum præcipitanter iuraſſet, ſe ulturum contumelioſa uerba Nabalis, poſtea perſuaſus uerbis Abigailis, remiſerit ultionem. Teſtantur etiam ciuiles leges, quòd impiorum iuramentorum præuaricationes Deo magis placeant, quàm accuratæ eorum obſeruationes.

Iuramenti impij et iniqui diſcrimen.

Sed hic obſeruemus neceſſe eſt, quòd magnum ſit diſcrimen inter iuramentum impium, & iuramentum iniquum. Nam iuramentum impium eſt, quod ſine peccato præſtari non poteſt. Iuramentū autem iniquum eſt, quod etſi inique & uiolenter extorquetur, & ſeruatum affert magnum damnū ſiue facultatum, ſiue etiam uitæ corporalis, tamen poteſt præſtari ſine peccato, ut ſi hoſtis, qui te cepit, extorqueat à te iuramentum per nomen Dei, te numeraturum ipſi de facultatibus tuis ducentos aut plures aureos, aut te ſeruiturum ipſi

Fides hoſti data, ſeruāda.

perpetuis uitæ tuæ temporibus, ſeruandum eſt iuramentum, & honorandum eſt nomen Domini, per quod præſtitum eſt iuramentum. Nam humanæ quoq; rationi cognitum eſt, quòd fides etiam hoſti ſeruanda ſit.

Iuramenta cum conditione.

Deinde non loquimur de uiolatione eorum iuramentorum & pactorum, quæ fiunt cum conditione, quale fuit iuramentum ſerui Abrahæ Gene. 24. De quo iuramento Abraham ipſe dicit: Si mulier te noluerit ſequi, non teneberis iuramento filium meum tantum ne reducas illuc. Talia ſolent eſſe iuramenta & pacta, quæ fiunt in fœderibus principum. Nam ſi altera pars in ijs fidem ſuam uiolauerit, altera non tenetur amplius ſua fide aut iuramento.

Iuramentũ impium.

Sed loquimur ſimpliciter de uiolatione eorum iuramentorum, quæ fiunt per nomen Domini, ſine conditione, & quæ poſſunt præſtari, ſine peccato, etiamſi grauia ſint & difficilia. In hac autem re peccatur tripliciter. Primum iurando doloſe, uidelicet, cum quis iurat per nomen Dei, & tamen cogitat interea, ſe nec uelle nec poſſe tale iuramentum ſeruare. Hoc eſt manifeſte iurare contra conſcientiam. Secundo, iurando falſum ſcienter, de quo iuramenti genere, infra, in præcepto de non dicendis falſis teſtimonijs. Tertio, uiolando iuramentum licitum, uidelicet, cum iuraueris ſine dolo, &

lo, & tamen postea uiolas iuramentum. Hæc peiuria tam frequentia sunt inter homines, in conferendis tributis, exactionibus, & in alijs rebus, ut non reputentur pro peccatis aliqua pœna dignis. De his enim solent homines ridicule dicere: Facilius esse iuramentum præstare, quàm rapas effodere.

Iuramentũ impium q̃ graue peccatum.

Sed profecto sunt peccata grauissima, & quæ Deus seuerissime punire solet. Nam in iuramentis, quæ fiunt per nomen Dei citatur Deus testis ac fideiussor. Quare si iurans fallit, exponit Deum ipsum ludibrio & contemptui. Quo peccato quid potest esse grauius? Si quis propter capitale delictum morte plectendus dimittatur, fideiussore uicino suo, liber, ne deinceps tale delictum designaret, quantum, quæso, hic peccaret, si nulla habita fideiussoris sui ratione, ad pristinum delictum rediret? Multo magis peccat, qui uiolatione iuramenti sui, contemnit, & ludibrio exponit fideiussorem suum, Deum. Deinde, qui per nomen Dei iurat, deuouet se per iuramentum diuinæ iræ et supplicio, si fallat. Quare si fefellerit, pereundum est ipsi suo ipsius iudicio et sententia. Huc accedit, quòd Deus iurauit per semetipsum, se uelle nos ad ipsum conuersos iuuare & tueri, etiam in morte. Viuo ego, inquiens, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur et uiuat. Hoc iuramentum Dei magnam affert consolationem afflictis, & mor-

tis horrore obrutis. Si ergo uiolaueris iuramentum per nomen Dei factum, fieri non potest, ut in afflictione tua Deum iuramenti sui, quo se recepit nobis affuturum, alacri & fidenti animo admonere queas. Mox enim audies, Cur tibi seruaretur iuramentum Dei, cum tu iuramentum per nomen Dei factum, non serues? Et tamen si conuersus fueris pœnitentia ad Christum, etiamsi tu fueris mendax, Deus tamen manet uerax, seipsum negare nec uult, tam clemens, nec potest, tam seruans promissi. Sed de supplicijs, quæ peiuris diuinitus immittuntur, postea.

Iactãtia & gloriatio de donis Dei.

Octauo, prohibet omnem iactantiam & gloriationem de sua iusticia, sapientia, potentia, eruditione, diuicijs, pulchritudine, & alijs donis Dei. Quicquid enim bonorum habemus, non habemus nostro merito, sed tantum clementia Dei, & quicquid boni est, ab autore Deo proficiscitur. Quare qui ea sibi arrogat, & suis meritis aut uirtutibus adscribit, contumelioſus est in nomen Dei, propterea, ꝙ quæ Dei sunt, sibi ipsi tribuit. Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua &c. Et Paulus, Quid habes, inquit, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Hiere. 9.

Sermones impacientium.

Nono, prohibet omnes sermones, ex impacientia proficiscentes. Sunt enim contumelioſi in nomen Dei. Deus enim iustus est, & non facit iniu-

ste,

ſte, etiamſi immiſerit tibi aduerſa. Qui autem in aduerſis impaciens & querulus eſt, is ſignificat ſe in receſſu cordis ſui accuſare Deum aut iniuſticiæ aut incogitantiæ, aut negligentionis. Quare contumelioſus eſt in nomen Dei. Sic impacienter loquitur Hiob, cum ait, Pereat dies in qua natus ſum. Iob 4. Et Ieremias, Maledicta dies, in qua peperit me mater mea, &c. Iere. 20.

Decimo, prohibet prætexere diuinum nomen aut legem priuato odio, auariciæ, ambitioni, & alijs iniuſtis cupiditatibus. Vt ſi ciuis quiſpiam leuiter peccet, Magiſtratus autem flagrauerit priuato eius odio, & exaggeret peccatum ciuis, prætexens legem Dei, et officium magiſtratus, cũ tamen non tam odio habeat peccatum, quod in altero, cui fauet, ne reprehenſione quidem dignum iudicaret, quàm inuideat ciui, & cupiat ſupplicio eius odium ſuum exatiare. Aut ſi quiſpiam inſtituat publicam eleemoſynam ex ambitione, & cupiditate humanæ laudis, prætexat tamen fauorem erga pauperes, & gratitudinem ſuam erga Deum. Nomen diuinum prætextus iniuſtarum cupiditatum.

Vndecimo, aſſumunt nomen Domini in uanum, quotquot uerbis quidem iactant ſe agnoſcere Chriſtum & ueritatem Euangelij eius, interea autem ſordidant nomen Chriſti et Euangelij eius fœdis ſceleribus, ebrietate, ſcortatione, impoſturis, quibus non ſolum ipſorum, ſed etiam Domini Dei noſtri, & Euangelij eius nomen peßime in- Scelerati.

ter homines audire faciunt. De his Paulus Rom. 2. dicit, Nomen Dei per uos male audit inter gentes &c.

Quæ in II. præcepto mandentur.

ETSI ex his, quæ in hoc ſecundo præcepto prohibentur, facile intelligi poteſt, quæ nobis in eo mandentur & præcipiantur, uidelicet, omnia ea, quibus nomen Dei uere honoratur & illuſtratur, enumerabimus tamen aliquot ſpecies honoris nominis Dei, ut hoc præceptum de uero uſu diuini nominis rectius intelligatur & obſeruetur.

Primum igitur mandatur in hoc præcepto uera et ſincera prædicatio uerbi Dei, uidelicet, Decalogi, et Euangelij de Ieſu Chriſto. Hic autem cultus Dei late patet. Non enim concluditur intra unum tantum genus hominum, nec pertinet ad ſolos publicos Eccleſiæ miniſtros, ſed ſpargitur in omnes hominum ſtatus et ordines. Et unuſquiſq; debet operam dare, ut hunc cultum Dei pro ſua uiri li et uocatione adiuuet. Magiſtratus intereſt curare, ut uerbum Dei in Ditione ſua recte & pie adnuncietur. Paterfamilias ſtudere debet, ut familia eius Deo pie ſeruiat, et ueram doctrinam ſectetur. Priuatus quiſq; ſtudium ſuum in hoc conferre debet, ut quocunq; officio poteſt miniſterium uerbi Dei adiuuet, ac ipſe quoq; uera, pia, honeſta de Deo, de uerbo eius, de Sacramentis eius, deq; omnibus diuinis rebus loquatur.

Secun-

Secundo, mandatur uera inuocatio Dei, uidelicet, ne inuocemus mortuos, sed solum uerum Dominum Deum nostrum, qui misit Filium suum Iesum Christum in hunc mundum, & donauit Apostolos Spiritu sancto suo. Non loquimur autē nunc de inuocatione Dei, quæ fit in corde seu cogitatione hominis, quæ inuocatio pertinet ad primum Præceptum: & cum fidem necessario sequatur, solet sine intermißione coram Deo sonare, sicut & fides ipsa semper coram Deo patet etiam cum pius somno obrutus iacet. Sed loquimur de externa recitatione precum. Hanc nonnulli existimant esse superuacaneam. Dicunt: Quid pluribus uerbis opus est, cum Deus, etiam me tacente, cognoscat quid cogitem, et quid mihi opus sit? Sed hi sunt neglectores & uiolatores huius secundi præcepti. Deus enim in hoc præcepto exigit, ut Nomen eius etiam externis uerbis ueneremur & inuocemus. Exempla talium precum multa extant in sacra Scriptura. Extant & Psalmi. Sed & Christus ipse tradidit externam formam orandi, ac ipse quoq; non cogitatione tantum, sed etiam externis & claris uerbis orauit. Exigitur autem externa inuocatio, primum propter nos ipsos, partim ut recitatione precum excitetur & accendatur in nobis fides. Fides enim ex auditu est, Auditus autem per uerbum Dei, quod precibus recitatur: partim, ut recitatione contineatur animus in attentione, ne co- Vera inuocatio.

gitationibus ſuis uagetur ad res alienas. Deinde exigitur propter proximum, ut ſimus ei bono exemplo, & teſtemur proximo, quem Deum inuocemus, & colamus, quo & ipſe ad inuocationem ueri Dei prouocetur. Huius generis inuocationes ſunt publicæ preces & Cantica in Eccleſia.

Gratiarum actio.

Tertio, mandatur nobis Gratiarum actio pro beneficijs à Deo acceptis. Hic enim eſt honor nominis Dei, ſi accepta ferimus ei beneficia, quæ in nos contulit.

Quarto, mandatur confeßio Chriſti, confeßio Euangelij eius ſeu uere pie doctrinæ in perſecutionibus. Sic honorauerunt nomen Dei Martyres, qui maluerunt mortem perferre, quàm Deum, Filium Dei, & Euangelium eius negare. Sic omnes homines honorare debent nomen Dei. Nam qui Deum ſic honorat, uiciſſim ab ipſo multis & magnis beneficijs honoratur. Iuxta illud 1. Reg. 2. Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum. Et Matt. 10. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus &c.

Supplicium uiolati ſecundi præcepti.

HOC ſecundum præceptum non ſimpliciter proponitur, ſed additur grauiſſima comminatio: Non habebit Dominus inſontem eum, qui aſſumpſerit nomen Domini in uanum. Hæc appendix manifeſte ſignificat, q. Deus uindicet ſeueriſſime uiolationem

tionem huius præcepti. Magiſtratus ciuilis ſolet quidem mandata ſua aliquoties magna ſeueritate ciuibus proponere, ſed rariſſime tuetur ipſa eadem ſeueritate & conſtantia, qua propoſuit. Deo autem, ut in proponendis ſeu promulgandis mandatis ſuis nihil eſt ſeuerius, ita in tuendis ipſis nihil eſt conſtantius. Sciamus igitur iram & minas Dei haudquaquam eſſe uanas.

Ac primum, Deus ſolet uiolationem huius præcepti punire externa & corporali maledictione. In Deu. enim ca. 28. et Leui. ca. 26. dicitur. Si non audieris uerbum Domini Dei tui, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictus in domo etc. Inter uerba aũt ſeu præcepta Dei hoc præceptum de non aſſumendo nomine Dei in uanum, tenet ſecundum locum in Decalogo: Quare, qui uel temere iurat per nomen Dei, uel iurat falſo, uel peierat, uel ridicule aut ſcurriliter loquitur de uerbo Dei, uel prophanat alio modo nomẽ Dei, obnoxius eſt coram Deo omnibus corporalibus maledictionibus. Vnde extant in ſacris literis horribilia exempla, quibus Deus declarauit quanta ſeueritate uindicet prophanationem Nominis ſui.

Leuit. 24. Vir quiſpiam Ægyptius abutitur inter Iſraelitas nomine Dei ad maledicta, & execrationes. Iubet igitur Deus obruere eum lapidibus. Et addit generalem legem: Homo, qui blaſphemauerit nomen DOMINI, morte moriatur.

tur. Lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, &c.

4. Reg. 19. *Sancherib rex Assyriorum blasphemat nomen* Domini, *dicens ad* Ezechiam: *Non te seducat* Deus *tuus, in quo fiduciã habes &c.* Quare Deus *punit blasphemiam eius tanta seueritate, ut in exercitu eius, una nocte intereant centum octoginta quinq; millia uirorum, & ipse paulò post à suis ipsius filijs trucidetur.*

Daniel. 4. *Nabuchodonosor assumit nomen* Domini *in uanum, cum maiestatem regni à* Deo *sibi traditi, adscribit suis uirtutibus.* Nonne *hæc est, in quiens,* Babylon *ciuitas magna, quam* EGO *ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, &c. Sed non longe post punitur septem annis insania.*

Act. 12. *Herodes concionatur* Tyrijs, *qui acclamant ei,* Vox Dei *& non hominis. Hanc acclamationem cum* Herodes *agnosceret, ac non tribueret* Deo *gloriam, confestim percussus est ab* Angelo Dei, *& consumptus à uermibus, expirauit.*

Lib. 4. cap. 14. Euseb. *in* Eccle. *histo. commemorat ex* Irenæo, *quòd* Iohannes *Apostolus, cum apud* Ephesum *balneas lauandi gratia intrasset, & uidisset* Cerinthũ *ibi lauare, ac blasphema discipulis suis de* Christo *concionari, continuo abierit illotus, dicens ad comites suos: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ super nos corruant, in quibus* Cerinthus *lauat, & tã*

blas-

blaſphema euomit. Itaq; Iohannes Apoſtolus perſpicue ſignificauit, Deum blaſphemos in Nomen ſuum, horribiliter punire.

Deinde, Deus uindicat prophanationem Nominis ſui, non tantum externis pœnis, ſed etiam niſi pœnitẽtia agatur, perpetuo igni inferni. Qui mala, inquit Chriſtus, egerunt, ibunt in reſurrectionẽ condemnationis. Et Iohannes Baptiſta: Paleæ comburentur igni inextinguibili. Inter paleas autem præcipui ſunt blaſphemi et prophanatores nominis Dei. Infligit, inquit Paulus, ultionem his, qui nõ nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam luunt interitum æternum à facie Domini &c. 2. Theſſ. 1.

De impletione ſecundi præcepti.

IN primo præcepto formantur affectus cordis, & omnes interiores uires hominis, ut de uero Deo recte ſentiant, Deum uere timeant, Deo uere credant, ac uoluntati Dei uere obediant. In ſecũdo autẽ Præcepto formatur lingua ſeu ſermo de uero Deo. Non poteſt autẽ fieri, ut lingua recte & pie loquatur de Deo, niſi cor recte et pie de Deo ſentiat, Deum uere timeat, & ei uere credat. Sunt quidem, qui aliud corde ſentiunt, aliud ore loquuntur. Hæc autem eſt hypocriſis, de qua nunc non loquimur, ſed loquimur de ſermone conſentiente cũ corde, & placente Domino Deo noſtro. Quare, ut hoc ſecundum Præceptum impleatur, neceſſarium eſt,

eſt, ut ante omnia primum præceptum ſit impletum. Nam *ut recte & pie de* Deo *& Nomine eius loquaris, neceſſe eſt ut diligas* Deum *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus tuis etc.*

Niſi *enim hoc affectu erga* Deum *ardeas, nullus ſermo de* Deo, *ac nomine eius poteſt ei placere, & gratus eſſe. Oſtendimus autem ſupra, quòd non ſit ullus in terris homo, qui primo præcepto operibus ſuis perfecte ſatisfaciat. Quare, etſi multi, etiam impij, poſſunt de* Deo *honeſtiſsime ac piiſſime loqui, tamen quia hi non diligunt* Deum *uere, ſermo eorum non eſt* Deo *acceptus, nec implent hoc ſecundum* Præceptum, *& quanquam pius piorum de* Deo *ſermo, acceptus eſt ei, tamen quia nec ipſi ſatisfaciunt ſua ipſorum iuſtitia primo præcepto perfecte, idcirco nec huic ſecundo ad plenum ſatisfacere poſſunt.* Et *tamen exigitur à nobis impletio & ſatisfactio eius.* Niſi *enim ſatisfecerimus ei, non poſſumus ueram ſalutem conſequi.*

Quid *ergo faciamus?* Hoc *ſecundum præceptum non impletur quidem à nobis perfecta et integra operum internorum & externorum obedientia,* Poteſt *autem impleri alijs modis, ſicut ſupra in primo præcepto expoſuimus.* Nam *primo modo impletur fide, ſeu imputatione per fidem. Chriſtus enim, qui donatur nobis à* Deo *patre noſtro, eſt perfecta iuſticia, innocentia & ſanctitas,*

ac

ac impleuit uniuersam legem perfectißime & obedientißime. Quare si in hunc credimus, tunc imputatur nobis à Deo omnis iusticia & sanctitas eius. Itaq; efficimur per fidem in Christum iusti et sancti coram Deo, non quidem operibus nostris, sed imputatione.

Secundo modo dicitur hoc præceptum impleri nostra obedientia. Etsi enim ipsa obedientiæ opera non sunt tam perfecta, ut per se sint præcepti diuini impletio, tamen quia habemus impletionem in Christo per fidem, & obedientia oritur ex fide, idcirco licebit hanc obedientiam uocare aliquo modo Impletionem præcepti. Obedientia autem constat ijs operibus, quæ antea recensuimus, ac præcipue in eo ut inuocemus & confiteamur Nomen Domini, ac honeste loquamur de Deo, deq; omnibus rebus diuinis. Fides enim in Christum, si uera est, non est ociosa. Et manifestum est, quòd honeste loquaris de eo, cui ex animo faues. Quare si uere credis in Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, fieri non potest, ut nec de ipso, nec de uerbo eius loquaris uel inhoneste, uel contumelioſe, uel scurriliter. Etsi enim homo, quamuis pius, suam habet imperfectionem propter carnem, propter quam etiam ne sermo quidem oris omnino purus est coram Deo, tamen cum Spiritus dominatur carni, non imputatur quod reliquum est imperfectionis.

Sed

Sed cum ad præſtandam obedientiam huic ſecundo Præcepto *neceſſarius nobis ſit* Spiritus ſanctus, *non debemus* Spiritui ſancto *deeſſe, ſed quantum in nobis eſt, porrigere ei organa ſeu inſtrumenta, quibus ſit in nobis efficax. Sumus enim, ut*
2. Cor. 3. Paulus *ait, cooperarij* Dei.

Primum ergo ad obediendum ſecundo Præcepto *neceſſe habemus diligentes eſſe auditores* Euangelij Chriſti, *ut ex eo confirmemus fidem noſtram, & concipiamus uerum timorem* Dei. *Nam recta fides, & uerus timor* Dei, *rectificabit etiam linguam ac ſermonem de* Deo *& nomine eius.*

Deinde neceſſe habemus inuocare Deum, *ut ipſe gubernet linguam & ſermonem noſtrum. Etſi enim uidemur linguam maxime omnium in poteſtate noſtra habere, tamẽ tanta eſt corruptio noſtra, ut niſi* Deus *gubernauerit linguam, fieri non poßit, quin aberret.*

Prouer. 16. Homo *proponit quidem, ſed* Domini *eſt etiam linguam gubernare.*

Pſal. 140. *ſic orat:* Pone Domine *cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

Pſal. 50. Domine *labia mea aperias, & os meum adnunciabit laudem tuam.*

Non precaretur autem Dauid *pro cuſtodia oris, & apertione labiorum, niſi* Dominus *ſermonem noſtrum gubernaret.*

Præterea neceſſe habemus nos ipſos à multiloquio,

quio, & à temeritate loquendi abducere, & assue-facere aut taciturnitati, aut sermoni utili ad ædifi-cationem. Non debemus cor habere in lingua, sed linguam in corde, hoc est, antea meditari & dili-genter prouidere, quid sit loquendum. Psal. 38. Di-xi custodiam uias meas, ut non delinquam in lin-gua mea &c. Prouerb. 10. In multiloquio non dee-rit peccatum. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Ephes. 4. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat, Sed si quis est bonus ad ædificationẽ. Dixit quispiam apud Ethnicos, Nun-quam pœnituit me tacuisse, sed pœnituit sæpe lo-cutum esse. Hoc admoneamur & nos, ut assuefa-ciamus nos ad pauciloquium, et ad loquendum ea, quæ sunt pia, utilia, ac faciunt ad ædificationem, & ad gloriam nominis Dei.

Adhæc necesse habemus uitare & fugere ea contubernia et conuiuia, in quibus scimus Deũ bla sphemia affici, nomen Domini, & Euangelium ei-us contumelioſe tractari, & multa impie & bla-sphemе aduersus Deum & Sacramenta eius dici. Etsi enim cogitas fortassis te non ingressurum ta-lia contubernia & conuiuia, ut tu ipse discas ibi, aut exerceas blasphema & impia, tamen si fre-quens fueris auditor eorum, fies tandem & tu pro phanior, nec fieri potest, ut à talibus conuiuijs re-deas domum tuam melior, quàm exieras. Sicut e-nim qui ingreditur in solem, non ideo ingreditur,

ut referat nigrorem, ſed ut in luce ambulet, ne offendat pedem ſuum ad lapidem, & tamen fieri nõ poteſt, quin ſi diutius in Sole ambulaueris, contrahas aliquam nigredinem. Et *qui ingreditur in pharmacopolion, etſi non ingreditur ob hanc causam, ut reportet aliquem aromaticum odorem, tamen hic etiam nolentem comitatur,* Ita *qui frequens eſt conuictor hominum blaſphemorum, & eorum, qui impie aut ſcurriliter de* Deo, *de nomine* Dei, *de uerbo eius loquuntur, contrahit tandem etiam ipſe hoc uicium.* Vetus *dictum eſt,* Qui *iuxta claudum habitat, diſcit & ipſe claudicare.* Quare *ſi uolueris, ut debes, obedientiam tuam Domino* Deo *noſtro in hoc ſecundo præcepto probare, uitanda ſunt conuiuia & contubernia eorum, quos re ipſa comperiſti eſſe impios & blaſphemos.*

Deinde *neceſſe habemus uitare* helluationem *& ebrietatem, quam experientia docet eſſe occaſionem ad abutendum nomine* Dei, *& ad cuomendas blaſphemias erga* Deum. Ephe. 5. Ne *inebriemini uino, in quo eſt luxus, ſed impleamini* Spiritu *ſancto, loquentes uobismetipſis per* Pſalmos *&c.*

Poſtremo *memimiſſe debemus, quanta pœna* Deus *uindicet prophanationem* Nominis *ſui, quem admodum ſupra oſtendimus, & quàm grata ſit* Deo, *imò quàm utilis ſit nobis honeſta nominis* Dei *mentio, ut hac cogitatione excitemus cor noſtrum*

ad

ad regendam linguam, & gubernandum Spiritu ſancto omnem ſermonem noſtrum, quo non niſi uera & pia de Deo, ac omnibus rebus diuinis loquamur.

TERTIVM PRÆCEPTVM.

Memento ut diem Sabbati ſanctifices &c.

HOc eſt tertium & poſtremũ præceptum primi folij in tabula Decalogi. Et cũ in primo præcepto informetur mens, uoluntas & cor hominis de Deo, in ſecundo, lingua & ſermo, ut ſinguli homines priuatim recte de Deo ſentiant & loquantur. Nunc in hoc tertio ac poſtremo primi Folij præcepto inſtituũtur publici cœtus, publicæ hominũ congregationes, inſtituuntur Eccleſiaſtica Comicia, ſeu Concilia, ſeu Synodi, ſeu Diætæ, in quibus de uero Deo, ac diuinis rebus publice colloquendum, prædicandum, et tractandũ eſt, ut non ſolum præſens Eccleſia de uera erga Deum pietate erudiatur, ac in uera fide confirmetur, & conſeruetur, ſed etiam, ut uera doctrina de Deo ad poſteros propagetur. Natura enim ipſa monet, ut poſtquam ueram & ſalutarem de Deo cognitionem aſſecutus fueris, conſtanter eam retineas, et ea poſteros tuos imbuas, ut & ipſi huius ueræ et æternæ ſalutis participes fiant. Cum igitur in Eccleſia

1 2 3

Conuentus eccles. astici necessarij

ſtico conuentu publice tractari ſoleat doctrina religionis, qua doctrina alij ad concipiendam ueram fidem de Deo erudiuntur & excitantur, alij in fide confirmantur, manifeſtum eſt inſtitutionem horum Conuentuum eſſe utilem & neceſſarium. Nã, quemadmodum ad conſeruandum ſtatum politicorum Regnorum, ſuus eſt Comitiorum & Diætarum uſus, ita etiam ad conſeruandum & propagandum regnum, quod habet Chriſtus filius Dei in his terris, ſuam habent utilitatem publice cœtus & conuentus in Eccleſia. De his ergo Eccleſiaſticis ſeu Comicijs, ſeu Diætis, quæ alias dies Feſti uocantur, inſtitutum eſt hoc tertium Præceptum, **Memento ut diem Sabbati ſanctifices.** Sed quomodo hoc intelligendum ſit, explicant ea, quæ in Moſe ſequuntur. Sic enim dicit Moſes in Decalogo, Sex diebus opereris, & facias omnia opera tua, Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt. Non facias ullum opus in eo, tu, & filius tuus &c. hoc eſt, Ordinaui ſex dies, ut in his facias œconomica & politica negocia. Septimum autem diem ſanctificaui, & ordinaui, ut intermiſſis œconomicis & politicis operibus, uacES prædicando, audiendo, & diſcendo uerbo Dei, & peragendis Cærimonijs diuinitus inſtitutis & commendatis. Sicut enim horæ diei ſolent pueris diſtribui, ut alia hora ſumant cibum, alia dent operam literis, alia exerceant aliquem honeſtum luſum, ita

politica status q̃b. ſeruit

Dies feſti

ita & uniuersæ Ecclesiæ Dei distribuuntur in hebdomada dies, ut sex impendantur œconomicis & politicis operibus, septimus autem Dies impendatur operibus Ecclesiasticis.

In hoc autem præcepto de Sabbato, comprehenduntur duo. Alterum est Mosaicum seu Iudaicum, uidelicet, quòd ad peragenda publica sacra, nominatim septimus hebdomadæ dies, quem Sabbatum uocant, consecratus sit, & definitus. Hæc pars præcepti non pertinet ad nos Christianos, sed pertinuit tantum ad politeían Iudæorum. Deus enim instituit politeían Iudæorum, seu posterorum Abrahæ, ut in ea conseruaretur doctrina de initio et creatione mundi, & de lapsu hominis, ac de promissionibus reparandæ salutis per Semen mulieris, & per Semen Abrahæ. Futurum enim erat, ut Gentes in orbem terrarum dispersæ, uarie disputarent de initio mundi, & uel negarent mundum aliquando incœpisse, uel affirmarent multas annorum myriades, quibus mundus inceperit, pertransisse. Futurum etiam erat, ut gentes terrenis rebus immersæ, non haberent ullam curam de lapsu hominis, & de promissionibus recuperandæ salutis per Filium Virginis, quem Scriptura pro sua phrasi uocat Semen mulieris. Quare Deus sanctificauit & ordinauit Sabbatum, ut esset memoriale, quo admonerentur homines, de Creatione mundi, & de rebus gestis ab homine, cum in Para-

Sabbati obseruatio quatenus præcepta.

diſo collocatus eſſet, uidelicet, quòd ſtatim uiolauerit præceptum Dei, & factus ſit obnoxius æternæ morti ac damnationi, ſed et mox acceperit promiſſionem de uenturo ſaluatore Chriſto, cuius fide iuſtificemur, & ſeruemur. Nam quòd Sabbatum in hunc uſum initio inſtitutum fuerit, uerba ipſa, quæ in hoc præcepto apud Moſen ſequuntur, perſpicue ſignificant. Sex, inquit, diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et requieuit die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificauit eum.

Sed quia poſt aduentum Chriſti, noticia de initio mundi ſatis confirmata eſt per Euangelium Chriſti, & promiſsio de Chriſto impleta eſt, ideo Chriſtiani non obligantur ad obſeruationem Moſaici Sabbati. Vnde Paulus ad Coloſſ. cap. 2. ſcribens: Nemo uos, inquit, iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum &c. Alterum in hoc præcepto, eſt Morale, ſeu Naturale. Natura enim ipſa, ſicut ſupra diximus, monet nos, ut quem Deum colimus & adoramus, eius noticiam in nobis ipſis conſeruemus, & ad noſtros poſteros propagemus. Conſeruatio autem & propagatio noticiæ Dei, fit per doctrinam uerbi Dei. Vt autem alij alios uerbum Dei doceant, neceſſarius eſt Conuentus, & neceſſarium eſt certum conueniendi tempus. Quare res ipſa iubet certum

Morale ſeu naturale

diem definire, quo ad docendum & discendum uerbum Dei, & ad peragenda sacra diuinitus instituta congregemur. Licuisset autem maioribus nostris Sabbatum retinere, Sed bonæ sunt causæ, cur non agnouerint Sabbatum pro publico & solenni die festo in Christianismo. Licuisset etiam uel feriam secundam, uel feriam tertiam uel quartam, uel etiam nonam aut decimam pro publico festo die ordinare. Christus enim non dedit Ecclesiæ suæ mandata de certis diebus festis, sed uocauit eam in libertatem, tantum ne abutatur libertate ad uerbi Dei neglectionem, & ad carnis licentiam. Iuxta hanc igitur libertatem uisum est maioribus nostris diem à sabbato proximum, quem Dominicum uocamus, & quosdam alios dies in festos dies consecrare. Quare cum hi dies recepti sint in solennes dies festos, publico Ecclesiæ consensu, et confirmati publicis legibus, recte intelligemus in hoc præcepto, nomine Sabbati diem Dominicum, & alios quosdam festos dies, qui nõ ad confirmandam idolatriam, sed ad cognoscendam uere piam doctrinam celebrantur.

Quæ hoc tertio præcepto prohibentur? Quæ mandantur?

PERCVRRAMVS ergo, quæ postquam diuulgatum est Euangelium in orbem terræ, hoc præcepto, de Sabbato, prohibeantur, & quæ

exigantur. Priusquam autem ea recensеamus, con siderandum est, quod hoc præceptum non est insti tutum, ut faciat aliquod dierum discrimen per se. Nullus enim dies altero, per se sanctior est. Omnes dies sunt coram Deo æquales & sancti, imò in con spectu Dei mille dies sunt sicut unus dies, aut po= tius unum horæ momentum, & si quid minutius dici potest. Sed & nox coram Deo, dies est. Tene= Psal. 138. bræ, inquit, non obscurabuntur à te, & nox, sicut dies illuminabitur: Sicut tenebræ, ita & lumẽ eius. Quare ex hac institutione Sabbatum seu Festi dies, non mutantur per se in diuersam ab alijs dieb. naturam. Deinde instituuntur dies Festi, non quòd his tantum diebus debeamus pie uiuere, alijs autẽ diebus liceat scelerate uiuere. Omnibus enim uitæ nostræ diebus sectanda est pietas, obsequendum est uocationi Dei, & honeste uiuendum. Nullo die li= cet Deo diffidere, nomine Dei ad execrationes abuti, parentes contumelioſe tractare, aut furari, aut adulterium committere, sed quouis die am= bulandum est in præceptis Dei. Hoc autem præ= cepto de Sabbato, instituitur tantum ordo in Poli= ticis et Ecclesiasticis negocijs atq; actionibus. Sunt enim duplices hominũ actiones in hac externa ui= ta. Aliæ sunt, quæ pertinent ad necessitatem cor= Actiones hominum duplices. poralem. Quod genus sunt, Colere agros, exercere opificia, exercere mercaturam, tractare negocia forensia. Has actiones Scriptura uocat Seruiles.

Aliæ

Aliæ ſunt, quæ pertinent ad diſcendam doctrinam religionis, ad celebrandum nomen Domini publice in cœtu Eccleſiæ. Hæ ſunt actiones Eccleſiaſticæ. Inter has ergo tam diuerſi generis actiones inſtituitur hoc præcepto ordo, uidelicet, ut alijs diebus colamus agros, & exerceamus opificia, alijs autẽ diebus conueniamus publice ad diſcendam religionem, & ad celebrandum nomen Domini in Eccleſia. A quibus ergo actionibus abſtinendum ſit feſtis diebus, docent nos ipſa uerba Decalogi.

Sex, inquit, diebus operaris, & facias omnia opera tua, hoc eſt, ijs operibus, quæ ad communem corporalem neceſsitatem pertinent, deſtinati ſunt ſui dies, quos uocamus uel prophanos, uel profeſtos, uel ſeruiles. In diebus autem feſtis nullum facias opus, nec tu, nec filius tuus &c. Hæc pericope non loquitur de omnibus operibus indiſcriminatim, ſicut Iudæi hypocritæ interpretantur, qui ſentiunt, in Sabbato, ne quidem ſuper gramine ambulandum, ne euellas, & nec pulicem occidendum, niſi te mordeat, & multa alia delyria. Sed loquitur de operibus ſeruilibus, hoc eſt, uel agriculturæ, uel opificij, uel mercaturæ. Ac ne hoc quidem ſuperſtitioſe intelligendum eſt. Non enim imponitur nobis Iudaicum iugum, Sed hæc opera ſic intermittenda ſunt, ut non abrogetur autoritas publicorum Feſtorum, & non negligatur doctrina uerbi Dei. Sicut enim in politicis, ita & in hac Eccle-

ſiaſtica ordinatione locum habet illud uulgo iactatum: Neceßitas non habet legem, Vt ſi, exempli gratia, in meſſe tota hebdomada pluerit, dies autem Dominicus fuerit ſerenus, et aptus ad conuehenda frumenta in horreum, non deberet eſſe illicitum in tali neceßitate, frumenta, ne perirent, conuehere. Ad hæc ſi ſemel aut iterum in anno acciderit, ut alicubi in uicinia fuerint feſtis diebus publicæ nondinæ, impune eſſe deberet, has nondinas familiaris ſuæ neceßitatis gratia uiſitare. Neq; enim in Chriſtianiſmo probanda eſt in dierum feſtorum obſeruatione uel hypocritica ſuperſtitio, uel Iudaica ſeueritas.

Sed cum hæc Chriſtianiſmi libertas docetur, uide, obſecro, quàm ſceleratè uulgus hac libertate abutatur. Cum enim permittitur, ut aliquoties in feſtis diebus conuehant frumenta, & uiſitent nondinas, incipiunt hoc tempore quibuſuis feſtis diebus ſua agriculturæ & mercaturæ negocia exercere. Itaq; iam non hoc agitur, ut aliquoties neceßitati parcatur, ſed ut dies feſti omnino aut è medio tollantur, aut fiant nondinæ, ac dies ſeruiles. Alij legitimum feſti diei uſum inuertunt & mutant. Ante meridiem, contempto auditu uerbi Dei, negociantur. Poſt meridiem, intermißis negocijs, uiſitant publica conuiuia. Alij pergunt ſemper, ſine ulla intermißione, ſeruilia ſua opera, ſiue feſtis, ſiue ſeruilibus diebus, exercere.

Hi non

Hi non ſimpliciter peccant aduerſus hoc præceptum, Sed etiam abolent, quantum in ipſis eſt, præceptum, & tollunt è Repub. omnem religionis doctrinam. Nam cum Paterfamilias negligit Sacra, & exercet ſeruilia tantum opera, ſequitur exemplum eius uniuerſa familia, quæ cum aſſuefit ad uerbi Dei neglectionem, et dierum feſtorum uiolationem, propagare ſolet hoc exemplum etiam in ſuos poſteros, donec in ea ſucceſsione omnis ueræ religionis cognitio prorſus extinguatur. Quare tales feſtorum dierum prophanatores grauiſsime peccant, et horribiliter punientur, quemadmodum poſtea indicabitur.

Sed ut ſciamus, quàm late pateat uis huius præcepti, ſingula uerba eius diligenter expendenda ſunt, Lex enim non ſimpliciter dicit, Non facias in eo ullum opus, ſed explicat etiam nominatim, à quibus perſonis hoc religioſum otium requirat.

Tu, inquit, Alloquitur patremfamilias & uxorem eius, quia maritus & uxor ſunt unum corpus. Patres igitur & matresfamilias debent primi intermittere diebus feſtis opera ſeruilia, non in hunc uſum, ut uiſitent conuiuia, & helluentur, ſed ut uiſitent conciones, & non tam exemplo, quàm etiam doctrina ſua familiam in ueræ pietatis cognitione erudiant.

Filius tuus & filia tua.

Non exiſtimat lex ſibi ſatisfactum, ſi paterfamilias

lias intermiserit opera seruilia, sed exigit, ut etiam liberi ea intermittant, quo possint operam dare audiendo uerbo Dei, & celebrando nomini Domini in Ecclesia.

Seruus tuus & ancilla tua. Deus habet etiam seruorum & ancillarum curam. Non enim est personarum respector. Et in Christo non est liber nec seruus, non mas nec fœmina. Et uult Deus omnes, siue liberos siue seruos, ad agnitionem ueritatis uenire. Quare concedit hoc præcepto seruis & ancillis prærogatiuam, quòd diebus festis non debeant operibus seruilibus grauari, quo & ipsis liceat uacare sacris concionibus, & cognoscere ueram doctrinam pietatis. Nec committere debent, ut sinant sibi hanc prærogatiuam diuinitus concessam, ab impijs & auaris patribus familias eripi.

Iumentum tuum. Quid hoc? Num & boues Deo curæ sunt? Deus omnia quidem, non iumenta tantum, sed et agros, curat & administrat. Qui dat, inquit Psal. iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum, inuocantibus eum. Et in Leuitico
Leuit. 26. definit agris sua Sabbata. Sed in hoc præcepto suscipit specialem curam iumentorum, non tam propter ipsa iumenta, quàm propter homines. Nam si Festis diebus non imponuntur onera & opera iumentis, integrum est familiæ, ut uacent studio piæ doctrinæ, & publicæ orationi. Sed & iumenta redeunt

deunt poſt mediocre ocium uegetiora & alacriora ad ſua opera. Durare enim non poteſt, quod caret requie alterna. Quare paterfamilias, qui tam crudelis eſt, ut adimat iumento ſuam à Deo conceſſam libertatem, et cogat ipſum etiam feſtis diebus laborare, indignus eſt, cui iumentum ſeruiat, & qui ullam ex laboribus eius benedictionem conſequatur.

Et aduena qui eſt intra portas tuas.

Nomine Aduenæ intelligamus nunc Mercenarium. Sicut enim nec ſerui, ita nec Mercenarij opera licet in Feſtis diebus, ad ſeruilia negocia uti.

Dices igitur. Si non licet in Feſtis diebus ſeruilia opera exercere, quid faciendum eſt? Supra enim dictum eſt, quòd quouis die debeamus ſacroſancta opera, quæ nobis diuinitus ſunt præcepta, facere. Qualia ſunt: Non eſſe nominc Dei ad execrationes abutendum, Honorandos parentes, Non occidendum, Non inuidendum, Non adulterandũ, non helluandum, & ſi qui ſunt alij id genus cultus, qui quouis die præſtandi ſunt. Quid ergo proprie & ſingulariter exigitur, quod faciendum ſit feſtis diebus? Num tantum ociandum eſt? Non eſt obſcurum, quòd ſapientes Ethnici riſerint Sabbata & Feſtos dies populi Dei. Apud Auguſtinum reprehendit ſapiens quiſpiam huius mundi Iudæos, quod quouis ſeptimo die ocium agant, affirmans

Opera ſabbati.

Auguſti. de Ciuita. Dei lib. 6. ca. 11.

mans eos inutiliter facere, quòd per illos singulos septem interpositos dies, septimam fere partem ætatis suæ perdant uacando. Sed ille næ sapiendo facit ut nihil sapiat. Festi enim dies in populo Dei instituti sunt, non ut omnino nihil agatur, sed ut summum & præcipuum negocium conficiatur. Non enim creati sumus, & collocati in hac terra præcipue propter hunc usum, ut terram colamus, & seruilia opera exerceamus, sed ut Dominum Deum nostrum cognoscamus, uerbum Dei discamus, Deum inuocemus, nomen Dei tam publice quàm priuatim celebremus. Festi autem dies instituti sunt, ut in ijs uacemus prædicando & audiendo uerbo Dei, ex quo uerum Deum cognoscere, uerum Deum inuocare, & alios ueros cultus Deo præstare discamus. Quare festis diebus præcipuum opus, & maxime omnium negocium conficitur. Apud Lucam dicit Christus ad Martham: Vnum est necessarium. Sunt igitur & festi dies necessarij. Quid ita? quia hi dies ad hunc usum instituti sunt, ut unum illud necessarium, quod est, Audire uerbum Dei, peragatur. Sunt & ea opera, quæ uocamus seruilia & ciuilia, necessaria ad corporalem uidelicet salutem. Hoc unum autem, quod est, Audire & discere uerbum Dei, necessarium est ad ueram, spiritualem, cœlestem & æternam salutem. Quare, cum festi dies sanctificati sint ad prædicandum & audiendum uerbum

Dei

Dei, manifestum est, quòd obseruatione horum operum peragatur negocium longe omnium optimum & excellentissimum.

Quòd autem sapientes huius mundi rideant ocia sabbatorum, ac censeant ea nõ solum esse inutilia, uerumetiam detrimentosa, habet quidem nonnullam sapientiæ speciem Solent enim singulis annis, octoginta, plus minus, festi diesobseruari, quæ est quarta fere pars anni. Quantum igitur lucri, quantum commodi, ex tot dierum ocio, et negociorum intermissione, agricolis, opificibus, et negociatoribus decedere uidetur? Sed hæc mundi sapientia uere est corã Deo stultitia. Non enim potest esse detrimentosum ocium, quod collocatur in eo officio, ad quod maxime omnium diuinitus uocati sumus. Etenim Deus creauit nos ad suam ipsius imaginem & similitudinem, ut ipsum agnoscamus, & nomen eius celebremus, ac ut confugiamus ad ipsum, & inuocemus ipsum ex fide, in omnibus nostris siue actionibus siue passionibus: Denique ut iusticia Filij eius donati, ambulemus in uocationis suæ obedientia, & accipiamus propter Filium suum hæreditatem cœlestis regni. Hoc est proprium officium, hic est uerus finis hominis. De hoc autem officio & fine erudimur ex uerbo Dei. Ad hoc officium faciendum, & hunc finem adsequendum excitamur et inflammamur uerbo Dei. Ocium autem dierũ festorum ad-

huc

huc proprie usum sanctificatur, ut uerbum Dei prædicetur, audiatur, & cognoscatur. Quare fieri nõ potest, quin hoc ocium, si in ijs rebus, ad quas conficiendas ordinatum est, collocetur, sit negocium Deo acceptißimum, ideoq; longe omnium utilißimum.

Testatur etiam Deus in Scriptura tã promißionibus quàm exemplis, q. tali ocio ita saueat, ut benedicat ei non solum spiritualibus, uerumetiam terrenis commodis & lucris.

In Exo. ca. 16. Israelitæ colligebant Manna, sex diebus. Et quicquid reponebant in alterum diem, cœpit uermibus scatere, & computrescere, præterquàm ea, quæ die sexto, quo etiam singuli duplicem colligebant mensuram, ad Sabbatum reponebantur.

a Vetus Rhitmus.

Almosen geben armet nicht/ Predig hõrẽ saumpt nicht/ Betẽ verschleit die zeen nicht/ Wagẽ schmeren hindert nicht.

Quo miraculo testificatus est Deus, ocium Sabbati seu festorum dierum in tantum nõ esse detrimentosum, ut propter hoc, benedicat, conseruet & augeat ea, quæ negocijs dierum seruilium parantur, alioqui futura infœlicia, & putrida.

In Exod. cap. 34. iubentur Israelitæ ter in anno nõ solum negocia sua seruilia intermittere, uerumetiam relictis sedibus suis ad locum tabernaculi seu templi Dei proficisci, et ibi dies festos agere. a Quis ergo interea tuebitur urbes et pagos à ciuibus suis desertos? Cum tulero, inquit Dominus gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus

nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Hic recipit Deus seipsum fore urbium & pagorum tutorem, dum ciues officium festorum dierũ peragant.

In Leuitico cap. 26. Custodite Sabbata mea, & pauete ad Sanctuarium meum. Ego DOMINVS. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo uobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & arbores pomis replebuntur. Hic promittit Deus se cum propter aliorum suorum mandatorum, tum etiam propter Sabbati obseruationem daturum tempora frugifera & annos fertiles. Ocium igitur Sabbati maius affert agris incrementum, quàm ipsum per se negocium agricolationis.

Esai. 58. Si auerteris in Sabbato pedem tuum facere uoluntatem tuam in die sancto meo, cibabo te hæreditate Patris tui, hoc est, dabo tibi in terra tua tranquillitatem & rerum abundantiam.

Hiere. 17. Si sanctificaueritis diem Sabbati, ne faciatis in eo ullum opus, ingredientur per portas ciuitatis huius, Reges & Principes. Et mox. Venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Hierusalem portantes holocausta &c. hoc est, erunt tempora tranquilla et fructifera. Quare etsi uidemur ocio Festorum dierum aliquam rerum iacturam

facere, tamen si hoc ocium iuxta uocationem Dei peragimus, Deus iacturam illam tam liberali omnium rerum & facultatum nostrarum benedictione compensat, ut humanæ rationi nihil uideatur admirabilius.

Supplicia uiolati Sabbati, seu diei Festi.

IN Nume. cap. 15. deprehendunt Israelitæ hominem colligentem in Sabbato ligna. Itaq; obruitur, iubente Domino, lapidibus. Etsi autem colligere in Sabbato ligna, uidetur peccatum uix reprehensione, nedum tanta pœna dignum, uoluit tamē Deus, ut hoc peccatum tanta seueritate puniretur, propterea quòd hac uiolatione periclitabatur ipsa Sabbati institutio. Nam si is euasisset impunis, reliqui, exemplo eius, Sabbatum ita uiolare perrexissent, ut tandem omnino fuisset neglectum & abrogatum. Vt non & hoc addam, quòd hic homo collegerit ligna in Sabbato, magis ex contumacia & contemptu legis, quàm ex necessitate, quemadmodum ea, quæ in illo 15. cap. præcedunt, haud obscure significant.

Leuit. 26. Placebunt, inquit, terræ Sabbata sua cunctis diebus solitudinis suæ. Quando fueritis in terra hostili, sabbatisabit, & requiescet in Sabbatis solitudinis suæ, eo quòd non requieuerit in Sabbatis uestris, quando habitabatis in ea. Hic perspicue

ue docet Scriptura, quòd propter Sabbati uiolationem regio deuaſtetur, & habitatores captiui in hoſtilem terram abducantur.

Hiere. 17. Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Hieruſalem in die Sabbati, ſuccendam ignem in portis eius, & deuorabit domos Hieruſalem, & non extinguetur. Hic iterum uides, quòd urbes deſtruantur & deuaſtentur propter Sabbati uiolationem.

Nehemiæ 13. Vidit Nehemias calcantes torcularia in Sabbato etc. Et dixit. Quæ eſt hæc res mala quam facitis, & profanatis diem Sabbati? Nun quid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem hanc, &c.

Etſi autem Sabbatum Iudaicum abrogatum eſt in Chriſtianiſmo, quemadmodum ſupra expoſuimus, diſciplina tamen dierum Feſtorum, qui ad docendam ueram religionem, & celebrandū in publico cœtu nomen Domini publico conſenſu inſtituti ſunt, non eſt abrogata. Quare neglectus et contemptus piæ doctrinæ, in diebus Feſtis, non minori ſupplicio uindicabitur à Domino, quàm olim uindicata eſt prophanatio Sabbati. Hic enim neglectus et contemptus uerbi Dei, q, feſtis diebus publice in Eccleſia adnunciari ſolet, dignus eſt non tantum maledictione terrenorum bonorum, uerumetiam

ſupplicio æterno. Non eſt oſcitanter conſiderandum, quòd Chriſtus apud Iohannem cap. 8. dicit, Qui ex Deo eſt, uerbum Dei audit. Ergo qui contemnunt uerbum Dei, & ex contemptu non audiunt, hi non ſunt ex Deo. Itaq; neceſſe habent perpetuo interire.

Quid faciendum, ut Dies feſti uere & pie obſeruentur.

AD huius tertij præcepti impletionem, & ueram ac piam Feſtorum dierum obſeruationem, nō eſt ſatis, ut intermiſſis ſeruilibus operibus ocieris, & accommodes ad dimidium horæ, aut etiam amplius, aures tuas audiendo uerbo Dei, ſed multa alia requiruntur.

1 Primo requiritur, ut Dominum Deum diligas ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus uiribus tuis. Hoc enim primum mandatum, eſt fundamentum omnium reliquorum mandatorum Dei. Oſtendimus autem ſupra, quòd hoc mandatum non impleatur à nobis, noſtra dilectione, ſed fide in Ieſum Chriſtum, qui eſt tota noſtra iuſticia, & dat Spiritum ſanctum, ut incipiamus aliquo modo Deum diligere, & uoluntati eius obſequi.

2 Secundo, requiritur, ut Feſtis diebus, quo proprie hoc præceptum reſpicit, tradamus nos totos erudiendos pia doctrina. Et quemadmodum Scholaſtici habent certas horas, quibus toti intenti ſunt

ſunt ad diſcendas bonas artes, etiamſi ne alijs quidem horis ſtudium diſcendi abijciendum eſt, ſi datur occaſio, Ita etſi ſemper debemus ſtudio cognoſcendi uerbi Dei intenti eſſe, tamen ſentiamus Feſtos dies nobis definitos eſſe, tanquam certa tempora, quibus uni audiendi uerbi Dei, & celebrandi Nominis eius operi uacemus. Non hoc iugum imponitur nobis, ut ab initio diei Feſti continenter uſq; ad ueſperam in templis uerſemur. Sed quemadmodum cum præcipitur, ut ſine intermiſſione oremus, relinquitur precatori ſua externa quies, ne fiat ex ipſo Euchites, ita diſcipulo & auditori uerbi Dei ſua datur, pro temporis opportunitate, intermiſſio, tantum ut maxime omnium id agat, ad quod inſtitutione diei Feſti uocatur.

Tertio requiritur, ut operam & ſumptum ad conſeruandum & tuendum in Eccleſia miniſterium uerbi Dei conferas. In Exod. cap. 23. dicit Dominus: Non apparebis in conſpectu meo uacuus. Quo præcepto non exigitur quidem, abrogato iã Leuitico cultu, ut offeras in templo Leuiticas oblationes, exigitur autem, ut conſeruationem miniſterij in Eccleſia, conſilijs, impendijs, collationibus, & quoquo modo potes, adiuues. In Aggæo dicit Dominus: Quia domus mea deſerta eſt, & uos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam, propter hoc ſuper uos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum: Aua-

Sumptus

ri existimant ea perire, quæ conferuntur ad conseruanda Ecclesiæ ministeria, sed Spiritus sanctus affirmat, maledictionem frugum, & rerum penuriam diuinitus immitti, si neglecta Ecclesiastici ministerij conseruatione, solam tuæ ipsius domus curam habeas. Significat igitur tantum abesse, ut ea quæ ad tuendum ministerium uerbi Dei conferunt, pereant, ut potius omnium rerum benedictionem & incrementum secum afferant.

In Nehemia cap. 13. grauiter reprehenduntur Magistratus, quòd Leuitæ necesse habuissent deserere sua ministeria, & fugere ad suam quisq; regionem, propterea quòd suæ partes nõ fuissent eis datæ. Quare ad obseruationem Festorum dierum etiam hoc officium pertinet, ut liberaliter de facultatibus tuis, ad conseruandam & propagandam in Ecclesia piam doctrinam conferas.

Luc. 21. † Esai. 5. Sobrietas. Plenus uenter non studet libenter.

Quarto cum crapula & ebrietate corda hominum ita grauentur, ut nec opera nec uerba Domini recte obseruent & percipiant, requiritur, ut ad custodiendos festos dies, sobrietatem diligenter secteris. Vetus dictum est, Plenus uenter non gignit sensum tenuem Quare ut sis aptus & docilis ad percipiendam piam doctrinam, sobrius sis necesse est. Verisimile autem est, q̃ initio aliquot pij sua sponte abstinuerint se ab esu carnium duobus diebus ante diem Dominicum, non q̃ discrimen ciborum ad salutem necessarium esset, et quòd talis

lis abſtinẽtia eſſet peccatorum expiatio. Hæ enim ſunt impiæ opiniones, ſed ut hac conſuetudine præcideretur occaſio publicorum conuiuiorum, & comeſſationum, & homines duobus diebus ad ſobrietatem adſuefacti, conuenirent die Dominico ad percipiendam doctrinam religionis, aptiores, & dociliores. Quæ cõſuetudo, ſi abſit ſuperſtitio, tanto magis laudanda eſt, quanto plus uituperanda eſt licentia uulgi, quæ his temporibus late uagari incipit. Poſtquam enim per doctrinam de libertate Chriſtiana, ſublatum eſt diſcrimen ciborum, ſolet uulgus conuiuia ſua in ueſperam dici Sabbati reijcere, ut prius lauent, deinde helluentur, quo liceat ipſis poſt crapulam, ſequenti die Dominica, per ocium, quàm diu libet, ſtertere. Itaq; aut omnino auditum uerbi Dei negligunt, aut ſi in cœtum Eccleſiaſticum uenerint, adſtant ſurdi, heſterna crapula adhuc grauati. Quibus moribus dies feſti multo magis profanantur, quàm exercitijs opificiorum, aut agriculturæ. Quare ad ueram dierum Feſtorum obſeruationẽ requiritur, ut ſemper quidem, præcipuè autem cum inſtat Feſtus dies, ſobrietatem ſecteris.

Quinto, Paterfamilias non exiſtimet ſe Feſtum 5
diem uere cuſtodire, ſi, cum ipſe ſolus è domo ſua, uerbum Dei, ante meridiem audierit, poſt meridiem, ineat, neglecta domeſtica familia, conuiuia & helluationes. Sed requiritur, ut & curet de eru-

dienda familia ſua, in doctrina uerbi Dei, & exigat ab ea rationem eorum, quæ publice in Eccleſia docentur & tractantur. Hoc uult Spiritus ſanctus, cum iußit Moſen in Exodo ſic ſcribere: Cum introieritis terram, quam Dominus Deus daturus eſt uobis, ut pollicitus eſt, obſeruabitis cærimonias iſtas, & cum dixerint uobis filij ueſtri, Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima, tranſitus Domini eſt &c. Et Deutero. 6. Erunt uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis ſedens in domo tua &c. Et Pſal. 77. Suſcitauit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſrael. Quæ mandauit patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, ut cognoſcat generatio altera &c. Videmur nimis magna, & à præſentibus hominum moribus multum abhorrentia exigere. Exiſtimant enim dies feſtos eò inſtitutos, ut helluentur, & uociferantur talibus præſcriptis fieri è ciuitatibus Monaſteria. Verum hæc doctrina non eò reſpicit, ut faciat hypocritas Monachos, ſed ut faciat pios, honeſtos & ſobrios Chriſtianos. Meminiſſe enim debemus, in hunc uſum nos & creatos eſſe, & in hoc præſenti ſeculo uitam agere, ut diſcamus Deum cognoſcere, & celebremus Nomen eius, ac propagemus cognitionem eius ad poſteros. Nam & hic eſt uerus ac legitimus Coniugij uſus, ut uera doctrina & noticia Dei propagetur per liberos ad poſteritatem, & conſeruetur

Exod. 12.

tur de generatione in generationem, donec redeat Filius Dei de cælo in ſua maieſtate, et aſſumat nos ut ſemper cũ ipſo in cœleſti regno uiuamus. Quare qui neglecta familia ſua, in diebus Feſtis belluantur tantum, aut ludis & ſpectaculis uacant, hi ut grauiter peccant, ita fiunt obnoxij maledictioni tam corporali, quàm ſpirituali.

Das gemein volck wird am Feirtage/ morgens von brandten wein toll/ Nach mittage/ vom anderen wein vol/ zu abends aber ein Enol.

6 Sexto, ad abſoluendam Feſtorum dierum obſeruationem, requiritur, ut piæ doctrinæ, quam in diebus Feſtis didiceris, ſemper obedias, in diebus etiam ſeruilibus. Si enim rem recte expenderis, neceſſe habes dies Feſtos diebus ſeruilibus cuſtodire, & implere. Nam diebus Feſtis ſolet explicari tam Decalogus quàm Euangelium Chriſti, quorum hoc exigit fidem, ille autem bona opera. Semper autem omnibuſq; diebus, ſiue feſtis ſiue ſeruilibus credendum eſt Domino Deo noſtro, & iuxta præcepta eius bene operandum. Quare neceſſarium eſt, ut dies feſtos dieb. ſeruilibus impleas, hoc eſt, ut quod feſto die ex uerbo Domini didiceris, hoc ſeruili die facias, & pro uirili, adiuuante Spiritu ſancto, adimplere ſtudeas.

Mannus den feirtag am werckteg halten.

QVARTVM PRÆCEPTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam &c.

OStendimus ſupra, quòd Decalogus initio ſcriptus fuerit in tabulam lapi-

deam, quæ habuit duo folia. In priori folio ſcripta fuerunt tria prima præcepta, quæ immediate ad cultum Dei pertinent. Et quorum epitome ſeu compendium eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine tua. In poſteriori folio ſcripta fuerunt reliqua præcepta, quæ pertinent ad dilectionem proximi, & quorum compendium eſt, Diliges proximum ſicut teipſum. Cum igitur percurrimus qualicunq; interpretatione, præcepta prioris folij, accedamus nunc ad interpretanda poſterioris folij præcepta. Sed priuſquam ea ſingulatim perſequamur, cõſiderandum eſt, q; etſi ſecundum folium Decalogi præcipit tantum de ijs operibus, quibus homines ſunt colendi, & quæ pertinent ad conſeruandam in hac terra humanam ſocietatem, tamen ſunt etiam mediate uerus cultus Dei. Et qui ea ſectatur, is exhibet Deo cultum gratißimum. Cum enim Deus ea opera ſeueriter præcipiat & exigat, ac inobedientiam horum præceptorum grauißime puniat, cultus Dei acceptißimi ſint neceſſe eſt. Eſai. 1. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit Dominus. Hic non ſolum ſignificat Deus placere ſibi hæc opera, uerumetiam promittit ſe compenſaturum ea magnis beneficijs. Et Mich. 6. Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtiq; facere iudicium, diligere miſericor-

diam

diam, seu beneficentiam erga proximum, &c.

Et ut opera horum præceptorum maiori autoritate nobis commendarentur, Spiritus sanctus anteferta sacrificijs, et alijs operibus Cærimonialibus. Sic enim dicit Ose. 6. Misericordiam seu beneficentiam erga proximum, uolo, et non sacrificium. Et Christus ipse Matth. 5. Si obtuleris, inquit, munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, q̃ frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque hic munus tuum coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo &c. Accedit & hoc, quòd Christus apud Matth. ca. 22. affirmat hoc præceptum de Dilectione proximi, esse simile præcepto primo de dilectione Dei. Quare etsi opera, quæ in posteriori folio Decalogi exiguntur, uidentur tantum ad hominis proximi utilitatem pertinere, tamen sunt & ipsa cultus Deo gratissimus, & quod Paulus de seruis dicit, officia ipsorum non hominibus tantum, sed etiam Domino Christo exhiberi, ita sentiamus nos tum Domino Deo nostro seruire, cum iuxta regulam horum præceptorum beneficia in proximum conferre studemus. Ephe. 6.

Orditur autem Deus secundum folium Decalogi ab honore parentibus præstando, quia post Deum, nulla creatura, nullus hominum nobis coniunctior est parentibus nostris, & ijs, qui sunt loco parentum, quantum quidem ad ascendentem consanguinitatis lineam attinet.

Scia-

deam, quæ habuit duo folia. In priori folio scripta fuerunt tria prima præcepta, quæ immediate ad cultum Dei pertinent. Et quorum epitome seu compendium est, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine tua. In posteriori folio scripta fuerunt reliqua præcepta, quæ pertinent ad dilectionem proximi, & quorum compendium est, Diliges proximum sicut teipsum. Cum igitur percurrimus qualicunq; interpretatione, præcepta prioris folij, accedamus nunc ad interpretanda posterioris folij præcepta. Sed priusquam ea singulatim persequamur, cõsiderandum est, q, etsi secundum folium Decalogi præcipit tantum de ijs operibus, quibus homines sunt colendi, & quæ pertinent ad conseruandam in hac terra humanam societatem, tamen sunt etiam mediate uerus cultus Dei. Et qui ea sectatur, is exhibet Deo cultum gratißimum. Cum enim Deus ea opera seueriter præcipiat & exigat, ac inobedientiam horum præceptorum grauißime puniat, cultus Dei acceptißimi sint necesse est. Esai. 1. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit Dominus. Hic non solum significat Deus placere sibi hæc opera, uerumetiam promittit se compensaturum ea magnis beneficijs. Et Mich. 6. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtiq; facere iudicium, diligere misericor-

diam

diam, seu beneficentiam erga proximum, &c.

Et ut opera horum præceptorum maiori autoritate nobis commendarentur, Spiritus sanctus attefert ea sacrificijs, et alijs operibus Cærimonialibus. Sic enim dicit Ose. 6. Misericordiam seu beneficentiam erga proximum, uolo, et non sacrificium. Et Christus ipse Matth. 5. Si obtuleris, inquit, munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, q. frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque hic munus tuum coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo &c. Accedit & hoc, quòd Christus apud Matth. ca. 22. affirmat hoc præceptum de Dilectione proximi, esse simile præcepto primo de dilectione Dei. Quare etsi opera, quæ in posteriori folio Decalogi exiguntur, uidentur tantum ad hominis proximi utilitatem pertinere, tamen sunt & ipsa cultus Deo gratissimus, & quod Paulus de seruis dicit, officia ipsorum non hominibus tantum, sed etiam Domino Christo exhiberi, ita sentiamus nos tum Domino Deo nostro seruire, cum iuxta regulam horum præceptorum beneficia in proximum conferre studemus. Ephe. 6.

Orditur autem Deus secundum folium Decalogi ab honore parentibus præstando, quia post Deum, nulla creatura, nullus hominum nobis coniunctior est parentibus nostris, & ijs, qui sunt loco parentum, quantum quidem ad ascendentem consanguinitatis lineam attinet.

Scia-

Sciamus ergo, qui ueniant & comprehendantur nomine parentum.

Primo, Nomine parentum comprehenduntur à quibus nati ſumus. Etſi enim Chriſtus apud Matthæum cap. 23. dicit, Patrem nolite uocare uobis in terra. Vnus eſt enim Pater ueſter, qui eſt in cœlis, tamen non ſentiamus hoc dicto tolli præceptum iſtud de honorandis parentibus, & mandari nobis contemptum & abnegationem naturalium noſtrorum parentum, Sed Chriſtus perſtringit hoc dicto Phariſæos, qui Patris uocabulum ſibi ita uſurpabant, ut ſentirent ſe eſſe traditionibus ſuis ueræ ſalutis hominum autores, & cœleſtia beneficia è ſola ſua poteſtate pendere, ut poſſent, quem uellent, coram Deo, beare, & quem uellent, damnare. Matth. 23

Hanc Phariſæorum ſententiam reijcit Chriſtus, & docet, quòd non debeamus alium uitæ & ſalutis noſtræ perpetuæ autorem agnoſcere, præter Dominum Deum noſtrum in cœlis. Hic enim ſolus eſt uerus noſter Pater, cuius etiam ſolius beneficio accepimus hanc corporalem uitam. Sed quia dedit eam nobis, miniſterio corporalium parentum, ideo commendat nobis hos parentes diligentiſſime, ut ad declarandam gratitudinem noſtram Patri cœleſti, ueneremur & honoremus patrem terreſtrem.

Secundo, Parentum nomine comprehenduntur

tur, Tutores & Curatores noſtri, qui uel à parentibus, uel à Magiſtratu ad hoc uocati ſunt, ut noſtri curam habeant. Parentum uocabulum quibus conueniat.

Tertio, Parentum nomine uenit Magiſtratus ciuilis, qui eſt pater Patriæ. Nam quod eſt paterfamilias in priuata domo, hoc eſt Magiſtratus in ciuitate aut regione.

Quarto, Parentum nomine comprehenduntur domini familiarum erga ſeruos, ancillas, & omnes domeſticos.

Quinto, Parentes ſunt paſtores Eccleſiæ et cõcionatores Euangelij Chriſti. Hi ſunt ſpirituales Patres, quorum miniſterio Chriſtus colligit filios Dei, qui una cum ipſo accipiant cœleſtem hæreditatem. Sic Paulus uocat ſe patrem Galatarum. Filioli mei, inquiẽs, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Chriſtus, Gala. 4.

Sexto, Parentes ſunt doctores literarum & artium, & magiſtri opificiorum.

Septimo, reputantur pro parentibus omnes maiores natu, præſertim hi, qui ſunt canicie et honeſtate inſignes, de quibus Leuit. 19. dicitur: Honora perſonam ſenis, & coram cano capite conſurge, &c. Leui. 19

Habes, quos pro Parentibus agnoſcere debeas. Nunc uidendum erit, quid per honorem ſit intelligendum, cum dicitur, HONORA patrem etc.

Pri-

Primo, per Honorem intelligamus Reuerentiam, & existimationem, quæ de diuinis Ordinationibus, Coniugij, Magistratus, & Ministerij Ecclesiastici tenenda est, De qua re necessarium est, ut admoneantur. Sunt enim homines tam prophani, qui sentiunt rebus humanis melius consuli, si haberetur hominum inter se æqualitas, & si nullum esset coniugium, sed essent mulieres communes. Hi existimant coniugium ortum Zelotypia, magistratum, ambitione aut tyrannide, & Ministerium Ecclesiæ consuetudine magis, quàm necessitate. Solent & contemptißime dicere. Quid? Si ab hoc nõ essem genitus, genuisset me alius quispiam, fortassis ditior aut nobilior. Quid? Etiamsi nullus esset Princeps, nullusq; Ecclesiæ minister, num putas potum uini idcirco mihi iniucundiorem & insuauiorem fore? Sed hic contemptus est grauißimum peccatum, aduersus hoc quartum præceptum. Debemus enim agnoscere hanc coniugij, parentum, magistratus, & ministrorum Ecclesiæ ordinationem, diuinitus ad conseruandam humanam societatem & propagandam Ecclesiam Dei ad posteros, institutam esse. Debemus item gratias agere Deo pro hac sua ordinatione, & orare Deum, ut conseruet eam in humano genere. Nisi enim hæc ordinatio diuinitus conseruaretur, Satan uniuersa ita turbaret, ut nec seniores sua officia facere, nec iuniores in uera pietate erudiri possent

Ordinatio Diuina

Homes prophani

Zelotypia Ambitio

Contempt

possent. Sciamus igitur in hoc Præcepto primum omnium hunc honorem requiri, ut non sentiamus hoc discrimen parentum & liberorum, Magistratus & Subditorum, & aliarum id genus rerum, esse temere ortum, sed diuina sapientia sic ordinatum, ideoq; conferamus studium & operam nostram, quo conseruetur. Etsi enim multi parentes & Magistratus sunt crudeles & impij, tamen ipsa ordinatio est diuina. Ac uicia quidem impiorum parentum, & Magistratuum non sunt approbanda, nec impietas eorum est sectanda, ipsa autem Dei ordinatio non est damnanda & abroganda, sed reuerenter colenda & tuenda.

Secundo, Per Honorem intelligenda sunt externa officia beneficentiæ et obedientiæ, uidelicet, ut bene ac honeste de parentibus & magistratibus loquamur, ac præceptis et ordinationibus eorum, si non pugnauerint cum præceptis Dei, reuerenter obediamus. Et ut conferamus quoque in eos alimenta, tributa, census, uectigalia, & id genus reliqua. Nam honor, qui hoc loco præcipitur, non comprehendit tantum Geniculationes, Cessiones de uia, Reuerentes allocutiones, quas uulgo uocant, Vobisationes, & alia subiectionis signa, Sed comprehendit etiam collationem alimentorum & tributorum. Sic enim Paulus docet uocabulum Honoris intelligendum, cum dicit, 1. Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri, digni sunt

ſunt duplici honore, hoc eſt, duplici ſtipendio, ſeu duplicibus honorarijs muneribus, (zwifacher verehrung) in eodem ſignificato utitur etiam Salomon uerbo Honorandi Prouerb. 3. Honora Deum de tua ſubſtantia, hoc eſt, confer aliquid de tuis facultatibus in diuinũ cultum. Exigit ergo hoc præceptum de honorandis parentibus, ut liberi honorent parentes ſuos quibuſcunque poſſunt donis, & alant eos egenos. Qua in parte uarie ſolet à liberis peccari, præſertim ubi liberorum fuerit multitudo. In benefaciendis enim & alendis parentibus alter liberorum alterum ſic expectat, ut interea temporis parentes neceſſe habeant eſurire & algere. Quæ ergo ſupplicia tam impios liberos maneant, poſtea ſequetur.

3

Tertio, honor, quo parentes afficiendi ſunt, patet etiam ad eam Reuerentiam, & obedientiam, quam liberi debent parentibus in contrahendo matrimonio. Non enim licet liberis pro ſua libidine matrimonium, abſq; autoritate & conſenſu parentum, contrahere. Et tamen, quo minus id licet, eò frequentius hac in parte à liberis peccari ſolet. Quod ſi reprehenduntur neglecti officij ſui, conſeſtim reſponſant: Quid? Mihi, non parenti accipio coniugem. Et, An non (inquiunt) quos Deus coniunxit, homo ne ſeparet? Sed facilis eſt & prompta ad utrunque reſponſio, Accipis quidem coniugem tibi, non parenti, & ea eſt tua libertas, ut

non

non debeat tibi inuito coniunx, à parentibus obtrudi. Necessarius enim est tuus ipsius consensus, Sed non est tibi concessum, ut hac tua libertate abutaris ad licentiam, ad temeritatem, & contra Dei ordinationem. Dei autem ordinatio est, ut honores parentes, & autoritatem atq; uoluntatem eorum, in contrahendo coniugio sequaris. Quam ordinationem non solum docent sacræ literæ, & exempla earum, uerumetiam politicæ leges, quæ perspicue tradunt, quòd in contrahendo coniugio consensus parentum præcedere debeat.

Nam quod ex Euangelio commemorant: Quos Deus coniunxit, homo non separet, recte quidem à Christo dicitur, sed non recte ab istis ad tuendam suam licentiam & temeritatem accommodatur. Dicitur enim diserte, Quos DEVS, DEVS, inquam, coniunxit. At enim Deus non coniungit eos, qui contempta parentum suorum autoritate, ineunt fœdera coniugij temere, uimolentia, impostoris, aut alijs id genus sceleribus. Nam hos satan potius, quàm Deus coniungit, quia Deus non est uolens iniquitatem. Quare ut recte dictum est, Quos Deus coniunxit, homo non separet, ita etiam recte dicitur, Quos Satan coniunxit, homo rite separare potest. Grauissime igitur peccant liberi, si contempta parentum autoritate coniugia ineant. Quòd si uero mutuum fœdus coniugij, siue parentum consensu fuerit iam initum, refe-

rendum erit, priusquam uel dissoluatur uel confirmetur, ad publicum & ordinarium iudicium, ut de fœderis firmitate uel infirmitate legitime cognoscatur. Etsi enim generalis regula est, quòd liberi debeant inire coniugia cum parentum consensu, tamen nonnulli sunt casus, quos Iurisconsultorum est enumerare, in quibus licet liberis absque parentum autoritate matrimonium contrahere. Quare de his coniugij fœderibus, quibus parentes contradicunt, legitimo iudicio cognoscendum est.

Vitia parentum

Quarto, Per honorem intelligenda etiam est patientia, & æquanimitas in ferendis uicijs parentum aut magistratus, Parentes aliquoties sunt morosi, et inepti, ac præ senio delyri. Habet & Magistratus sua uicia. Quæ non sunt à liberis et subditis traducenda in omnibus tonstrinis, sicut Cham traducebat parentis sui ebrietatem et nuditatem, sed sunt, quoad eius fieri potest, cælanda, dissimulanda, & æquo animo ferenda.

Exposuimus breuiter, quo honore parentes & magistratus afficiendi sunt. Audiamus nunc præmia seruati, & supplicia uiolati huius quarti præcepti.

Præmia seruati, & supplicia uiolati quarti præcepti.

LEX ipsa in Decalogo facit mentionem præmij, quod in hos, qui hoc quartum præceptum seruant,

nant, confertur. Etsi enim nullum est humanum opus, quòd dignitate sua mereatur diuina beneficia, Deus tamen tam beneficus & liberalis est, ut etiam immeritis & indignis, obedientiam suam aliquo saltem modo declarantibus, sua præmia largiatur. Sic ergo dicit Lex: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut SIS LONGÆVVS super terram, quam Dominus Deus daturus est tibi. Vides hic promitti his, qui honorant parentes, longæuitatem. Hoc idem repetit Paulus ad Ephe. cap. 6. Honora, inquit, patrem & matrem, quod est Præceptum primum in promißione, ut bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Nullum enim præceptum in Decalogo præcedit, quod habeat adiectam singularem promißionem, præter hoc quartum præceptum. Nam quòd dicitur in primo præcepto, Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea, generalis est promißio, pertinens ad omnia Præcepta. Eph. 6

Obserua autem, quòd nomine Longæuitatis non solum intelligatur diuturnitas dierum, sed etiam tranquillitas huius corporalis uitæ, & siquidem ex fide in Christum iustificatus fueris, fœlicitas futuræ uitæ. Vide mihi exemplum Sem & Iaphet filiorum Nohe, qui cum honorassent parentem suum, consequuntur magnam benedictionem, Genes. 9. Sem Japhet Gen:

Rehabitæ

In Hiere. cap. 25. Rehabitæ ſeruant conſtantiſſime præcepta patris ipſorum Ionadab, nec patiuntur ullis illecebris ſeſe ab obedientia abſtrahi, idcirco audiunt: Pro eo q; obediſtis præcepto Ionadab patris ueſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis uniuerſa quæ præcepit uobis. Propterea hæc dicit Dominus Zebaoth, Deus Iſrael, Non deficiet uir de ſtirpe Ionadab filij Rehab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.

poena

Sed econtra, Magna & grauia ſupplicia impendent his, qui hoc præceptum uiolant, et ſunt cõtumelioſi in parentes ac maiores, & ſeditioſi in Magiſtratum. Exemplo eſt Cham filius Nohæ, qui quòd parentem ſuum Noham deriſui habuiſſet, maledictus eſt una cum tota ſua poſteritate, Gen. 9.

Cham

Absalo

Item 2. Reg. 18. Abſalom fuit ſeditioſus aduerſus parentem ſuum Dauid, & pependit.

† Reg. 2 Eliſæi pueri

Et 4. Reg. 2. Pueri deriſerunt prophetam Eliſæum, & dixerunt, Aſcende calue, aſcende calue &c. Itaq; duo urſi diſcerpſerunt quadraginta duos pueros. Quo miraculo Deus perſpicue teſtificatus eſt ſeueritatem iræ ſuæ aduerſus contemptores parentum & ſeniorum.

Vide Ciceronem pro S. Roſc. de pœna parricidarum.

Extant & Leges de liberis conuiciatoribus & percuſſoribus parentum Exod. 21. Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrẽ, morte moriatur. Et, Qui maledixerit patri ſuo uel matri, morte moriatur. Et hæc quidem de corporali tantum pœna dici ſolent.

lent. Longe autem grauior & horribilior est æterna pœna, quæ proculdubio manet eos liberos, qui sunt erga parentes suos ingrati, contumelioſi & impij, nec agunt pœnitentiam. Nam & Paulus ad Romanos scribens, recenset immorigeros parentibus inter eos, qui dati sunt in reprobam mentem, & digni æterna morte. Rom. 1.

Quid faciendum sit, ut hoc quartum præceptum seruetur & impleatur.

SICVT in alijs præceptis ostendimus necessarium esse, ut ad seruanda & implenda ea seruemus & impleamus primum præceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima &c. ita & in implendo hoc præcepto necessarium est, ut ante omnia diligamus Deum ex toto corde &c. Nisi enim uere diligamus Deum, fieri non potest, ut alia opera nostra Deo uere placeant. Sunt quidem inter impias gentes, qui & ipsi benefaciunt parentibus, quæ officia, etsi commendatione digna sunt, & Deo ita placent, ut compenset ea corporalibus beneficijs, tamen non agnoscuntur à Deo pro tantis bonis, ut propter ipsa iudicet factores iustos, & compenset ea beneficijs æternis. Quare nisi primum præceptum de dilectione Dei perfecte impleueris, nullum benefactum parenti præstitum iudicatur coram tribunali Dei es

se huius præcepti de diligendis & honorandis parentibus uera et perfecta impletio. Exposuimus autem suprà, quòd nullus hominum possit præceptū de dilectione Dei, in hac uita perfecte implere. Sed quòd impletio eius imputetur nobis, si credimus in Iesum Christum, & agnoscimus eum per fidem Saluatorem & Redemptorem nostrum. Per fidem enim reputamur iusti propter Christum, cuius iustitia ita donamur, ut possimus ea in conspectu Dei non aliter confidere, quàm si legem perfecte implemuissemus. Quare ut hoc quartum præceptum de honorandis parentibus uere impleas, primum omnium exigitur, ut sis Christianus, hoc est, ut credas in Christum, & confidas, quòd propter Christum sis cum Deo reconciliatus, & Deus imputet tibi iustitiam Christi.

Deinde, plurimum in parentibus situm est, ut liberi huic præcepto obediant. Nam cum Deus præcipit, ut liberi honorent parentes, eo ipso præcipit etiam, ut parentes faciant suum officium, doceant liberos ueram agnitionem Dei, & educent eos in timore Domini. Quomodo enim liberi faciant suum erga parentes officium, si parētes suum erga liberos officium non fecerint? Etsi autem parentum ignauia non excusat coram Deo liberorum impietatem, tamen parentes debent hoc officium liberis suis, ut non tantum prouideant de corporalibus eorum alimentis, uerum multo magis

de

de alimentis ſpiritualibus. Ideo enim inſtitutum eſt coniugium, ut parentes doceant pueros ſuos ueram religionem, & tranſmittant in liberis ſuis Ecclesiam Dei ad poſteros. Hoc autem non fit doctrina tantum oris, ſed etiam exemplo uitæ. Exigitur enim, ut parentes ducant coram liberis ſuis honeſtiſsimam uitam. Non loquantur ridicule de Deo, & rebus diuinis. Non helluentur, non abutantur nomine Dei ad execrationes, non faciant alia ſcelera, quibus pueritia offendatur. Si quis, inquit Chriſtus, offenderit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. Quid ergo horribilius eſt, quàm quòd magna pars parentum, non ſolum peſsimis exemplis uniuerſam domum ſuam corrumpant, uerumetiam multo maiorem curam & rationem porcorum, quàm liberorum ſuorum habeãt? Melius certe eſſet eis, ſi nunquam nati fuiſſent. Etſi enim fieri ſolet, ut liberi etiam ijs parentibus, qui eos omni cura & ſtudio ad ueram pietatem educauerint, degenerent, quemadmodum teſtantur exempla ſummorum Patriarcharum & heroum, Iacob, ſacerdotis Eli, Samuelis, Dauidis & aliorum, quorum aliquot liberi ab optima parentum inſtitutione & educatione ita degenerarunt, ut manifeſte uideas, liberos, non quemadmodum generi, ſic & pietati parentum naturaliter ſuccedere,

tamen parentes ſuum officium facere, & nihil curæ, nihil ſtudij, nihil diligentiæ in liberis ſuis recte & pie educandis remittere debent, ut ſi non liberorum, ſaltem ſuam ipſorum animam ſeruent. Erunt uerba hæc (inquit) quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & Narrabis ſeu acues ea filijs tuis. Et iterum cap. 11. Deut. Docete filios ueſtros, ut illa meditentur. Et Eph. 6. Patres ne prouocetis ad iram liberos ueſtros, hoc eſt, ne tractetis eos tyrannice, ſicut ebrioſi & moroſi patresfamilias, qui non caſtigant familiam, niſi aut ebrij, aut ira inflammati, Sed educetis eos eruditione & correptione Domini, hoc eſt, erudiatis et caſtigetis eos ex uerbo Dei, moderate et pie. Ad quod officium uocat Deus parentes non ſolum expreſſo uerbo ſuo, uerumetiam ingenio humanæ rationis. Veteres Scriptores tradunt Solonem tuliſſe legem Athenienſibus, Filium non debere alimenta patri, à quo nullam didiciſſet artem. Quæ lex, etſi ſatis dura eſt, tamen recte ſignificat, naturale hominis iudicium deteſtari eos parentes, qui non habent honeſtam liberorum ſuorum rationem. Quòd ſi hi parẽtes, qui nec docent ipſi, nec doceri curant liberos artem ad politeían aut œconomiam utilem, deteſtandi ſunt, quanto magis ſunt deteſtandi, & honore indigni, qui liberos ſuos non ſolum non imbuunt arte cognoſcendi Dei, ex uerbo eius, uerumetiam peßimis ſuis exemplis ita corrumpunt, ut perpetuo intereant. Nam

Deut. 6.

Deut. 11

Eph. 6

Plutarchus in uita Solonis.

hi

hi fere sunt his temporibus mores parentum, ut neglecta familia, diebus præsertim Festis helluentur, & ebrij facti tumultuentur, nec audias ex eis uel honestam aliquam doctrinam, uel utilem aut iucundam alicuius rei gestæ commemorationem, sed tantum Satanas, diabolos, conuicia, execrationes, scurrilia, blasphema, fœda, sordida & turpia quæque. Itaque & reddunt se eo honore, quem hoc præceptum à liberis exigit, indignos, & abducunt secum exemplis suis liberos in æternum barathrum.

Quare si parentes expectant à liberis suis officium diuinitus mandatum, debent ipsi primi omnium suum erga liberos officium facere, ut ipsos tam doctrina quàm exemplis ad amplectendam ueram pietatem assuefaciant.

Postremo, ut liberi excitentur ad obedientiam huius præcepti, & ad præstandum parentibus suum honorem, meminisse debent, quanto labore, cura, sollicitudine, & sumptu ab infantia, & puericia ad hoc usq; ætatis, à parentibus sint educati, id quod ex aliorum infantium educatione colligere possunt. Meminisse item debent, tales sibi parentibus liberos futuros, quales ipsi se erga suos parentes exhibent. Sed hoc adhuc parum est. Diligenter enim considerare debent, q; honorare parentes sit cultus Deo gratissimus, & quod quæ officia præsteteris parentibus, ea Deus sibi præstari iudicet, quæ

& uelit multis ac magnis beneficijs compensare, cum econtra grauibus maledictionibus & supplicijs uindicet liberorum erga parentes suos impietatem. De qua re extat utilis concio in libro Iesu Syrach, quem librum Ecclesiasticum uocant, cap. 3. Ponendum est etiam liberis ob oculos exemplum Iesu Christi filij Dei, qui etsi erat in forma Dei, tamen factus est Patri suo obediens usque ad mortem crucis. Quòd si liberi, cum sint propter Christum adoptati in filios Dei, cupiunt esse cohæredes Christi in cœlis, certe officium exigit, ut etiam exemplum obedientiæ Christi, imitentur pro sua uocatione in terris. Nam sunt & inter animantia bruta, quæ parentibus suis senio confectis uicissitudinem alendi rependunt. Quanta igitur turpitudo, quanta fœditas, quanta detestatio est, si is, qui qui se non hominem tantum ratione præditum iactat, sed etiam in Filium Dei adoptatum esse credit, gratitudine erga parentes, à bestijs uincatur? Hæc & id genus alia cogitanda, & meditanda sunt, ut ad præstandam huic Præcepto obedientiam excitemur.

QVINTVM PRÆCEPTVM.

Non occidas.

Quid in hoc præcepto prohibeatur.

NOn est nobis multum ac longe

circumſpiciendum, & diſcurrendum, ut ueram huius Præcepti ſententiam cognoſcamus. Filius enim ipſe Dei, Ieſus Chriſtus, expoſuit apud Matthæum cap. 5. hoc Præceptum perſpicue, & docuit clare quid in eo diuinitus prohibeatur. Suſcipiemus igitur in manus interpretationem Chriſti, ut quæ ſint homicidij genera uere intelligamus. Sic autem dicit Chriſtus: Audiſtis, quod dictum ſit ueteribus, Non occidas. Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio &c. Initio, Chriſtus his uerbis & hac expoſitione, non fert nouam legem, ſed tantum interpretatur ueterem, quemadmodum alias copioſe dictum eſt. Deinde Chriſtus his uerbis non abrogat officium ciuilis Magiſtratus, cuius intereſt, latrones & homicidas morte, iuxta leges, punire & occidere. Sed loquitur de illegitimis homicidijs eorum hominum, qui aut nullum habent legitimum ius utendi gladij, aut abutuntur gladio illegitime, adeoque reprehendit falſam huius legis interpretationem. Nam Iudæi & Phariſæi eorum ſentiebant hac lege prohiberi externum tantum homicidium, quod uel gladio, uel fuſte, uel ueneno, uel alio externo inſtrumento perpetraretur. Etſi enim non fuerunt fortaſsis tam impudentes, ut laudarent Inuidiam, aut Maledicentiam, tamen non referebant ea in genus homicidij, nec iudicabant inuidos aut male-

Phariſaica V. Præcepti interpretatio.

maledicos dignos esse coram iudicio Dei morte, hoc est, supplicio homicidarum. Christus autem interpretatur hanc legem uere, recte, & iuxta sensum Spiritus sancti. Et ponit quatuor gradus homicidiorum, quæ hac lege prohibentur.

Homicidarum gradus quatuor.

Primus gradus est externum homicidium, quod sine ulla controuersia & dubitatione, in hac lege prohibetur. Et quisquis tale homicidium designauerit, obnoxius est iudicio tam politici quàm cœlestis tribunalis. Excipitur ciuilis Magistratus, ciuiliter legitime occidit nocentes, quemadmodum paulo ante dictum est. Excipiuntur & hi, quibus Legum gladium ad propulsandam manifestam & notoriam iniuriam porrigunt. Magistratus enim et leges ciuiles, sunt ordinationes Dei. Excipiuntur etiam hi, qui singulari seu personali uocatione Dei excitantur, ut interficiant impios & sceleratos. Exempla sunt Leuitæ Exod. 32. Phinees Num. 25. Elias 3. Reg. 18. & multi alij. Quare qui iuxta has ordinationes & uocationes Dei occiduntur, hi diuina ordinatione, non priuata temeritate occidun tur.

Homicidium externum.

Iræ uirulentia.

Secundus gradus homicidij est Virulẽta ira, et inuidia cordis aduersus proximum. Da hoc gradu dicit Christus: Quisquis irascitur fratri suo, obnoxius est iudicio. Loquitur autem Christus non de quauis ira, sed de uirulentia, cupiens proximi interitum. Nam est & ira bona ac diuina, quam

uocant

uocant Zelum, & qua boni & pij ſolent peccatis iraſci, ſicut et Deus ipſe aduerſus peccatores iraſcitur. Talis fuit ira Moſi aduerſus cultores uituli aurei in deſerto. Et ira Phinees aduerſus ſcortatorem Iſraelitã. Hæc ira non eſt impia et à Deo prohibita, Sed eſt flamma excitata à Spiritu ſancto, & habet magnam coram Deo laudem. Prohibetur autẽ ira illa uulgaris, quæ è carne nata, nõ afficitur proprie peccato, ſed ſuo incommodo, quæ & inuidet proximo, & meditatur uindictã. Qualis fuit ira Cain aduerſus Abelem, Eſau aduerſus Iacob, Saulis aduerſus Dauidem, Phariſæorum aduerſus Chriſtum etc. Hæc ira non eſt tam leue peccatum, quàm iudicabatur à Phariſæis, ſed eſt ſpecies homicidij, æterno ſupplicio digni. Vnde 1. Iohan. 3. dicitur: Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis, q̃ omnis homicida non habet uitam æternam in ſe manentem. Nec hæc eſt noua doctrina, ſed eſt ipſa uetus Legis doctrina, obſcurata quidem phariſaicis delyrijs, ſed per Chriſtum iterum illuſtrata. Nam in Leuit. capite decimonono ſic ſcribitur: Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Et iterum: Non quæras ultionem, nec memor ſis iniuriæ ciuium tuorum. Diligas proximum ſicut teipſum &c.

Zelus ſeu ira bona.

Ira uulgaris prohibita.

Tertius gradus homicidij, eſt maledicum uerbum aduerſus proximum ſuum. De hoc gradu dicit Chriſtus: Qui dixerit fratri ſuo Raha, hoc

eſt

est, malum, seu maledicum Verbum, obnoxius est concilio. Vocamus autem maledicum uerbū, cum alter alteri male precatur, exempli gratia, uel morbum, uel pestem, uel ignem inferni, uel supplicia diaboli. Quod cum sit uulgare inter homines, manifestum est, homicidium quoq; uulgare esse, adeoq; omnia inter homines homicidiorum plena esse. Deinde maledicum Verbum uocamus, detractionem, de honesta alterius fama. Maiores nostri dixerunt, quòd susurro seu detractor sit triplex homicida. Occidit enim tres uno ictu. Primo seipsum. Secundo, eum, coram quo recitat detractionem, uidelicet, cum hic statim adhibet detractori fidem. Tertio illum, cui de honesta sua fama detrahit. Vnde & iterum ac uere dictum est, quod Detractor habeat Diabolum in lingua, auditor in aure, consentiens & delectans in corde. Quod autem Detractio sit species homicidij, testatur etiam Psalmus 56. Filij hominum, dentes eorum arma et sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Et Prouerb. 25. Iaculum, gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Et Hiere. 9. Sagitta uulnerans, seu mortifera, lingua loquens dolose.

Maledicū uerbum.

Detractor homicida triplex.

Quartus gradus homicidij est uerbum contumelioſum, aut signum utrulentæ iræ, seu contumeliæ, id quod uocari solet Aspectus Basiliſci. De hoc dicit Christus: Quisquis dixerit fratri suo, Fatue, reus

Contumelioſum uerbum.

reus erit gehennæ incendio. Talis homicida fuit Simei, qui uocabat Dauidem, uirum sanguinum et uirum Belial. Hi postremi homicidæ etsi non semper solent humano iudicio puniri, obnoxij tamen sunt æternæ pœnæ.

Quæ hoc præcepto mandentur.

PAVLVS ad Romanos scribens: Qui diligit alterum, inquit, legem, uidelicet Caritatis, expleuit. Siquidem illa, Non committas adulterium, non occidas, &c. in hoc sermone summatim comprehenditur, nempe, Diligas proximum tuum, sicut teipsum. Manifestum igitur est, quod hæc lex, Non occidas, contineatur in hac generali lege, Diligas proximum tuum, sicut teipsum. Itaq; cum iubemur, non occidere, iubemur proximos nostros, sicut nos ipsos diligere. Quod cum ita se habet, cõsiderandum est, quid nomine Proximi, quid & nomine Dilectionis intelligatur, ut cognoscamus, quid nobis proprie in hac lege, Non occidas, mandetur. Nam proximus est, quemadmodũ Christus ipse apud Lucam cap. 10. interpretatur, non solum amicus & benefactor, sed etiam inimicus, & is, qui nobis malefecit. Dilectioni autem non satis fit, uel leui cordis cogitatione, uel humanis et amicis uerbis, Sed necessarium est, ut animus, lingua, oculus, manus, opera omnia, sint erga proximum pura, syncera, candida, serio, summoq; caritatis ardo

Rom. 13.

Proximus quis sit.

Dilectio proximi qualis sit.

ardore accensa. Filioli, inquit Iohannes, ne diliga-
1. Iohan 3. mus uerbo (tantum) neq; lingua, sed opere & ue-
ritate. Quare in hac lege, Non occidas præcipi-
tur primo, ut tam amicis, quàm inimicis ex a-
mo faueamus, & candidum erga ipsos animum
absq; omni odio & inuidia geramus.

Secundo præcipitur, ut tam de amicis quàm
inimicis bene loquamur, et pro salute eorum Dei
inuocemus.

Tertio præcipitur, ut & amicis et inimicis re-
ipsa, & quibus possumus officijs ac operibus bene-
faciamus. Nõ enim sufficit, ut sinas inimicum suas
uias, ut loqui solent, ire, & suas res agere, hoc est,
nullam salutis eius rationẽ habere, sed necesse ha-
bes, iuxta hoc præceptum, inimico uere benefac-
Inimici di- re, & rebus eius quoquo modo potes, consulere. Si
ligendi. enim Christus hanc legẽ interpretatur apud Mat-
thæum cap. 5. Diligite, inquiens, inimicos uestros,
bene precemini dcuouentibus uos, benefacite ijs
qui uos odio prosequuntur, orate pro ijs, qui lædũ
uos, & insectantur, ut sitis filij Patris uestri &c.

Quarto, mandatur etiam in hoc Præcepto, ut
pro proximo, siue amico, siue inimico, ponamus, iu-
Anima pro xta uocationem Dei, animam seu uitam nostram.
proximo Hoc uidetur quidem hominibus huius seculi duriß-
ponenda. mum, ideoq; existimant, consuli tantum, non au-
tem præcipi, aut serio à nobis exigi. Sed profecto

seue-

ſeuerißimum eſt mandatum, & uere ac ſerio à nobis exigitur. Dicit enim Chriſtus Iohan. 15. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis inuicem, ſicut ego dilexi uos. Et ut exponat, quomodo nos dilexerit, addit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis, uidelicet, quos agnoſcit & amplectitur pro amicis, etiamſi ipſi fuerint adhuc inimici. Sic enim Paulus ad Romanos cap. 5. interpretatur: Chriſtus inquiens, cum adhuc eſſemus infirmi, iuxta temporis rationem, pro impijs mortuus eſt. Et mox: Cum inimici eſſemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius. Et Iohannes in 1. Epiſtola cap. 4. In hoc eſt caritas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſit Filium ſuum propiciationem pro peccatis noſtris. Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Et iterum. Per hoc cognouimus caritatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

Habes dilectionis Præceptum. Habes & in hominibus pijs huius dilectionis exempla. Moſes ſic dilexit populum ſuum, ut maluerit deleri ex libro uiuentium, quàm permittere, quantum in ipſo erat, ut populus à Deo abijceretur, Exod. 32. Et Paulus optauit eſſe anathema pro fratribus ſuis, qui tamen erant capitales eius hoſtes. Rom. 9. Hoc autem non ſic intelligendum eſt, quòd de-

Moſi dilectio.

Pauli dilectio.

beamus uitam noſtram ad redimendam alterius uitam, temere, & ſine legitima uocatione exponere. Non enim licet, ut cum manifeſtus latro damnatur morte, publico & ordinario iudicio, tu te in locum eius ſubſtituas, & petas trucidari, ut ipſe liberetur. Hæc enim non eſt legitima tua uocatio, quia Ordinarium & legitimum, hoc eſt, diuinum iudicium in tali caſu, non te, ſed latronem illum, ad ſupplicium mortis uocat. Exigitur autem, ut uitam tuam extremis potius periculis obijcias, quàm ut aduerſus Deum pecces, & tuum officium, in adiuuando & benefaciendo proximo, quocunque modo id legitime & pie fieri poteſt, deſeras. Dauid nullum furem, nullum latronem è uinculis ſic exemit, ut ſubſtituerit ſe in locum eius, Sed potius affecit eos, iuxta Magiſtratus ſui uocationem, ſupplicio. Et tamen poſuit animam ſuam pro proximis ſuis, quia maluit propter populum ſuum adire extrema pericula, quàm eos hoſtibus diripiendos obijcere. De Paulo nihil tale extat, quòd ſubſtituerit ſe in locum latronis ad mortem condemnati. Et tamen poſuit animam ſuam pro amicis & inimicis, quia maluit prædicando Euangelio, quæ erat legitima eius uocatio, grauiſſima pericula ſubire, quàm deſerta ſua uocatione, ſalutem hominum, quantum in ipſo erat, negligere.

Dauidis dilectio.

Quare cum dicitur, ponendam eſſe pro proximo animam, intelligendum eſt, pie, legitime, & iuxta

xta uocationem Dei, cui ſemper, ſiue uiuendo, ſiue moriendo, obedientiam debemus.

Impletio V. Præcepti.

AVDiuimus magna, et, ut uidetur, grauia, in hoc præcepto, Non occidas, exigi. Quis igitur poteſt ea implere? Reſpondeo, Nullus hominum, ſiue impiorum, ſiue piorum, ſiquidem perfecta dilectionis opera, quæ hoc præcepto exiguntur, reſpexeris. Nullus enim, quamuis Spiritu ſancto præditus, poteſt in hac uita, ſuis ipſius operibus, perfecte, & ſine omni uicio, ſatisfacere Legi, coram iudicio Dei. Non iuſtificabitur, inquit Pſalmus, in conſpectu tuo omnis uiuens. Et Paulus. Caro, inquit, legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Quis ergo ſaluabitur? Reſpondeo iterum, Nullus hominum, ſiquidem humana merita reſpexeris. Hæc enim, quia non ſunt perfecte bona, non poſſunt in iudicio Dei conſtare, nec iram Dei placare. Sed ſi reſpexeris Chriſtum filium Dei, & merita eius, tunc homines poſſunt tam legem implere, quàm ſaluari. Audiamus igitur de impletione huius legis, Non occidas. Impletur enim primum, imputatione. Nam ſi credideris in Chriſtum, quòd ipſe ſit propiciatio tua, tunc donatur tibi Chriſtus, & imputatur tibi iuſticia eius. Cum igitur CHRISTVS impleuerit uniuerſam Legem perfecte, imputatur & tibi in Chriſtum credenti

denti hæc impletio, ut non ſecus ea in conſpectu Dei confidere audeas, quàm ſi tu legem tuis operibus ſine omni uicio impleuiſſes, Deinde impletur obedientia ex fide. Etſi enim nullum obedientiæ opus perfectum eſt in homine coram tribunali Dei, nihilominus tamen faciendum eſt opus, quantum per Spiritum ſanctum, in hac mortali & peccato uiciata carne fieri poteſt. Et quia tale opus proficiſcitur ex fide Ieſu Chriſti, idcirco dicitur & ipſum, aliquo modo impletio legis, propterea quòd antea imputetur nobis legis impletio per fidem, propter Chriſtum.

Sed ſi uoluerimus huic Legi, Non occidas, obedire, neceſſe habemus Spiritui ſancto, qui eſt huius obedientiæ autor & magiſter, ſua inſtrumenta, quibus in nobis ſit efficax, porrigere.

Cooperarij Spiritus S. quomodo efficiamur.

Primum igitur cogitemus, & memoria repetamus, quæ ſupplicia Spiritus ſanctus minatur uiolatori huius legis. Apud Matthæum cap. 5. dicit Chriſtus, Quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio. Quiſquis dixerit fratri ſuo Raha, obnoxius erit concilio. Quiſquis dixerit, Fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Hic æquantur in ſupplicio Homicida & Iratus. De homicida enim dicitur: Quiſquis occiderit, obnoxius erit iudicio, hoc eſt, ſupplicio mortis, quod à uulgaribus iudicibus inferri ſolet. Idem etiam dicitur de irato,

Quiſ-

Quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio. Et hoc quidem graue eſt ſupplicium, Sed multo grauius eſt, quod pronunciatur aduerſus eum, qui dicit fratri ſuo Raha, obnoxius, inquit, eſt Synedrio, hoc eſt, concilio, quod Iudæi corrupte uocant, Sanehedrim. Hoc enim erat apud Iudæos ſummum Iudicium, quod nos uocamus Conſiſtorium, aut Cameram, aut Perlamentum, in quo Iudicio, non niſi de grauiſſimis cauſis tractabatur, & pronunciabatur, quales ſunt blaſphemiæ in Deum, & crimen leſæ Maieſtatis uel diuinæ, uel regiæ. Longe autem omnium grauiſſimum ſupplicium eſt, quod pronunciatur aduerſus eum, qui dicit fratri ſuo, Fatue, Obnoxius, inquit, erit gehennæ incendio. Et tamen hoc peccatum uidetur omnium leuiſſimum, ac uix reprehenſione, nedum pœna æterni ignis dignum. Sed cum hoc leue, ut uidetur, peccatum, tam horribili ſupplicio obnoxium eſt, quam pœnam, quæſo, merentur peccata multo grauiora? Admonet nos etiam Iohannes, 1. Iohan. 3. de ſupplicio homicidarum, & eorum, qui hoc nomine, ſicut ſupra expoſuimus, comprehenduntur. Qui non diligit, inquit, fratrem, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis, quòd omnis homicida non habet uitam æternam in ſe manentem. Et Paulus Galat. 5. Manifeſta ſunt opera carnis: Inimiciciæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, inuidiæ, cædes &c. Et

mox: De quibus prædixi, quòd qui talia agunt, nõ erunt regni Dei hæredes. Cuius ergo hæredes erunt? Non certe, niſi Satanæ & ignis inferni. Hæc & huiuſcemodi diligenter meditata, ſunt organon Spiritus ſancti, quo excitat in nobis obedientiam huius præcepti.

Secundo, Reuocemus in mentem beneficia, quæ præſtitit nobis Deus per Filium ſuum, idq; cum ad huc eſſemus inimici Dei, & peßima quæq; meriti. Filius enim Dei ſuſcepit, non ſua aliqua neceßitate, ſed ad procurandam noſtram ſalutẽ omnes humanas imbecillitates, omnia genera afflictionum, adeoq; mortem ipſam, ut noſtra peccata expiaret & nos cum Deo pacificaret. Poſtulat autem uicißim à nobis hoc officium, ut nos etiam noſtris inimicis ſua errata remittamus, et eis benefaciamus. Sic enim docet parabola de duobus debitoribus apud Matth. cap. 18. Serue ſceleſte, totum debitum illud remiſi tibi, cum obſecraſſes me, nonne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus eram? Deteſtanda igitur ingratitudo eſt, ſi nos, cum tanta beneficia immeriti et adhuc inimici acceperimus à Filio Dei, non uicißim uoluntati eius gratificamur, qua nos ad remittendam aduerſario noſtro ſuam iniuriam, & ad benefaciendum ei uocat. Hæc cogitatio ſi diligenter in corde uoluatur & exagitetur, inſtrumentum eſt, quo Spiritus ſanctus accendit animum noſtrum, ut excutiamus

mus odium & inuidiam in proximum, & incipiamus ei benefacere. Vnde & Iohannes nos in prima sua Epistola ad hanc cogitationem hortatur: Per hoc, inquiens, cognouimus caritatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Et iterum: Deus misit Filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere.

Tertio, Ponamus nobis ob oculos mentis nostræ promissiones Dei, de beneficijs, quæ proximo præstantur, de condonatione iniuriæ à proximo illatæ, de remissione alieni in nos peccati, de abiectione odij & inuidiæ, & de alijs, quæ in hoc præcepto, Non occidas, comprehenduntur.

1. Iohan. 4. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in ipso.

Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Matth. 6. Si remiseritis hominibus errata sua, remittet & uobis Pater uester cœlestis, hoc est, confirmabit et ratam habebit eam remissionem, quam accepistis per fidem propter Iesum Christum, filium suum.

Matth. 5. Beati mites, (hoc est, non ulciscentes semetipsos, sed condonantes benigniter alijs sua errata) quoniam hæreditabunt terram.

Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba

illum,si sitierit,da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput eius,& Dominus reddet tibi.

Extant id genus multæ promißiones Dei in scriptura, quæ si cogitationibus nostris expendantur,porrigunt Spiritui sancto seu organon seu occasionem, ut inflammet cor nostrum, ne occidat, hoc est,ut diligat,& benefaciat etiam inimico.

Quarto,cogitemus, q. hi,qui retinent odium ac inuidiã,& non remittunt, non poßint uerè precari orationem Dominicam, in qua dicitur: Remitte nobis debita nostra,sicut et nos remittimus debitoribus nostris.Nam qui non remittunt,sed retinent iram erga proximum, hi præscribunt Deo regulam iuris, q. quemadmodum ipsi non remittunt proximo sua errata, ita nec Deus debeat ipsis sua remittere. Hæc est horribilis crudelitas,& immanitas aduersus seipsum. Quòd si te hoc diligenter cogitatum non excitat ad abijciendum odium & recipiendum candorem animi,quis lapis, quas adamas te durior esse potest?

Quinto,Cauenda & uitanda erunt omnia illa,quæ nobis manifeste præbent occasionem ad odium,inuidiam, maledicentiam,rixas,& id genus alia. Itaq; cauendum est ab arrogantia & superbia.Nam hæc est causa odij & inuidiæ.Cauendum est ab auaricia.Nam & hæc,ut est omnium malorum radix,ita & suscitat odia,contentiones & rixas,

xas. Cauendum est à temulentia, imò etiam à conuiuijs. Sunt enim multi eo ingenio præditi, ut cum non admodum multum uini biberint, inflammentur ad maledicentiam, ad rixas, ad contentiones, & ad cædes. Hi dicuntur bibere sanguinem ursorum & leonum. Præcipitur ergo eis hac lege, Non occidas, ut uitent conuiuia et temulentiam, quo pateat Spiritui sancto per sobrietatem ipsorum, aditus ad compescendam carnis licentiam, ne seruiant peccato.

Sexto, Inuocemus Deum, & precemur eum sine intermissione, cum Psalm. Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in ueritate tua, & doce me. Et iterum: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me, uidelicet, ut Spiritus sanctus compescat motus iracundiæ & inuidiæ, & ut peccatum non regnet in mortali nostro corpore. Hoc si fecerimus, efficimur cooperarij Spiritus sancti, ut inclinet & accendat corda nostra, ad susciendam obedientiam, ad quam hac lege, Non occidas, uocamur.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non committas adulterium. Quæ hoc præcepto prohibeantur.

INterpretatur & hoc preceptū Christus filius Dei apud Matth. 5. Audistis, inquiens, quòd

quòd dictum fuerit antiquis: Non committas adulterium. At ego dico uobis, q̃ quicunq; aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendum eam, iã adulterium cum ea commiſit in corde ſuo. Nec hæc interpretatio noua eſt lex, ſed tantum ueteris legis expoſitio, quemadmodum Decalogus ipſe exponit cum ſequitur: Non concupiſcas uxorem proximi tui. Suſcepit autem Chriſtus eam interpretandam, quòd ſententia eius fuerit Phariſaicis corruptelis obſcurata. Sentiebant enim Phariſæi, hoc ſolum adulterium diuino ſupplicio dignum eſſe, quod opere ipſo cum alterius uxore deſignaretur. Prauam autem alienæ mulieris concupiſcentiam, & impudicum aſpectum, aut turpiloquium, non admodum damnabant. Quare neceſſarium eſt, ut uera huius Præcepti ſententia illuſtretur. Quæ igitur in eo prohibeantur, hæc ferme ſunt.

Adulteriũ. Primo, prohibetur externum adulterium, quod cum alterius uxore committitur. De huius adulterij prohibitione nullum eſt dubium, ne apud gentes quidem. Nam humanæ rationi natura inſculptum eſt, q̃ cognoſcat, tale adulterium eſſe deteſtandum ſcelus.

Scortatio. Secundo, prohibetur omnis ſcortatio, quæ committitur cum muliere libera, ſiue hæc ſit uirgo, ſiue uidua, ſiue conſanguinea, ſiue aliena, ſiue ſcortum. Quorum alterum altero grauius quidem eſt, Vnde & diuerſa ſunt nomina, Stuprum, incæſtus, forni-

fornicatio simplex, continentur autem hoc uno præcepto, & sunt singula peccata mortalia, hoc est, æterna morte digna.

Porro, de simplici, ut uocant, fornicatione, sen- Fornicatio
serunt Ethnici, quòd non sit flagicium, Sed longe simplex an
aliter sentit pia doctrina. sit peccatū.

Paulus ad Corinthios scribens, 1. Corin. 6. manifeste docet, quòd simplex scortatio, hoc est, ea quæ designatur cum aliena, & libera, & corrupta, sit peccatum æterna damnatione dignum. An nescitis, inquit, quòd corpora uestra sint membra Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciam membra scorti?

Et mox: Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est. Sed qui scortatur in proprium corpus peccat, hoc est, adimit corpori suum honorem & dignitatem. Corporis enim honor est castitas & mundicies. Qui ergo se coinquinat scortatione, amittit honorem corporis. Itaq; peccat in suum ipsius corpus, quod corpus tali luto sordidat, quo & ipsum, & anima contaminatur.

Et iterum: An nescitis, q, corpus uestrum est templum habitantis in uobis Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis ipsi uestri iuris? Quare qui scortatur, prophanat templum Spiritus sancti, & expellit eum. Et paulo ante, Ne erretis, Neque scortatores, neq; adulteri, neq; molles &c. regni Dei hæreditatem accipient.

Et

Et Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, adulterium, scortatio, immundicia &c. Qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.*

Ephe. 5. *Omnis scortator aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Ex *his manifestum est, q. Scortatio sit peccatum, æterna pœna dignum. Hoc cum omnes, tum præcipue iuuenes diligenter considerare debent, ut cogitatione magnitudinis peccati, & grauitatis supplicij assuescant turpes motus cordis compescere.*

Mollicies. *Tertio, Prohibentur mollicies & nefandæ libidines contra naturam. Sed prudens Catechista nõ debet in explicatione huius particulæ immorari, ne adolescentes, aut etiam alij auditores curiositate excitati, magis de tam fœda et immani libidine cogitare incipiant, quàm ab ea deterreantur.*

Verba obscœna. *Quarto, Pohibentur turpia, lasciua, obscœna atq; scurrilia uerba. Ephe. 4 Omnis sermo spurcus ex ore uestro ne procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus, & ne contristetis Spiritum sanctum Dei &c.*

Impudicus aspectus. *Quinto, Prohibetur lasciuus & impudicus aspectus. Sic enim Christus aperte dicit, Quicunque aspexerit uxorem alterius ad concupiscendam eã, iam adulterium commisit cum ea in corde suo. Et Ecclesiast. cap. 9. Auerte faciem tuam à mulie-*

re

re compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit &c.

Sexto prohibetur impudicus uestitus. Grauiter ergo peccant hi, qui ingressuri in Ecclesiam Domini, aut etiam in cœtum politicum, ornant se tantũ ut uideantur & concupiscantur. Solenne quidem est, ut puellæ ingressuræ templum, ornent sese, non ut honeste incedant, sed ut placeant iuuenibus. Habent & iuuenes impudicas suas uestes, quas publice ostentant, quibus et Ecclesias uisitant, non ut discant piam doctrinam, sed ut intueantur puellas. Hi non simpliciter peccant, Sed prophanant templum Dei, quòd faciant ex templo Dei, domum amatoriam. Vestitus impudicus.

Septimo, Prohibentur impudicæ choreæ, impudicæ saltationes & gestus. Publicæ quidem choreæ, in honesto honestorum hominum conuentu, ad testimonium publici gaudij institutæ, per se licite fieri possunt. Ista autem conuenticula, in quibus soli iuuenes & puellæ, aliquoties etiam noctu conuenire solent, omnino detestanda & fugienda sunt. Choreæ impudicæ.

Octauo, Prohibetur turpis & fœda concupiscentia. Sed de hoc infra, in lege, Non concupisces. Concupiscentia fœda.

Nono, Prohibetur consensus, hospitatio, consilium, auxilium, copulatio, quibus impudicitia, scortatio, adulterium, adiuuatur, & defenditur. Non solum

ſolum,inquit Paulus, qui ea faciunt, uerumetiam qui conſentiunt digni ſunt morte. Et Pſal. 49. Si uidebas furem,currebas cum eo,& cum adulteris portionem tuam ponebas &c.

Quæ in hoc præcepto mandentur.

MANDANTVR in hoc Præcepto uirtutes honeſtiſsimæ.

Virtutes quinti Præcepti.

Pudicitia.

Primum,mandatur Pudicitia,ſeu Caſtitas, & Continentia. Pudicitia autem eſt,cordis,uerborũ, geſtuum,oculorum,ueſtitus et aliarum rerum,Sed præcipua omnium eſt pudicitia cordis. Nã ſi cor pudicum fuerit, reliqua facile ad pudicitiam aſſuefieri poſſunt. Ex Corde,inquit Chriſtus, exeunt cogitationes malæ, adulteria, ſtupra,&c. Quare in hoc Præcepto mandatur præcipue omnium Pudicitia cordis. Eſtote, inquit, perfecti,ſicut Pater ueſter cœleſtis perfectus eſt, Deus autem cœleſtis Pater, eſt animus pudiciſsimus, & mens caſtiſsima. Quare exigitur hoc Præcepto,ut ſimus mente caſtiſsima,& corde pudiciſsimo.

Sobrietas.

Secundo mandatur temperantia & ſobrietas. Vetus dictum eſt: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Et Prouer. 23. dicitur,Ne intuearis uinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in uitro color eius. Ingreditur blande, ſed in nouiſsimo mordebit ut coluber,et ſicut regulus uenena diffundet. Oculi tui uidebunt extraneas,etc. Exemplum extat in Loth,quem ebrietas coniecit in horribile & imma-

Füllerey bringt bũberey.

ue

ne genus libidinis. Filiæ enim eius, ut Scriptura dicit, Gen. 19. dederunt ei uinum, & conceperunt ex eo. Etsi autem Loth fuit Patriarcha sanctus, qui antea mirabiliter seruatus fuerat per Angelos, ex incendio Zodomæ, & seruauerat ipse precibus suis oppidum Segor, tamen uino obrutus labitur in scelus tam horrendum, ut uiciet suas ipsius filias. Manifestum igitur est, uel hoc uno exemplo, quòd ebrietas sit mater omnis turpitudinis. Nam si ebrietas tam sanctum uirum, in tam detestandum flagicium traxit, quis secure posset operam dare ebrietati? Non dubitamus quidem, quin Loth egerit pœnitentiam, & acceperit condonationem peccati per fidem in Semen Abrahamo patruo suo promissum. Si autem quispiam non deterretur, exemplo Patriarchæ, ab ebrietate, sed pergit ei, spe consequendæ ueniæ, cum ipsi libuerit studere, is exponit se certo periculo, & uenia indignissimus iudicatur. Hieronymus dicit, Nunquam ebrium, putabo, castum. Impudica enim concupiscentia homini natura sic agnata est, ut accepta occasione exardescat in ipso tanquam flamma ignis. Vinum autem natura calefacit. Quare, si naturali impudicitiæ superinfundas uinum, quid aliud fit, quàm quòd duplicetur flamma? Præterea ebrietas facit homines securos, et tollit è corde timorem Dei. Sic enim Esa. 5. dicit: Cithara, lyra, tympanũ, tibia et uinum in conuiuijs uestris,

& opus

-t opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Vbi autem pellitur timor Domini, & redditur cor securum, ibi relaxantur frenaturali impudicitiæ, ut ruat in omnia genera sordißimarum libidinum Quare cum ebrietas excitet impudicitiam, perspicuum est, quòd hoc præcepto exigatur magna piorum hominum sobrietas & temperantia.

Coniugiũ.

Tertio, hoc Præcepto commendatur Coniugium. Nisi enim honestum Coniugium placeret Deo, nõ instituisset Legem quæ prohiberet coniugij violationem. Commendatur etiam Virginitas & Viduitas. Nisi enim hæc uitæ genera Deo placerent, non prohibuisset uagas libidines & impudicitias.

Impletio sexti præcepti.

DIXIMVS, q. hoc sexto Præcepto exigantur honestißimæ uirtutes, ac præsertim summa & castißima cordis pudicitia. Sed quis est, qui uere dicere possit, castum & mundũ est cor meum? Etsi enim nonnunquam corpus castum est & pudicum, tamẽ animus natura est impudicus. Quæ impudicitia prodit se maxime omnium in iuuentute, & occasionum opportunitate. Quid ergo faciamus, ut hoc Præceptum impleamus? Sicut nõ possumus perfecte implere alia Præcepta, ita nec hoc possumus in hac carne implere. Et tamen propositæ sunt nobis aliquot rationes, quibus Præceptum

ptum hoc ita implere possumus, ut coram Deo uere pudici iudicemur. Primum, agenda est pœnitentia, quæ duabus partibus constat. Vna est, quòd debeamus agnoscere nostram impuritatem & impudicitiam, & fateri, quòd propter eam simus meriti æternam internecionem. Altera est, quòd debeamus agnoscere Iesum Christum, & credere, quòd expiauerit nostram impuritatem, & reconciliauerit nos cum Deo. Hac fide, Christus Filius Dei, qui nullam unquam ne cogitationem quidem impudicam habuit, donatur nobis cum omni sua iusticia & pudicitia. Quare, cum credimus in eum, reputat nos Deus propter ipsum, tam castos & pudicos, quàm si nos hanc legem perfecte impleuissemus. De qua re supra, cum de impletione Decalogi loqueremur, copiose dictum est.

Deinde, non est sentiendum, quòd Deus donet nobis pudicitiam Christi in hunc usum, ut liceat nobis deinceps impudice uiuere, sed ut operam demus, quo naturalem nostram impudicitiam Spiritu Christi compescamus, & non præbeamus membra nostra serua immundiciei. Etsi enim talis compescentia non est per se perfecta impletio huius legis, tamen Deus exigit eam, & delectatur ea propter Christum filium suum. Cũ enim ipse sit mens castissima, uult etiam ut nos castitati studeamus. Quare necessitas urget, ut exhibeamus nos ipsos, organa Spiritui sancto, quo compescat impudicos

motus cordis & excitet in nobis pudicitiam. Recenseamus ergo, quæ nobis facienda uideantur, ut Spiritus sanctus habeat organa excitandæ in nobis pudicitiæ.

Organa spiritus sancti quomodo efficiamur.

Initio, diligenter incumbendum est precationi. Orandus est Deus, ut Spiritu sancto suo nos adiuuet, ad compescendos impuros motus cordis, & gubernet uniuersam uitam nostram. Pudicitia enim est singulare donum Dei, Paulus Galat. 5. numerat ἐγκράτειαν, hoc est, Continentiam, quæ est genus pudicitiæ, inter fructus spiritus. Dona autem Dei impetrãda sunt ab ipso precibus. Quare cum tentamur affectu impudicitiæ, properandum est ad preces & orandum, ne in tentationem inducamur. Idem & hoc affectu in nobis exardescente non minus nobis periculi instat, quã si capitalis hostis staret ante nos uibrato gladio, et minaretur nobis præsentem mortem. Sicut ergo in tali periculo opportunissimum tempus est exclamandi ad Deum, et inuocandi cœleste auxilium, Ita etiam in exardescente impudicitiæ affectu necessitas urgere nos debet, ut attollamus oculos nostros ad Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, et petamus, ut inter hæc Satanæ iacula nos illæsos conseruet.

Secundo, repetendum est memoria, quanto odio Deus hoc impudicitiæ peccatum prosequatur. Cum enim Deus omnia peccata odio habeat, hoc peccatum ita detestatur, et abominatur, ut puniat

ipsum

ipſum tam corporalibus in hoc ſeculo, quàm ſpiritualibus, & æternis, in altero ſeculo, ſupplicijs. Itaque Deus punit hoc peccatum, morbis, inopia, infamia, & multis id genus alijs malis. Homines ante diluuium, cum deſignarent uaria ſcelera, magnam dabant operam impudicitiæ. Itaq; neceſſe habuerunt diluuio perire.

In Zodoma ciues erant impuriſſimi. Perierunt igitur incendio. Samſon ſtuduit impudicitiæ. Quare non ſolum fortitudinem ſuam amiſit, uerumetiam captus eſt ab hoſtibus, & cæcatus. Beniamitæ defendunt impudicos adoleſcentes, qui concubina Leuitæ turpiſſime abuſi fuerant. Quare uniuerſa pene tribus deleta eſt. Vide mihi Dauidem, Quàm horribiliter punitum eſt diuinitus adulterium eius.

Nec tantum in populo Dei extant talia exempla, uerumetiam in hiſtorijs Gentium, quæ teſtantur ſæpe Politeias, & Regna propter impudicitiam, non ſolum mutata eſſe, uerumetiam omnimo deleta.

Sed nec hoc prætereundum eſt, quod ſcribitur Prouerb. 6. Precium ſcorti uix eſt unius panis, hoc eſt, Scortatio tam maledicta eſt, ut ſcortatori, quamuis diuiti, uix relinquat panem, ſed conijciat eum in extremam paupertatem. Et cap. 29. Socius ſcortorum perdet ſubſtantiam.

Huc pertinet etiam, quod Ieſus Syrach in Ec-

cleſiaſtico cap.19.ſcribit, Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes etc. Et cap.23. Omnis homo qui transgreditur lectum ſuum &c.

Deinde, impudicitia puniturſupplicio æterni ignis,niſi in Chriſto reſipiſcas.

Paulus 1.Corimt.6.Neq; ſcortatores, neq; adulteri, neq; molles,accipient regni Dei hæreditatem.

Galat.5.Manifeſta ſunt opera carnis,Adulterium,ſcortatio,immundicia. Qui talia agunt,non erunt hæredes regni Dei.

Hebræ.13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus.Hæc diligenter ſunt meditãda,ut commoneſaciamus nos,quàm ſtultum,quàm inſanum,quàm furioſum ſit, propter uoluptatulam non admodũ diuturnam, abijcere fœlicitatem æternam.

Tertio,ducenda eſt ſobria uita,ne intemperantia noſtra porrigamus arma Satanæ, ut nos cogitationibus impudicitiæ uincat. Ebrietas enim ſubminiſtrat impuritati alimenta, quemadmodum ſuprà oſtendimus.

Quarto fugiendum eſt ocium,& ſuſcipiendus labor honeſtus & utilis. Notus eſt uerſiculus, Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus.

Ergo, Ocia ſi dederis,ualere Cupidinis arcus.

Et Eccleſiaſt. cap.33. dicit, Multam maliciam docet ocioſitas.

Quinto, fugienda ſunt contubernia & colloquia hominum impudicorum. Corrumpunt,inquit Paulus,bonos mores,colloquia mala. Et uetus dictum

ctum est, Si iuxta claudum habitaueris, discès & ipse claudicare. In Gen. cap. 34. Dina filia Iacob non continet se domi suæ, sed euagatur ad alienas mulieres. Itaq; amittit suam pudicitiam.

In Num. cap. 25. Israelitæ conueniunt cum filiabus Moab. Quare primum scortantur cum eis, deinde abducuntur ab ipsis in idolatriam. Et statim sequitur supplicium, quia multa milia interficiuntur.

Pertinent autem hæc non tantum ad cœlibes, uirgines & uiduas, sed etiam ad coniuges. Vnusquisq; enim in suo ordine, & uitæ genere sectari & seruare debet pudicitiam & castitatem. Cœlibes & uirgines, studeant castitati, & seruent suam uirginitatem, donec tempus & occasio fuerit contrahendi legitimi coniugij. Tunc enim licet eis matrimonium legitime contrahere, nunquam autẽ licet eis scortari. Est & sua in coniugio castitas. Sed & Viduitas habet suam castitatem, uidelicet, ut Vidui uel contrahant legitimum coniugium, uel ducant pudicam uitam in uiduitate. Omnino enim ab omnibus hominibus exigitur, siue in cœlibatu, siue in coniugio, honesta pudicitia. Non ignoramus quidem, quòd non omnes huic doctrinæ obediant. Scimus multos conqueri, se his doctrinis redigi in ordines Monasticos. Sed scimus etiam non omnes consequi hæreditatem cœlestis regni. Multi, inquit Christus, uocati, sed pauci electi. Et ite-

rum: Lata est uia & spaciosa, quæ abducit in exitium, multiq; sunt, qui ingrediuntur per illam. Et Paulus. Non est omnium fides. Etsi enim lex Domini, et Euangelium Filij eius prædicanda sunt uniuersæ creaturæ, tamen hi soli capiunt uerum & cœlestem fructum eius, qui ex fide in Filium Dei respiscunt, et ad cœlestem hæreditatem tota mente atq; omni animo aspirant. Et hi, sicut necessarium est eis, ut obediant huic legi, & ducant semper honestam ac pudicam uitam, ita etiam omne studium suum in hoc conferent, ut obedientiam suam Domino seruatori ipsorum probent. Reliqua turba præceps in suum ipsa exitium, furioso impetu ruit. Quare in tanta hominum, inter quos & aliquot hæredes cœlestis regni admixti sunt, colluuie & impudicitia, danda nobis est opera, ut cum non possimus omnes eripere, saltem eos, qui ucre & ex animo tenentur studio pietatis, eripiamus. Prophe
Amos 3. ta Amos dicit: Quomodo si eruat pastor de ore leo
Cap. 4. nis duo crura et extremum auriculæ, sic eruentur filij Israel. Et iterum, Facti estis sicut torris raptus ab incendio. Sic & nobis nostro ministerio conandum est, ut in tanta morum corruptione, si non omnes, at saltem aliquos ex incendio, & ab ore Leonis, rapiamus.

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non fureris.

Quæ

Quæ hoc præcepto prohibeantur.

SIcut aliæ leges in Decalogo, ita & hæc lex est spiritualis. Nō enim exigit tantum manum à contractione alienæ rei, inuito Domino, puram & mundam, sed exigit etiam cor, animum & spiritum ab omni auaricia, et iniusta alienæ rei cupiditate purum & sanctum.

Furtū uulgare.

Principio igitur, prohibetur hac lege uulgare illud furtum, & uulgaris rapina, quæ & ipsi politici homines non solum detestantur, uerumetiam seueriter puniunt. Designatur autem hoc furtum, cum quis intercipiendi causa rem alienam amouet, & generaliter, cum quis alienam rem inuito domino contractat. De hoc furti genere, non dubitant, quotquot sana mente præditi sunt, quin graue sit peccatum, etiamsi nulla scripta lege prohiberetur.

Impostura in contractibus.

Secundo, prohibetur omnis impostura in contractibus, in emptione & uenditione, in negocijs, in pondere, in mensura, in numero, in debitorum solutione &c. Vnde Prouerb. 20. dicitur: Abominatio est apud Deum pondus & pondus. Statera dolosa non est bona. Et paulò ante: Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile coram Deo. Et Zachæus Lucæ cap. 19. recipit se quadruplum redditurum, si quempiam de-

fraudauerit. Quo manifeste significat, impostura seu defraudationem esse furtum, quia in lege multabatur furtum quadruplo. Et 1. Thess. 4. Ne quis opprimat ac fraudet in negotio fratrẽ suum, propterea quòd ultor est Dominus de his omnibus. Et Mich. 6. Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa? Quicquid ergo acquiritur impostu ris, iniquis contractibus, iniquis ponderibus aut mensuris, hoc computatur in iudicio Dei pro furto.

Labor infidelis.

Tertio, prohibetur omnis infidelis labor, pro quo tamen merces exigitur. Hoc enim non est iustam mercedem exigere, sed est furari.

Quarto, Prohibetur temeraria corruptio rei locatæ. Qui enim rem locatam, cum integram seruare posset, temere corrumpit, furti genus commit tit.

Vsura illicita.

Quinto, Prohibetur omnis illegitima & illicita usura. Scriptura autem sacra non definit, quæ sit illicita usura, sed relinquit hoc definiendum legibus ciuilibus. Quod ergo Leges ciuiles damnant in contractibus, & pronunciant esse illegitimam usuram, hoc in genere furti, hac lege prohibiti contimetur. Tales sunt usuræ Iudæorum, & eorum Christianorum, qui exempla Iudæorum imi-

Census legitimus non est furtum.

tantur. Nam Census, quo pro sorte centum aureorum numerantur singulis annis ex agro aut domo quinque aurei, habetur in Politicis ordinationi-

bus

bus pro legitimo contractu, non mutui, sed emptionis & redemptionis, Quare talis legitimus census non comprehenditur nomine furti.

Sexto, Prohibetur etiam hac lege suffuratio, qua solent famuli & famulæ res dominorum suorum, ipsis inscijs et inuitis subtrahere. De qua suffuratione loquitur Paulus ad Titum cap. 2. Serui non sint suffurantes, seu defraudantes. Nam hæc suffuratio, eo grauius genus furti est, quo plus à domino fidei seruorum commendatum est. Huius suffurationis nomine comprehenditur etiam ea liberalitas, quam serui ex bonis dominorum, ipsis inscijs & inuitis exercere solent. Qualis fur fuit iniquus ille uillicus, cuius fit mentio apud Lucam cap. 16. Suffuratio.

Septimo, Prohibetur ignauia, & ea, quæ ex ignauia uenit mendicitas. Nam mendicitas, ad quam te famis necessitas uocat, non est furatio, sed miser a æquo animo ferenda, sicut et morbus corporis. Mendicare autem sano corpore, ex ignauia, cum posses tibi iusto labore alimenta parare, est furari. De hoc furum genere loquitur Paulus Ephe. 4. Qui furabatur, non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus quod bonum est. Et 2. Thes. 3. Cum essemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet &c. Ignauia & mendicitas

Octauo, Prohibetur profusio, seu prodigalitas. Nisi enim aut proprias facultates inutiliter pro- Prodigalitas.

fundas, quod & ipsum est furari, aut ex alieno ra
pias, non sufficis profusioni.

Lusus. Nono, Prohibetur lusus in alterius damnum et perniciem susceptus. Nam is lusus, qui ab honesti hominibus recreandi aut fallendi temporis grati susciptur, tolerabilis est, quo & bonus bene uti po test. Mali autem, quibus omnia sunt mala, eo tantum affectu lusum suscipere solent, ut colluſoris pecuniam ad se rapiant, nec ulla tangantur miseri cordia, etiamsi colluſor ad inopiam redigatur, & familia eius necesse habeat esurire & algere. Hoc certe non est ludere, sed rem seriam agere, & furari, & quicquid tali lusu acquiris, furti ac rapinæ nomine coram Deo contimetur.

Auaricia. Decimo, Prohibetur auaricia, & iniusta alienæ rei cupiditas. Longe autem inter se differunt, rerum necessariarum appetitio, et auaricia. Natura enim appetimus ea, quæ ad conseruationem salutis nostræ pertinent, & quanquam solemus delectu errare, & affectum carnali ac iniusta cupiditate uiciare, tamen affectus per se naturalis est, et à Deo conditus, ideoq; non illicitus. Auaricia autẽ est is habendi amor, quo necessarijs & præsentibus non contenti, plura appetimus, quibus etiam siue iure siue iniuria, siue licite siue illicite acquirendis studemus. Nam quemadmodum canis, qui cum

Auari pictura. deuorat unam carnis particulam, uidet aliam sibi proiectam, ita in propositam particulã imhiat, ut

ea

ea quam habet in ore non fruatur, sed traijciat, alienato ab ea sensu, in uentrem, ut & proiectam arripiat, ita auarus non fruitur præsentibus suis rebus, sed inhiat tantum in alienas, ut rectissime dictum sit, Auaro tam deesse quod habet, quàm quod non habet.

Ex his manifestum est, quod cum omnes homines à minimo, ut Propheta ait, usq; ad maximum, auariciam sequuntur, & studeant opes parare furtis, rapinis, imposturis, dolosis ponderibus, iniquis mensuris, & alijs fraudibus ac deceptionibus, hic mundus non sit nisi officina furtorum, & spelunca raptorum. Quare monemur hoc Præcepto, ut caueamus à moribus huius mundi, ne una cum mũdo pereamus.

Quæ hac lege præcipiantur.

INITIO, sciamus, quòd hac lege de furto, confirmetur distinctio dominiorum, & proprietas rerum ac facultatum terrenarum. De qua re necessariũ est, ut admoneamur. Alij enim ex Gen. ca. 1. ubi dicitur ad Adam, Replete terram, et subijcite eam, & dominamini piscibus maris & c. argu tantur, quòd omnia inter homines debeant esse cõmunia. Alij ex Actis Apostolicis cap. 2. et 4. ubi dicitur, Nec quisquam aliquid eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. docent Christianos debere omnia in commune conferre.

Proprietas facultatũ diuina est ordinatio.

Sed

Sed hæc lex de non furando, perſpicue ſignifi-
cat, q̃ diſtinctio dominiorum & proprietas facul-
tatum inter homines, ſit diuina ordinatio. Nulli
enim furto locus eſſet, ſi omnia, diuina ordinatio-
ne, eſſent communia. Nam q̃, in Geneſi homo ordi-
natur in dominum terræ, non eſt intelligendum,
liceat homini exercere in terra tyrannidem ſecun-
dum ſuam libidinem, ſed quòd liceat ei, iuxta di-
uinam ordinationem, iuxta legem naturalem, & po-
ſitiuam ſeu ciuilem, terra ac terrenis rebus uti. Si-
quidem Adam non peccaſſet, tunc homines uiue-
rent in terra tranquilli, ſine rapina, furto, & im-
ſtura, ac unicuiq; tam curæ fuiſſet alienarum, qui
ſuarum rerum cuſtodia. Nunc poſtquam per unum
hominem peccatum intrauit in mundum, neceſſa-
riæ ſunt leges & publicæ ordinationes, quibus fur-
ta et rapinæ coerceantur, et rerum proprietas con-
ſeruetur. Nam quemadmodum infanti, qui adhuc
eſt ſub tutoribus, etſi dominus eſt omnium pater-
narum facultatum, non tamen licet facultatibus
pro ſua libidine uti, ſed neceſſe habet adminiſtra-
tionem earum tutoribus permittere, donec ad iu-
ſtam et legitimam ætatem peruenerit: Ita conſtitu-
ti ſumus domini terræ, ſed hac conditione, ut cum
peccatum intrauerit in mundum, coniecti ſimus
ſub leges, tanquam ſub tutores, ut rebus huius ter-
ræ, ſecundum publicas leges utamur. Itaq; ſi quid
acquirimus aut legitimis contractibus, aut hæredi-

tate, aut donatione, aut alijs iustis & legitimis rationibus, eo licebit nobis, pro nostro arbitrio, sed in Domino, & secundum uoluntatem Dei, uti. Quòd autem in Actis Apostolicis omnia inter discipulos Euangelij fuerint communia, nō est generale præceptum, sed personale exemplum, quod ut non potuit esse inter discipulos diuturnum, ita non debet uniuersæ Ecclesiæ imitandum obtrudi. Sed de hoc loco alias copiosius.

Communitas rerum qualis sit.

Secundo, Et tamen præcipitur in hac lege, etiā sua quædam rerum communitas, uidelicet, ea, quā exigit caritas proximi, ut opibus tuis liberaliter subuenias egenti, & largiaris eleemosynam, uel mutuū dando, uel donando, propter Deum. Nō sit porrecta, inquit Ecclesiasticus, manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. Nam qui egentē non iuuat, cum possit, designat in suis proprijs facultatibus furtum, non quidem coram hominibus, sed coram Deo. Subueniendum autem est egenti, iuxta regulam Pauli, qui 2. Cor. 8. sic ait: Si prius adsit animi promptitudo, ea quicquid illud est, quod possidet aliquis, accepta est, non iuxta id, quod non possidet. Non enim ut alijs sit relaxatio, uobis autē angustia, sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore, etc. Et cap. 9. Vnusquisq; secundum propositum cordis, non ex molestia aut ex necessitate. Nam hilarem datorem diligit Deus.

Eccle. 4.

Tertio, mandatur Iusticia in contractibus, in emptione

Iustitia contractib.

in emptione & uenditione. Hæc iustitia est cultus Dei, & officium Deo gratum. Constat autem iustitia in eo, ut reddas unicuiq; quod suum est, ut legitime negocieris, sine dolo malo, sine impostura. Hic locus late patet. Complectitur debitorum solutionem definito suo tempore & promisso. Nam, cum non solueris, cum possis, debita, aut non curaueris pro tua uirili, ut sis soluendo, ac defraudaueris tua negligentia & socordia creditorem, designas furtum. Complectitur etiam solutionem tributorum & uectigalium, quæ pendi solent magistratui. Reddite, inquit Paulus, omnibus quod debetur, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal &c. Quare, qui ex his quippiam contra publicam ordinationem subtrahunt, committunt furtum. Complectitur quoque restitutionem rerum depositarum.

Parsimonia.

Quarto, mandatur Parsimonia, ut facultates tuas, nec ignauia, nec prodigalitate profundas.

Gratitudo & beneficentia.

Quinto, mandatur Gratitudo & beneficentia, ut rependas quantum fieri potest, beneficia amicis & benefactoribus. Et tamen non benefactoribus tantum, sed etiam malefactoribus, si nostra ope indigeant, benefaciendum est. Vnde Christus Matth. 5. dicit: Si dilexeritis eos, qui diligunt uos, quid præmij habetis, nonne & publicani idem faciunt? Et Luc. 6. Si mutuum dederitis his, à quibus speratis uos recepturos &c.

Sex-

Sexto, *mandatur Restitutio abldtorum per iniuriã. Vnde Zachæus recipit se his, quos defraudauerat, redditurum quadruplum.* Et Ezech. 33. *numeratur inter opera pœnitentiæ restitutio pignoris & rapinæ. De hac restitutione Augustinus ita scribit: Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi posit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem agitur, non remitteretur peccatum, nisi restituatur ablatũ. Sed ut dixi, cum restitui potest. Plerunq; enim qui aufert, amittit, siue alios patiendo malos, siue ipse male uiuendo, nec aliud habeat unde restituat &c.* Ablatorum restitutio. Augustinus To. 2. epist. 54.

Septimo, *mandatur obedientia & patientia in paupertate. Qui enim paupertate premitur, et prohibetur, ne committat furtum, ut ditescat, paupertatem æquo animo ferat, & à Deo opem petat, necesse est.* Patientia in paupertate.

Octauo, *mandatur generaliter in hac lege, ut diligas proximum sicut teipsum.* Et, *Quod tibi nõ uis fieri, alteri ne feceris.*

Impletio septimi præcepti.

PAVLVS *docet, Legem esse spiritualem, nos autem carnales.* Et, *Carnem non subdi legi Dei, imo ne posse quidem subdi. Lex enim Dei non est cõtenta exteriori specie operis, Sed exigit perfectam dilectionem Dei & proximi. Præterea dictũ est paulo ante, quòd in hoc septimo præcepto prohibeatur Auaricia, et alienarũ rerũ cupiditas,* Ro. 7. & 8.

exiga

exigatur autẽ pura & syncera caritas erga pro-
ximum. Cum igitur natura hominis ita corrupta
sit ut non nisi sua quærat, et impudenter dicere
leat, Proximus egomet sum mihi, fieri non potest
ut hanc legẽ nostris operibus perfecte impleamus.
Et tamen exigitur à nobis impletio. Nisi enim im-
pleuerimus, salui fieri non possumus. Quid ergo
faciendum, ut impleamus eam? Quod in superi-
oribus præceptis dictum est, idem etiam in hoc pre-
cepto repetẽdum erit. Impletur enim hæc Lex duo-
bus modis. Vno modo per fidẽ in Iesum Christum.
Nam q̃ hypocritæ non recte impleant, nec hanc,
nec aliam legem, hinc adeo euenit, quia ignorant
aut contemnunt hanc impletionem, quæ est per fi-
dem. Vnde Paulus Romanis scribẽs, Israel (inquit)
qui sectabatur legem iusticiæ, ad legẽ iusticiæ non
peruenit, hoc est, legem nõ uere impleuit. Propter
quid? Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus
legis, hoc est, Voluerunt legem suis ipsorum ope-
bus implere, & non agnoscere iusticiam Christi, ide
circo legem nunquam impleuerunt. Quid ergo est
legem de furto, (In hac enim explicanda nunc ver-
samur) implere per fidem? Non certe aliud est,
quàm credere in Iesum Christum filium Dei, et cõ
fidere, quòd ipse expiauerit peccata nostra, & q̃
Deus reputet nos iustos propter Christum, cum
credimus in eum, ac donet nobis iusticiam eius, ut
ea confidere & in iudicio Dei constare queamus.

Post-

Postquam enim Christus impleuit hanc legem, Nõ fureris, sicut & omnes alias leges, perfectißime, & donatur his, qui credunt in ipsum, ut adoptentur propter eum in filios Dei, & in cohæredes eius, fieri non potest, ut non una cum ipso donetur eis impletio & iusticia Christi. Itaq; fit, ut hi, qui credunt in Christum, impletionem legis, quam non habent suis operibus, habeant imputatione propter Christum. Quare hæc lex præcipue à nobis impletur per fidem, uidelicet, cum credimus, q; reputemur iusti propter Christum, & q; iusticia Christi nobis coram Deo imputetur. Alio modo impletur per obedientiam ex fide, uidelicet, ut accepto Spiritu sancto propter Christum, incipiamus proximum diligere, & ei sua intantum non auferre, ut etiam nostra ei candide impertiamur. Quæ obedientia, etsi non est perfecta operibus, tamen dicitur legis impletio, propterea quòd sit fructus eius impletionis, quam habemus in Christo, & quæ imputatur nobis propter Christum per fidem. De hac legis impletione erudite dicit Augustinus: Omnia mandata, facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Augusti. li. 1. Retract. cap. 19.

Porro autem, quædam necessario considerandа & facienda sunt, ut exhibeamus nos Spiritui sancto organa, & cooperarios ad præstandam hanc obedientiam.

Primo, admoneamus nos ipsos de supplicijs,

quæ Spiritus ſanctus minatur impoſtoribus, et his, qui iniuſte negociantur, & ſunt duri ac immiſericordes erga proximos egenos & ſupplices.

Cooperarij Spirtius S. quomodo fiamus.

Prouerb. 20. Pondus & pondus, menſura & menſura, utrunq; abominabile eſt apud Deum. Si iniqua pondera ſunt coram Deo abominabilia, fieri non poteſt, quin afferant ſecum maledictionem, hoc eſt, rerum damna & detrimenta.

Prouerb. 21. Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, et non exaudietur.

Eſaiæ 33. Væ prædanti, quia uiciſsim ſpoliaberis.

Hiere. 17. Sicut auis fouet, & non excludit, ita qui facit diuicias, nullo iudicio. In dimidio dierum ſuorum derelinquit eas, & in nouiſsimo ſuo erit inſpectus.

Mich. 6. Nonne adhuc ignis in domo impij, theſauri impietatis, & modius macilentus ira plenus? Dicit opes fraude & impoſturis partas eſſe tiquam ignem, quo conflagraturi ſunt ij, qui eas poſſident. Vnde & uulgo dici ſolet, Male parta, male dilabuntur. Et iterum: De male quæſitis non gaudet tertius hæres. An non cohorreſceres, ſi uideres facem ardentem admoueri tecto tuo? Cur ergo non eodem modo abhorres ab opibus male partis, quia ſunt ignis & fax accenſa, quibus abſumuntur & deuorantur etiam reliquæ facultates, quam-

Vnrecht gewonnen Kompt an die ſonnen.

quamuis iuſte partæ?

Eccle. 21. Qui ædificat domum ſuam alienis impendijs, colligit ſibi lapides ad ſepulturam ſuam.

1. Theſſ. 4. Ne quis opprimat ac fraudet in negocio fratrem ſuum, propterea quòd VLTOR eſt DOMINVS de his omnibus.

1. Cor. 6. Neq; auari, neq; fures, neq; rapaces regni Dei hæreditatem accipient. Itaq; uides, q̃ furtis, hoc eſt, impoſturis, & dolis malis, quibus diuitiæ parãtur, decernitur diuinitus ſupplicium, non ſolum corporalis & externæ, uerumetiam quod maximum eſt, ſpiritualis & ſempiternæ maledictionis. Hæc diligenter nobis in mentem reuocanda ſunt, ut excitemur ad obedientiam huius legis, & caueamus ab impoſturis & iniquitatibus.

Secundo, Conſideremus promiſſiones, quæ dicuntur de his, qui non furantur, hoc eſt, non negociantur iniuſte, ſed ſeruant iuſticiam in omnibus contractibus ac negocijs, ac præterea etiam de ſuis opibus egentem adiuuant.

Deut. 25. Pondus habebis iuſtum & uerum, & modius æqualis & uerus erit tibi, ut MVLTO uiuas tempore ſuper terram &c.

Eſai. 58. Frange eſurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam, Cum uideris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexe-

ris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, hoc est, eris fortunatus in negocijs tuis, & sanus in corpore tuo &c.

Prouer. 19. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & uicißitudinem suam reddet illi. Huc pertinet etiam concio de Eleemosyna, quæ extat Eccles. cap. 4.

Luc. 6. Date & dabitur uobis. Mensuram bonam, confertam & concussam, atq; exundantem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua metimini, metientur alij uobis.

Luc. 16. Facite uobis amicos ex mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

2. Cor. 9. Qui sementem facit libenter ac benigne largiendo, copiose messurus est &c. Quid plura? Multæ id genus promißiones extant in scriptura, quibus Deus recipit se liberalißime compensaturum piam erga proximum caritatem, & liberalitatem, atq; in negocijs et contractibus iusticiam. Quæ promißiones serio animaduersæ porrigunt Spiritui sancto organon, quo accẽdat cor nostrum ad huius legis obedientiam.

Tertio, Proponamus nobis concionem Christi, quam habuit apud Matthæum cap. 6. de abijcienda sollicitudine acquirendi uictus, et amictus. Quæ concio, cum confirmet pios, ambulantes in uocatione Domini, quòd Præbenda ipsorum sit coram Deo

Præbenda em pfrũd.

Deo certißima, eo præcipue reſpicit, ut ducet nos in obedientiam huius legis, ne furemur, hoc eſt, ne ad paranda alimenta deſeramus uocationem Dei. Quærite, inquit, primum regnum Dei, et iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Quarto, Memores ſimus exempli Chriſti, qui cum diues eſſet, factus eſt propter nos pauper, ut uocationi Dei patris ſui obediret: Ita & nos debemus malle cum Filio Dei, pie faciendo, pauperes eſſe, quàm cum Satana, impie faciendo, & furando, diuites eſſe. Prouerb. 15. Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles &c. Et de exemplo Chriſti dicit Paulus 2. Corint. 8. Noſtis beneficentiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd propter uos pauper factus ſit, cum eſſet diues, ut uos illius paupertate diteſceretis.

Quinto, Fugiamus ignauum ocium, & demus operam honeſto labori. Huc nos uocat Paulus ad Ephe. cap. 4. ſic ſcribens, Qui furabatur, non amplius furetur, magis autem laboret operando manibus, quod bonum eſt. In quem uſum? Num ut habeat, quod feſtis diebus helluetur? Nequaquam, Sed ut poßit impartiri ei, qui opus habuerit. Et 2. Theſſalo. 3. Cum eſſemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut ſi quis nollet operari, is nec ederet. Sed de hoc etiam ſupra dictum eſt.

Poſtremo, Inuocemus Dominum ſine intermiſ-

ſione, et intueamur diligenter in hanc particulam Dominicæ oratiõis, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Niſi enim Deus clementer recepiſſet ſe inuocantibus daturum panem quotidianum, Filius eius non præſcripſiſſet nobis talem precandi formam. Huc etiam pertinet Pſalmus 36. Noli æmulari. Et Pſalmus 144. Exaltabo te Deus meus. Et precatio quæ extat Prouerb. 30. Mendicitatem & diuicias ne dederis mihi. Tribue tantum uictui meo neceſſaria, ne forte ſaciatus illicear ad negandum Dominum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei, &c.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

Non loquaris falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum.

Quæ hoc præcepto prohibeantur.

Teſtimoniũ falſum coram iudicio.

PRimo, prohibetur execrabile & *deteſtabile illud teſtimonium, quod falſo & mendaciter coram iudicio aduerſus proximũ fertur. Hoc genus mendacij Dominus Deus noſter extremo odio proſequitur, quippe q̃ cum peiurio cõiunctum eſſe ſoleat. Vnde & declarauit Deus perſpicue in lege Moſi Deut. 19. quantum abominetur hoc genus mendacij, cum ſeueriter exigit, ut mendaci*

dàcì teſti ea inferatur pœna, qua uoluit per falſum ſuum teſtimonium proximum grauare. Si ſteterit, inquit, teſtis mendax contra hominem, accuſans eum præuaricationis &c. Et ſequitur, Reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, et auferes malum de medio tui &c. Et ut manifeſte uideas ſe ueritatem iræ Dei aduerſus tale mendacium, addi tur: NON miſereberis eius, Sed animam pro anima, oculum pro oculo, manum pro manu, pedē pro pede exiges. Deus præcipit alias, ut ſimus erga proximum miſericordes. Hic autem ſcueriter exigit, ut Magiſtratus nullam miſericordiam mendaci teſti exhibeat, ſed ſumat ab ipſo legitimam pœnam. Etſi autem Magiſtratus aliquoties ceſſat, & non inquirit in teſtem mendacem, tamen certiſſimum eſt, quòd Deus non ferat falſum teſtimonium inultum. Teſtis falſus, inquit Salomon, non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. Effugit quidem aliquoties hominum iudicium, non effugiet autem iudicium Dei. Prouerb. 19

Secundo, Prohibetur falſa doctrina & depraua tio ſacræ Scripturæ. Cuius peccati rei ſunt hæretici & hypocritæ, qui ad ſtabiliendam ſuam impietatem, abutuntur dictis ſacræ Scripturæ. Falſa doctrina.

Tertio, Prohibetur hypocriſis, ea uidelicet, qua quis uult uideri honeſtus & pius, interea tamen agit turpem & ſceleratam uitam, & malefacit proximo. Vnde 1. Iohan. cap. 1. dicitur: Si dixerimus, Hypocriſis.

quòd societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur et ueritatem non facimus. Et 1. Iohan. 2. Qui dicit, Noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Et iterum 1. Iohan. 4. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Vides igitur, quòd hic mundus plenus sit mendacium testium, quia omnes fere homines tales sunt hypocritæ, quales Iohannes describit.

Calumniæ. Quarto, Prohibentur calumniæ et deprauationes alienorum dictorum aut factorum, siue coram iudicio, siue extra iudicium. Hoc enim plane est satanicum seu diabolicum. Nam Satan hinc nomẽ διαβόλου habet, quòd calumnietur & deprauet hominum dicta & facta coram Deo. Diabolus enim significat calumniatorem. Talis calumniator fuit Doeg, 1. Reg. 22. Tales calumniatores fuerunt testes contra Christum, qui dixerunt, Audiuimus, quòd hic dixerit, Destruam templum, & in tribus diebus reædificabo illud. Et Pontifices qui accusabant Christum, Deprehendimus (inquiunt) hunc uetantem dare Cæsari tributa.

Detractiones de bona fama alterius. Quinto, Prohibentur detractiones de aliena bona fama, non illæ solum, quæ sunt falsæ & mendaces, uerumetiam istæ, quæ sunt ueræ, ut si quis conscius alieni delicti, uulgauerit hoc publice in conuiuijs & tonstrinis, peccat contra hoc Præceptum, ac dicit falsum testimonium aduersus proximum

sue

ſuum. Quid ita? inquies, An non uera recito? An non uerè ille hoc delictum deſignauit? Reſpondeo. Fieri quidem poteſt, quòd recites rem uere geſtam ſed quia non recitas pie, non recitas ordinarie, non recitas legitime, non recitas candido animo, ideo peccas contra hoc Præceptum. Peccatum enim eſt non ſolum dicere mendacium aduerſus proximum ſed etiam dicere ueritatem illegitime, odioſe, & ſcelerate, id quod detractor aut ſuſurro facere ſolet. Nam quemadmodum is deſignat homicidium, qui occidit latronem ſine iudicio, ſine legitima uocatione, ſed priuata tantum temeritate & libidine, ita is peccat falſo teſtimonio, qui de proximi fama detrahit impudenter & odioſe, etiamſi proximus id delictum, quod detractor uociferationibus ſuis ſpargit, commiſit.

Sexto, Prohibentur malæ ſuſpitiones de proximo in corde, quia caritas, inquit Paulus, non eſt ſuſpicax. Malæ ſuſpitiones.

Septimo, Prohibetur in genere omne mendacium, ſiue in contractibus, ſiue in colloquijs familiaribus, ſiue in alijs negocijs. Sed ne hic erremus, ſciamus uaria eſſe mendaciorum genera. Aliud enim eſt mendacium, quod nõ ex malicia, ſed ex ignorantia aut incogitantia dicitur, Quale eſt, quod alter ex alterius falſo ſermone, quem uerum exiſtimat eſſe, commemorat. Aliud eſt mendacium Ironicum, quale eſt mendacium prophetæ Michæ ad Mendaciũ. Mendaciũ ignorãtiæ. Mendaciũ ironicum.

regem Ahab, 3. Reg. 22. Aſcende et uade proſpere, & tradet Dominus in manus Regis. Extant & quædam Sanctorum mẽdacia in ſacris literis, quale eſt Iacob, cum diceret ad patrem: Ego ſum primogenitus tuus Eſau, Gene. 27. Et obſtetricum Hebræarum, Exo. 1. Et Rahab Hierichuntinæ, Ioſ. 2. et aliorum. Quæ Sanctorum mendacia alij reprehendunt, alij defendunt, & dicunt eſſe ſingulares Spiritus ſancti impetus: Non enim dicta ſunt aduerſus proximum inique, ſed dicta ſunt ad ſatisfaciendum ordinationi ac mandato Dei, & ad tuendos innocentes. De his & ſimilibus mendaciorum generibus, non eſt nobis nunc in explicatione huius octaui præcepti ſermo, Sed de mendacijs, quæ ad fallendos et decipiendos, quos minime oportet, contra mandatum & ordinationem Dei excogitari ſolent. Quo mendaciorum genere nihil magis cum Deo pugnat, & nihil magis cum ingenio Satanæ conuenit. Deus enim ueritas ipſa eſt. Satan autem mendax eſt, & pater mendacis. Et Satan coniecit mendacio humanum genus in omnes tam corporales, quàm ſpirituales ærumnas. Quare tali mendacio nihil eſt deteſtabilius, nihilq; coram Deo abominabilius.

Mendacia Sanctorũ.

Quæ hoc præcepto mandentur.

DICAM quidem hoc uno uerbo: Mandatur enim VERITAS, Sed uide mihi, q̃ late ueritas pateat.

Pri-

Primum enim exigitur & mandatur Veritas in doctrina religionis. De qua ueritate dicit Christus ad Pilatum: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati, hoc est, ut doceam ueram religionem. Omnis qui est ex ueritate, hoc est, omnis qui amat & cupit cognitionem ueræ religionis ac pietatis, audit uocem meam. Veritas q̃ late pateat

Deinde mandatur Veritas non solum in dicendis testimonijs coram iudicio, uerumetiam in dicẽdis sententijs iudicij. Vnde Iethro ad Mosen de constituendis iudicibus dixit: Prouide de omni plebe uiros sapientes & timentes Deum, in quibus sit Veritas, & qui oderint auariciam &c. Exod. 18.

Ad hæc mandatur Veritas in contractibus, quam non seruari in humana societate conqueritur. Hiere. cap. 9. Vnusquisq; se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, Quia omnis frater supplantans supplantabit. Et mox: Veritatem non loquuntur, docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent, laboraue runt.

Præterea mandatur Veritas, fides & constantia in pactis & conuentis. Conqueritur Hieremias & hanc ueritatem seu fidem inter homines perijsse. Dicit enim cap. 5. Circuite uias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis uirum facientem iudicium, &

quæ-

quærentem fidem &c. Et Paulus Galat. 5. numerat hanc fidem inter fructus ſpiritus, cum Rom. 1. numeret eos, qui non ſunt tenaces pactorum, inter illos, qui dati ſunt in reprobam mentem.

Deniq; mandatur ueritas in omni ſermone, & omnibus negocijs. Depoſito mendacio, inquit Paulus, loquamini ueritatem quiſq; proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra.

Iudiciorum publicorũ confirmatio.

Sed nec hoc prætereundum eſt, quod hac lege de non ferendo falſo teſtimonio aduerſus proximum, confirmatur autoritas publicorum iudiciorum. Niſi enim ea placerent Deo, & ijs liceret pio uti, Deus non conſtituiſſet legem de teſtimonijs coram publicis iudicijs, Sed potius abrogaſſet omne iudiciorum & teſtimoniorum uſum.

Impletio VIII. præcepti.

EGO dixi, inquit Pſalmus, in exceſſu meo, omnis homo mendax. Et iterum, Veruntamen uniuerſa uanitas, omnis homo uiuens. Quis igitur eſt, qui hanc legem de non dicendo mendacio uere adimpleat? Nullus certe hominum, ſiquidem naturam ipſorum conſideraueris, implet eam perfecte. Sumus enim natura ſubiecti tyrannidi Satanæ propter peccatum. Cum autem Satan ſit mendax, & pater mendacis, committere non poteſt, quin & mancipium ſuum reddat mendax, ac detineat ipſum, pro ſua uirili, in mendacio. Et tamen neceſſe habe-

habemus, si modo ueram & æternam salutem uoluerimus consequi, hanc legem implere, et depositio mendacio, ueraces fieri. Quare sicut in implendis alijs præceptis, ita & in hoc præcepto implendo, duæ impletionis uiæ nobis sunt propositæ. Vna est, ut adoptemur in filios Dei, propter Iesum Christum Dominum nostrum. Hoc autem fit per fidem in Christum. Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in eum. Porrò Christus uerus & æternus filius Dei, non solum est uerax, sed & Veritas ipsa. Et tantæ est autoritatis apud Deum Patrem suum, ut impetret omnibus in ipsum credentibus tam remissionem peccati, & mendacij, quod natura adhæret carni nostræ, quàm imputationem suæ ipsius iusticiæ & ueritatis, ut sicut ipse est coràm Deo uerè uerax, ita reputentur etiam credentes in ipsum ueraces Quare quotquot adoptãtur per Christum in filios Dei, reputantur quoq; impletores huius legis propter Christum, qui est ipsis unà cum omni sua iusticia & ueritate donatus. Alteria uia est, ut postquam adoptati sumus in filios Dei, per fidem, & reputamur coràm Deo ueraces propter Christum, incipiamus mendacium in carne nostra mortificare & expurgare, ac tam cogitationibus, quàm sermonibus & operibus ueritati studere. Non enim imputatur nobis ueritas Christi in hunc usum, ut liceat nobis impune mendacio

dacio ſeruire, ſed ut mendacium in carne noſtra compeſcamus, & ueritati obediamus. Hoc autem non poteſt recte fieri carnali potentia, ſed neceſſaria eſt potentia Spiritus ſancti. Si ſecundum carnem, inquit Paulus, uixeritis, moriemini. Quòd ſi ſpiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Spiritus ſanctus autem exigit, ut nos ſimus cooperarij eius, & porrigamus ei arma ſeu inſtrumenta, quibus ſuum opus in nobis, quantum in hac carne fieri poteſt, abſoluat.

Cooperarij Spiritus ſancti quomodo fiamus.

Primum igitur cogitemus, quàm fœda, quàm turpis, quàm abominanda, quàm pernicioſa res ſit mendacium. Furem omnes homines deteſtantur, & tamen Eccleſiaſticus dicit, furem potiorem ſeu tolerabiliorem, quàm uirum aſſidue mendacem. Nam cum Deus, qui eſt ueritas, ſit pulcherrimum, uenuſtiſſimum & exoptatiſſimum bonum, mendacium autem ex diametro cum Deo pugnet, perſpicuum eſt, mendacium eſſe turpiſſimum & fœdiſſimum malum. Et cum Satan ſit mendax, ac pater mendacis, quemadmodũ Chriſtus apud Iohannem dicit, mẽdax filius Satanæ ſit, neceſſe eſt. Si autem filius, ergo & hæres, hæres quidem diaboli, coheres autem omnium impiorum. Quid hac hæreditate horribilius, aut abominabilius? Hæc enim hæreditas non aliud eſt, quàm ignis inferni, & perpetuus cruciatus. Nam ut rectius cognoſcas mẽdacij naturam, tanta eſt huius mali magnitudo, ut non

Eccleſi. 20.

ſolum

solum autorem eius, uerumetiam eum, qui autori & mendacio eius fidem adhibet, conijciat in extremam internecionem. Initio enim Satan, qui est mendacij autor, perijt suo ipsius figmento. Postea cum homo adhiberet fidem mendacio Satanæ, perijt & ipse, & tota eius posteritas. Ac tanta est huius mali contagio, ut humanũ genus necesse haberet in perpetua esse internecione, nisi Filius Dei redimisset ipsum ueritate. Os, quod mentitur, inquit Sapientia, occidit animam. Cum igitur mendacium afferat mendaci præsens exitium, insania est & furor, mendacio delectari. Sapien. 1.

Sed ueritas, inquies, sæpe est detrimentosa & mendacium utile. Si quis alteri clam suas res surripuerit, & accusatus furti, cõfiteatur ueritatem, pendebit. Si mercator non addiderit uiciosis mercibus suis orationis uanitatem, magnam faciet rerum suarum iacturam. In Iosua capite 7. Acham confitetur ueritatem, & indicat, quo deposuerit furtum. Itaq; obijcit confessione ueritatis tam se quàm uniuersam familiam suam extremis periculis. Si coram Tyranno Euangelij Christi persecutore fateris te Euangeliũ agnoscere, et probare amittis uitam. Si uero negaueris ueritatẽ, & dixeris mendacium, seruas uitam. Quid ergo dicemus? An in talibus casibus non licet uti mendacio? Nihil certe minus. Nam & ipsa naturalis hominum ratio recte iudicat, non statim honestum esse

Commodi & incommodi ex ueritate & mendacio collatio.

esse,quod uidetur utile. Et diligenter expendendū est,quæ sit uera utilitas,aut inutilitas. Vera enim utilitas aut inutilitas est, non quæ est corporalis aut mundana, & ad tempus tantum durat, seu quarum illa affert cœlestem & æternam benedictionem,etiamsi aliquādiu uideatur infœlix, hæc autem affert perpetuam maledictionem & damnationem,etiamsi uideatur aliquandiu fœlix. Sic enim Christus Filius Dei definit utilitatem & inutilitatem. Quid prodest,inquiens,homini, si totū mundum lucratus fuerit, animæ uero suæ iacturam fecerit? Et iterum: Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, Sed metuite magis illum,qui potest et animam & corpus perdere in gehenna. Ac rursus: Si manus tua uel pes tuus obstaculo est tibi,abscinde eum & proijce abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi claudum & mutilum, potius quàm duas manus uel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et Epistola ad Hebr. de Mose: Eligens potius(inquit)simul malis affici cum populo Dei, quàm temporarijs peccati commodis frui, maiores arbitratus diuicias probrum Christi, quàm Ægyptorum thesauros. Respectum enim habebat remunerationis. Vides id demum uere utile esse, quod etsi initio est infœlix, postea tamen affert certam & firmam fœlicitatem. Quicquid autem commodi, quicquid lucri paratur mendacio, prima

Matth. 16.

Matth. 10.

Matth. 18.

ma quidem fronte uidetur esse felix & faustum, sed paulò post re ipsa declaratur infelicissimum et infaustissimum esse. Et quicquid incommodi aut damni propter ueritatem suscipitur, uidetur quidem initio maledictam esse, sed tandem reuelatur diuinitus summa et æterna eius benedictio. De confessione Christi, & abnegatione eius dicitur: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo, qui est in cœlis. Et quisquis negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo, qui in cœlis est. Habes hic, q. ueritatem dicere de Christo, etsi apud homines est ignominiosum & detrimentosum, tamen summa sit coram Deo gloria. Et mendacium dicere de Christo, etsi uidetur in hoc seculo afferre aliquam securitatem, tamen afferat coram Deo sempiternam ignominiam & damnationem. Extant & de alijs mendaciorum generibus multa dicta in sacra Scriptura, quibus mendacij maledictio, & ueritatis benedictio probatur.

Prouerb. 12. Abominatio Deo labia mendacia. Quæ autem potest esse constans eorum felicitas, quos abominatur Deus? Prouerb. 19. Qui mendacia loquitur, non effugiet.

Prouerb. 21. Qui congregat thesauros lingua mendacij, uanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

Psal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendaciũ.

Et in Act. cap. 5. Ananias & Saphira repentina morte pereunt, quòd mentiebantur coram Apostolis de precio agri sui. Etsi autem hoc tempore mendaces non statim à mendacio subita corporis morte pereunt: Si enim hoc fieret, quis hominum superstes maneret? tamen illo exemplo declarat Deus iram suam aduersus mendacium, et significat mendaces statim mori æterna morte, etiamsi pergant adhuc aliquandiu corporali uita frui.

Sed quanta est mendacij maledictio, tanta est ueritatis benedictio. Nam sicut Deus est caritas, ut Iohannes dicit, ita & Deus est ueritas. Quemadmodum ergo is qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo, ita et is qui manet in ueritate in Deo manet, & Deus in eo. Quid autem benedictionis, quid commodi & lucri ei deesse potest, qui manet in Deo, & in quo manet Deus, etiamsi aliquandiu infœlix esse uideatur? Hæc & his similia diligenter cogitanda sunt, ut excitemur ad uitanda mendacia, & ad dicendam ueritatem.

Deinde, inuocemus Dominum Deum patrem in nomine Iesu Christi, ut ipse gubernet Spiritu sancto suo mentem & linguam nostram, ac toto cordis desiderio illud Psalmi 140. oremus: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis.

Postremo assuefaciamus nos ad pauciloquium, & expendamus uerba in corde, priusquam ea loqua-

quamur. Ecclesiasticus dicit: In ore fatuorum cor corum, & in corde sapientum, os illorum. Non igitur gestemus cor in lingua, sed linguam in corde, ut nullum uerbum, nisi probe expensum, emittamus. Nam iterum dicit Ecclesiasticus: Aurum tuum & argentum tuum ponderas, cur non & uerba tua in statera ponderas, ne labaris & cadas coram inimicis tuis, qui tibi insidiantur? Huc pertinent omnia præcepta, quæ sapientes homines de moderatione linguæ collegerunt. Quæ etsi non sunt tanti momenti (sicut nec lex ipsa Dei) ut possint hominem regenerare, & ex ueteri & carnali homine, nouum ac spiritualem facere, tamen si homo iam per Spiritum sanctum renatus fuerit, (id quod fit ex Euangelio Christi, per fidem) et ea præcepta quæ de moderatione linguæ tam in sacris, quàm in alijs scriptis aut dictis extant, diligenter considerauerit, porrigit Spiritui sancto organon, quo compescat linguam ab effutiendo mendacio, & adsuefaciat eam ad dicendam ueritatem. Eccle. 21. Eccle. 28.

NONVM ET DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non concupiscas uxorem proximi tui, non domum, non agrum &c. Deut. 5.

QVi ex primo præcepto Decalogi de non adorãdis alienis dijs, et idolis seu simulacris, faciunt duo præcepta, hi necesse habent ex nono & decimo unum præceptum facere, ut denarius numerus sibi in Decalogo constet. Qui uero primum præceptum non diuidunt, sed pro uno tantum computant, hi ex hoc postremo faciunt duo. Nos, etsi uulgatum morem sequimur, & nonum ac decimum de concupiscentia, pro duobus præceptis computamus, tamen quia unum tantum genus peccati in ipsis continetur, coniungemus etiam ea una interpretatione.

Porro, quia sententia huius legis de concupiscentia, ualde obscurata, ac pene obliterata erat Pharisaicis traditionibus, ideo Christus & Paulus illustrant eam sua explicatione, & significant ex hac pendere etiam aliarum legum sententiam. Dicit enim Christus apud Matthæum cap. 5. Quicunque aspexerit uxorem alterius, ad concupiscendam eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Et Paulus Rom. 7. Concupiscentiam non nouissem, nisi Lex dixisset: Non concupiscas. Sed occasione accepta peccatum per præceptum, genuit in me omnem concupiscentiam &c. Quare consideremus & intueamur in hanc legem diligenter, ut cognoscamus, diuinam legem exigere non solum manum, & externa opera, sed etiam omnes motus, omnes cogitatus mentis, puros, sanctos, &

ab omni uicio alienos. Id si nobis, qui sumus peccato corrupti, factu difficile, imo impossibile uidetur, sciamus tamen in sententia diuinæ legis positum esse. Accedit & hoc, quòd cognitio huius legis non solum tradita est diuina uoce in Decalogo, uerumetiam insculpta est diuinitus naturali hominum rationi. Etsi enim ratio hominis non cognoscit magnitudinem peccati concupiscentiæ, tamen docet coërcendas esse omnes cupiditates, & ab alienis abstinendas non manus tantum, uerumetiam oculos & mentes. Et Aristides interrogatus, quid esset iustum, respondit, Aliena non appetere. Et alius quispiam dixit: Quod factu turpe sit, cogitatu etiam turpe esse. Quare sentiamus Decalogum non esse nouam Legem, tum primum à Deo excogitatam & constitutam, cum Israelitæ ad radices montis Sinai starent, & audirent horrenda tonitrua, quibus Decalogus à Deo promulgabatur, sed esse explicationem & approbationem eius legis, quam Deus humanæ rationi naturaliter insculpsit, quemadmodum Paulus Rom. 2. docet. Cicer. de Oratore li. 1.

Quæ his duobus præceptis prohibeantur.

HOMO creatus est à Deo in hunc usum, ut diligat Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine sua. Et proximum sicut seipsum. Sed postquam peccatum intrauit per unum hominem

in mundum, & propagatum est malum per unius delictum, in omnes homines, ad condemnationem, non solum auersi sumus à dilectione ueri Dei, & conuersi ad impietatem & cultum alienorum deorum, uerumetiam auersi sumus à uera dilectione proximi, & conuersi ad solius sui ipsius quisq; dilectionem. Quare sicut primum præceptum in priori folio Decalogi admonet nos de auersione nostri à dilectione ueri Dei, & iubet nos ad eam reuerti: ita & hæc duo ultima præcepta in posteriori folio Decalogi admonent nos de auersione nostri à uera dilectione proximi, & iubent nos, abiecta peruersa alienarum rerum cupiditate, proximum sincera caritate complecti.

Concupiscẽtia alienarum rerũ.

Ac primum, Prohibetur desiderium & appetitus alienarum rerum, siue uxoris, siue seruorum, siue aliarum facultatum. Etsi enim diuinitus ita cõditi sumus, ut appetamus bona, iucunda, & utilia, qui affectus per se, conditione sua, non est malus, tamen postquam sumus corrupti peccato, & priuati Spiritu sancto, ut nõ diligamus proximum puro et sincero amore, non appetimus ea, quæ in ipsius rebus, nobis iucunda & utilia uidentur, suo bono, sed nostro tantum commodo, & sine ullo diuinæ uoluntatis respectu. Qui illegitimus affectus etsi carni semper inhæret, nec potest ab ea, nisi morte, auelli, tamen solet sese tam occulte in latebras animi condere, ut nullus hominum, nisi lege

Dei

Dei excitatus, & ſuis occaſionibus irritatus cognoſcat ſe natura eſſe proximi oſorem, & rerum eius raptorem. Prauum enim, inquit Propheta, eſt cor hominis, & imperſcrutabile. Et, Ab occultis meis munda me. Quare proponuntur nobis hæc duo præcepta, ut ſciamus naturam noſtram eſſe interno odio proximi deprauatam, & hanc deprauationem eſſe peccatum diuina lege prohibitum, ac æterna ira Dei, & damnatione dignum.

Deinde prohibetur Aſſenſus, qui præberi ſolet appetitioni ſeu cupiditati. Sunt enim diuerſi gradus peccati, Appetitio, & Aſſenſus. Quod enim ad illegitimam alienarum rerum appetitionem attinet, omnes homines, ſiue pij ſiue impij, ex æquo ſunt peccatores. Quod autem attinet ad Aſſenſum, magnum eſt diſcrimen piorum & impiorum. In his enim, quia caro dominatur, aſſenſus facile accedit ad appetitionem. In illis autem, quia ſpiritus dominatur carni, aſſenſus mortificatur, etiamſi appetitio pergat in carne perdurare. Cupiditatis aſſenſus.

Poſtremo, Prohibentur omnes nutus, geſtus, & aſpectus, quibus ſignificas te alienam mulierem appetere. Omnes item deliberationes, omnia conſilia, omnes ſermones, quibus conaris alienas res ad te illegitime, & damno proximi attrahere. Quare qui uel uanitate orationis laudant merces ſuas, ut eo carius ipſas extrudant, & alienam Geſtus appetitus ſeu cupiditatum.

pecuniam accipiant: uel reprehẽdunt alienas mercces,ut eo uilius emant: uel blandicijs aut pollicitis alienos ſeruos aut ancillas ad ſe, in ſuum famulatum alliciunt,hi uiolant hæc præcepta,et deſignãt peccata, æterno ſupplicio digna. Cum autem hi ſint uulgares hominum mores, ut nec quæ Chriſti, nec quæ proximi, ſed tantum quæ ſua ſunt, quærant,miramur, ne adhuc, cur Deus grauiter irascatur,& nobis bella, peſtes,rerum penuriam, & alia ſupplicia immittat? Quin potius hoc magis mirandum eſt, q̃ non iamdudum in terris politiæ & regna hominum proſtrata iaceant. Sed Viuo ego,inquit Dominus,nolo mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat.

Quæ his præceptis mandentur.

PAVCIS quidem id recenſeri poteſt,ſed ut ſcias, & re ipſa præſtes, nulla lege,nulla cohortatione, nullis minis, nullis promiſſionibus à te impetrari poteſt.

Mandatur enim breuiter, ut proximum diligas, ſicut teipſum. Et, Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, ſic & uos faciatis illis. Hæc enim non ſolum ſunt duo illa poſtrema, uerumetiam uniuerſa præcepta,quæ in poſteriori folio Decalogi continentur. Itaq; exigitur his præceptis,ut non minori cura cupias res proximi ſaluas, & incolumes, quàm tuas:nec minorem operam & ſtu-

ſtudium conferas ad conſeruandas res proximi, ſi ue amici ſiue inimici, quàm tuas. Caritas enim, quæ hic exigitur, non inuidet, non inflatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſticia, ſed congaudet ueritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Impletio duorum præceptorum de concupiſcentia.

ETSI, quemadmodum cupiditas alienarum rerum uidetur hominibus eſſe peccatum leuiſsimum, ac uix reprehenſione, nedum pœna dignum: Dicit enim ſolet, Cogitationes à uectigali liberas eſſe, ita ſentiunt multi, Deum non admodum ſeueriter impletionem horum præceptorum exigere, nec magnopere quid animo de alienis reb. cogites aut ſtatuas, curare, tantummodo ne cogitationem & inſtitutum animi externo opere perficias, tamen certiſsimum eſt, quòd illegitima alienarum rerum cupiditas ſit peccatum æterno ſupplicio dignum, & niſi hæc præcepta impleueris, mancipium fias gehennæ ignis. In iudicio quidem humano ſolent cogitationes, ut dicitur, à uectigali liberæ eſſe, in iudicio autem diuino res longe aliter ſeſe habet. Maledictus, inquit Lex, qui nõ permanet in ſermonib. legis huius, nec eos opere perficit. In ſermonibus autem Legis etiam hoc præceptum continetur, Non

Deut. 27. Gal. 3.

Rom. 7. concupiſcas rem alienam. Et Paulus dicit, Concupiſcentiam non nouiſſem, (uidelicet, in me hærere, & eſſe peccatum æterna Dei ira dignum) niſi Lex
Matth. 5. diceret, Non concupiſcas. Et Chriſtus, Quicunq; inquit, aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendum eam, iam adulterium cum ea commiſit in corde ſuo. Manifeſtum autem eſt, quòd adulteri non habeant hæreditatem cœleſtis regni. Ac paulò
Matth. 7. poſt dicit Chriſtus, quòd qui non facit hos ſermones, quos in concione de uera legis ſententia commemorauit, aßimiletur uiro fatuo, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, quam domum flatus uentorum deijciat. Quare non eſt dubium, quin in æternum pereat is, qui hæc præcepta de uitanda alienarum rerum cupiditate non uere implet.

Sed quomodo, inquies, implebimus ea, cum illegitima alienarum rerum cupiditas ita nobis inhæreat, ut non niſi cum carne noſtra intermoriatur? Sicut de alijs præceptis Decalogi diximus, ita & de his ductus ultimis ſentiendum eſt, quòd cum non poßimus ea noſtris operibus, & noſtra perfecta iuſticia implere, propoſitæ ſunt nobis duæ aliæ uiæ, quibus ad implenda ea accedamus. Vna eſt, Fides in Ieſum Chriſtum. Altera eſt, Obedientia ex fide. Nam Chriſtus filius Dei tam perfectæ fuit iuſticiæ, ut non ſolum non concupiuerit aliena, ſed etiam ſua, ad redimendos tam amicos quàm inimi-

inimicos impenderit, adeoq; animam suam pro salute proximorum suorum, sine omni uiciosa rebellione posuerit. Hæc est uera & perfecta horum Præceptorum impletio. Cum igitur credimus in Christum, & efficimur per fidem membra Christi, tunc peccatum concupiscentiæ, etiamsi inhæreat carni, tamen condonatur nobis propter Christum, & iusticia Christi, qua hæc Præcepta impleuit, ita imputatur nobis, ut ea coram iudicio Dei, non secus, quàm si nos eam nostris operibus perfeciſſemus, confidere audeamus & debeamus. Sed de hac legis impletione paulo post copiosius.

Postquam autem sumus imputatione iusti, tunc aggredienda est concupiscentia uirtute Spiritus sancti, quo per fidem donamur, ut compescamus eam, & non obediamus affectui eius, sed affectui Spiritus. Non enim ideo licet cupiditati carnis assentiri, & obsequi, quia ea condonatur nobis propter Christum, & imputatur nobis iusticia Christi per fidem, Sed potius, quia reputamur iusti propter Christum, & donamur per eum Spiritu sancto, ideo pugnandum est cum cupiditate carnis, & resistendum est affectui eius, ut uocationi Spiritus obediamus, & non minus proximum, quàm nos ipsos diligamus, nec minus ea, quæ ad proximi salutem, quàm quæ ad nostram pertinent, quæramus.

Pri-

Primum igitur cogitemus, quanto noſtro commodo ab alienis rebus mentem & oculos abſtineamus, & quanto noſtro incommodo alienis rebus immiemus, Nam ſi crediderimus in Chriſtum, & non præbeamus cupiditati alienarum rerum aſſenſum nec obediamus affectui eius, tunc manet in nobis fides, manet Chriſtus, propter quem peccatum cupiditatis, etſi adhuc in carne hæret, non tamen imputatur, ſed condonatur. Nulla, inquit Paulus, eſt con-
Rom. 8. demnatio his, qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu, qui non iuxta carnem uerſantur, ſed iuxta ſpiritum. Et mox, Si ſpiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Si autem laxauerimus cupiditati frenos, & permiſerimus ut dominetur in corpore noſtro, ac obedierimus affectui eius, ut & aſſentiamur ei, & ſuſcipiamus conſilia ad inuadendas, & compilandas res alienas, tunc & fides opprimitur, & Chriſtus eijcitur, & Satan dominatur. Itaq; fit, ut cupiditas carni inhærens, quæ ante per fidem non imputabatur, nunc iterum imputetur, & conijciat hominem in perpetuum exitium. Si ſecundum carnem, inquit Paulus, uixeritis, moriemini. Hic nunc expende mihi, quanta ſit petulantia eorum, qui cum audiunt cupiditatem alienarum rerum, tam eſſe coram Deo peccatum, quàm opus ipſum, adulterium uidelicet, aut impoſturam, aut rapinam impudenter reſpondere ſolent, Si ad hunc modum, inquiunt, res ſe habet, cur non cupiditatem opere

expleam? Video enim iam peccatum cupiditate designatum esse. Pergam igitur & opus perficere, quando intermissione eius, nihil animi culpæ peccati intelligam. Sed tu ne erres Deus non irridetur. Testatur enim lex ipsa Dei, quòd non solum externum opus adulterij, impostoræ, furti, rapinæ, homicidij, & aliarum iniquitatum, uerumetiam concupiscentia, quæ carni usq; ad mortem inhæret, sit peccatum æterno supplicio dignum. Sed hoc est discrimen inter concupiscentiam & opus eius, ut si credideris in Christum, & domineris concupiscentiæ, non imputetur tibi. Si autem permiseris, ut concupiscentia tibi dominetur, & tu seruias affectui eius, ac opus perficias, non aliud reliquum est, quàm quod abnegato & repulso Christo, propter quem antea concupiscentia condonabatur, tradas te tyrannidi Satanæ, & obijcias te æternæ damnationi. Qui committit, inquit Iohannes, peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Et Paulus: Manifesta, inquit, sunt opera carnis, Adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulacrorum cultus, ueneficium, & his similia, de quibus prædico uobis, quemadmodum prædixi, quòd qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Quare etsi, praua concupiscentia est peccatum æterna morte dignum, tamen non iuxta refert, utrum affectui eius obsequaris an non, sed resistendum est ei, ut quam habemus

Concupiscentiæ & ipsius operis discrimen.

bemus peccati condonationem, in Christo per fidem, semper conseruemus.

Deinde, consideres Deum esse omnium rerum optimum dispensatorem, sapientissimum administratorem, & potentissimum administrationis suæ tutorem. Hæc consideratio, si seria fuerit, porrigit Spiritui sancto occasionem, qua compescat in corde nostro prauas alienarum rerum appetitiones, & subijciat eas suæ dominationi. Quid enim appeteres aliena? an nescis Deum tam bonum, & tibi propter Christum filium suum, in quem credis, tam clementem & propicium, ut si cognouisset aliena tibi commoda & utilia, iam antea tibi ea tradidisset? Nunc, cum ea alteri, non tibi dederit, perspicue significauit, ea tibi, si contigissent, detrimentosa fuisse. Et, an ignoras, Deum esse tam sapientem, ut quæ ipse disposuit & ordinauit, melius & rectius disponi ac ordinari non potuerint? Non est inuestigatio, inquit Propheta, sapientiæ eius. Et: Iudicia tua, abyssus multa. Cum igitur affectas aliena, quæso te, quid aliud facis, quàm & accuses Deum stultitiæ, quippe qui existimes Deum tum demum sapienter res suas administrasse, si aliena illa, quæ tu appetis, ad te potius, quàm ad alterum contulisset? Quis autem pius ad talem cogitationem non coborresceret, & non statim alienæ rei appetitionem à se excutere, si posset, aut saltem compescere studeret? Sed nec prætereunda est con-

conſideratio potentiæ Dei. Sicut enim Deus eſt optimus et ſapientiſsimus, rerum adminiſtrator, ita eſt & omnipotens adminiſtrationis ſuæ defenſor. Si ergo libuit ei conferre in alterum bona, quæ in te non contulit, ſatis etiam potens eſt, ut ea apud alterum defendat ac tueatur, ne tibi ea contingant, etiamſi ſteterit uniuerſus à te mundus. Quid igitur uane & irrita conſilia, & conatus de alienis rebus ad te transferendis ſuſciperes?

Præterea, cum afficeris cupiditate alienarum rerum, memoria repetas ea beneficia, quæ Deus in teipſum contulit. Num exiſtimas te ijs dignum? num unquam Deo benefactori pro ijs gratias ſatis dignas retuliſti? Quod ſi non es tam impudens, ut hoc ex animo affirmare queas, quid eſt, quod cum Deo nondum pro ijs, quæ iam poſſides, ſatisfeceris, nec dum ijs ſatis iuſte & pie, iuxta uocationem Dei uſus fueris, aliena appetere audeas?

Eſt & hoc conſiderandum, quod cum Deus donauit nobis Chriſtum filium ſuum, per fidem, donauerit etiam cum eodem nobis omnia, ut Paulus ait. Itaque poſſidemus in Chriſto, primum, omnia, quæ nobis ad cœleſtem & æternam ſalutem neceſſaria ſunt: deinde omnia, quæ ad corporalem pertinent ſalutem. Quaſi pauperes, inquit Paulus, multos tamen ditantes, ut nihil habentes, & tamen omnia poſſidentes. Etſi enim non poſſi- 2. Cor. 6.

demus

In quem usum datus est nobis Decalogus?

Et iubet ipsum sic respondere.

Decalogus datus est nobis primum, Vt per ipsum agnoscamus corã Deo peccata nostra. Deinde, ut ex ipso discamus, quæ sint uere bona opera, ut ea facienda suscipiamus, & honestam uitam ducamus.

PLVRIMVM *refert, uerum & legitimum usum* Decalogi *recte cognoscere. Etsi autem supra in principio explicationis* Decalogi *quædam de usu eius dicta sunt, tamen hic locus exigit, ut paulò copiosius de usu eius dicamus. Sunt enim, qui cum audiunt* Decalogum *magna maiestate diuinitus promulgatum esse, & bona opera à nobis seuerissime exigere, sentiunt* Deum *hac promulgatione & seueritate significare, naturam nostram adhuc tam integram esse, ut possit, præsertim si adiuuetur uirtute* Spiritus sancti, *opera, quæ* Decalogus *exigit, in hac uita perfecte præstare, & meritis eorum ueram coram* Deo *iusticiam ac cœlestem fœlicitatem consequi. Ad quid enim, inquiunt, tot ac tam bona opera nobis præciperentur, si non possemus ea nostro studio & industria perficere? Alij sentiunt, nos non solum posse ea opera,*

demus omnia mundana, pro ratione huius mundi, poßidemus tamen omnia ea in Chriſto filio Dei, per fidem, qui cum ipſi omnia ſint ſubiecta, oues & boues, & uniuerſa pecora campi, teneri non potest, quin credentis in ipſum ſaluti, etiam corporali, in neceßitate ſubueniat. Nouit Dominus, inquit Pſalmus, dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Et Chriſtus, Primum, inquit, quærite regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Quod cum ita ſe habeat, quid opus eſt alienis, cum apud Chriſtum habeas repoſita, quæcunque tibi tam ad cœleſtem, quam ad terrenam ſalutem neceſſaria fuerint? Hæc & ſimilia à pijs ſerio cogitata & expenſa, haud dubie efficient, ut, autore Spiritu ſancto, cupiditati alienarum rerum frena inijciantur, & corda noſtra in officio contineantur.

Pſal. 36.

Percurrimus hactenus interpretatione noſtra ſingula præcepta Decalogi, & oſtendimus, quæ in ſingulis prohibeantur, & mandentur, & quibus modis impleantur. Sed nunc uerus & legitimus uſus Decalogi explicandus erit, ne ſi uſum ignoremus, Decalogus cedat nobis magis ad interitum, quàm ad ſalutem.

Catechiſta igitur doctur us Catechumenum de uero uſu Decalogi, interrogat eum,

In

quæ Decalogus exigit, uerumetiam multo plura, quàm mandata ſunt, præſtare, quæ uocant opera ſupererogationis. Sed hi omnes toto cœlo errant. Tametſi enim, ſi natura noſtra, ut eſt à Deo condita, ſic integra manſiſſet, nec fuiſſet peccato corrupta, potuiſſemus ea bona opera, quæ Decalogus exigit, perfecte facere, & noſtra ipſorum iuſticia hæreditatem cœleſtis regni accipere, tamen poſtquã Adam corruptus eſt peccato, & propagatur malum in omnes homines, non eſt amplius in nobis poſitum, ut Decalogum noſtris operibus perfecte impleamus, tantum abeſt, ut poßimus opera, quæ uocant ſupererogationis, addere. Non iuſtificabitur, inquit Pſalmus, in conſpectu tuo omnis uiuens. Et Paulus: Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Ac iterũ: Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Quare Decalogus non eſt in hunc uſum datus, ut ſignificet naturam noſtram adhuc integram eſſe, & poſſe legem Dei implere, ſed eſt nobis in longe alium uſum propoſitus.

Legis ciuilis uſus.

Non eſt autem nobis nunc ſermo, de tota lege Moſi, aut de Politicis legibus, quæ habent etiam ſuum politicum ſeu ciuilem uſum, uidelicet, ut his ſcelerati coërceantur, & contineantur, quoad eius in Repub. fieri poteſt, in officio externæ honeſtatis

ſtatis & tranquillitatis. De quo ciuili uſu legis Paulus 1. Timoth. 1. dicit: Iuſto lex non eſt poſita, ſed iniuſtis et inobſequentibus, impijs, & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis &c. De tali igitur lege & uſu eius, in præſentia non eſt dicendi locus, Sed loquimur de Decalogo, qui magis eſt Ethicus, quàm Politicus. Huius duplex uſus in Catechiſmo recenſetur. Prior pertinet proprie ad iuſtificandos, poſterior ad iuſtificatos. Prius igitur de priori uſu dicamus.

Decalogus, inquit Catechiſta, datus eſt, ut per eum agnoſcamus peccata noſtra coram Deo. Hic eſt ſpiritualis uſus Decalogi, et neceſſarius omnibus, qui ſunt coram Deo iuſtificandi. Non enim datus eſt Decalogus, ut ipſe per ſe nos iuſtificet. Non enim inuenit nos ad faciendam ueram & perfectam iuſticiam integros. Sed datus eſt potius, ut nobis reuelet ac patefaciat noſtram iniuſticiam. Et enim quod ad Decalogum ipſum attinet, nihil eſt in eo uicij, aut imperfectionis, ſed præſcribit, præcipit, & exigit opera tam iuſta, tam ſancta, tã perfecta, ut hominem uere coram Deo iuſtificarent, ſi ea iuxta ſententiam Decalogi perficeret. Nã quid maius, quid perfectius poteſt aut præcipi, aut Deo præſtari, quàm quod in priori folio Decalogi exigitur, uidelicet, ut diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine? Hoc enim eſt compendium prioris folij in Decalogo. Et quæ

Decalogi uſus ſpiritualis, uidelicet, oſtendere peccata.

Decalogi perfectio.

humaniora, quæ excellentiora officia possunt proximo exhiberi, quàm quæ posterius folium Decalogi præscribit, cuius compendium est, Diliges proximum sicut teipsum? Hinc est, quòd Moses, post quã promulgasset & explicuisset Decalogum, dicit: Testes inuoco hodie cœlum & terram, quòd proposuerim uobis uitam & bonum. Et Paulus, Lex, inquit, sancta est, præceptum sanctum, ac iustum & bonum. Quare si Decalogum recte intuearis, & expendas, inuenies in eo perfectam & absolutam iusticiam atq; sanctitatem.

Deut. 30.

Decalogi doctrinam non sufficere ad iusticiam.

Quod autem ad nos homines attinet, etsi Adam initio conditus est à Deo bonus, iustus, & sanctus, tamen postquam magis obsecutus est uoluntati Satanæ, quàm uoluntati Dei, non ipse tantum priuatus est Spiritu sancto, & coniectus in seruitutem peccati, uerumetiam traxit secum uniuersum humanum genus, quod tum erat in lumbis eius, & ab ipso propagandum erat, in tantam ruinam, ut nec mente sua de Deo recte sentiat, nec uoluntate sua Deo obediat. Homo enim, Spiritu sancto priuatus, & potestati Satanæ traditus, non solum auertit uoluntatem suam à Deo, sed etiam non uere cognoscit Deum. Itaq; nec diligit Deum ex toto corde, nec diligit proximum ut seipsum, sed potius odio habet Deum & proximum natura sua, ac etiamnum dubitat de Deo, præsertim considerans rerum huius mundi confusionem, & obie-

obiectus graui calamitati. Per unius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Et Genes. 8. Cogitatio humani cordis mala est ab adolescentia. Et iterum Paulus Roma. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Hæc lex in membris, est tyrannis peccati, cui homo corrupta sua natura ita subiectus est, ut & in impijs regnet, & in pijs, etiamsi non regnat, tamen perpetuo cum lege Dei, & cum Spiritu Sancto pugnet. Accedit & hoc malum, quòd mens hominis peccato ita cæcata est, ut nec magnitudinem peccati sui per se ipsa uideat, nec grauitatem iræ Dei, & uenturi supplicij propter peccatum, intelligat, sed existimet, præsertim si sano corpore, & externa fœlicitate fruitur, sanam etiam mentem esse, & posse se suis uiribus ad consequendam iusticiam, & fœlicitatem attollere. Det uitam (inquit) det opes, animum mi æquum ipse parabo. Nam quemadmodum Phrenetici eo dementiæ peruenire solent, ut cum maxime ægrotant, se tamen ægrotare negent, sed ualde se sanos esse contendant: ita & humana natura peccato tam grauiter est afflicta & corrupta, ut magnitudinem afflictionis & corruptionis suæ non amplius intelligat, sed potius contendat se esse sanam & integram. Vnde Paulus ad Ephesios scribens, Ne posthac, inquit, ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant

Mi pro mihi.

Ephe. 4.

bulant in uanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita Dei, propter ignorantiam, quæ eſt in illis, & excœcationem cordis eorum, qui poſtquam peruenerunt eo, ut dolere deſierint, dediderunt ſemetipſos laſciuiæ ad patrandum immundiciem omnem cum auiditate. Deſcribit autem Paulus nomine Gentium naturalem humani generis cœcitatem, ut ſciamus homines habere natura ſua ex peccato mentem ſic obtenebratam, ut ſua ipſorum uicia recte uidere & intelligere non queant. Etſi enim naturalis Lex accuſat & excuſat aliquo modo actiones hominum in conſcientia ipſorum, quemadmodum Paulus Roma. 2. ſcribit, tamen quemadmodum naturalis cognitio Dei in hominibus obſcurata eſt propter peccatum, ita & Lex naturalis obſcurata eſt. Quare reuelatus & promulgatus eſt Decalogus de cœlo, ut & illuſtraret naturalem legem, homini diuinitus inſculptam & tam publicum quàm priuatum teſtimonium ferret de corrupta natura humani generis, ac duceret homines in ueram peccatorum ſuorum agnitionem. Itaque tantum abeſt, ut Decalogus afferat per ſe homini iuſticiam & ſalutem, ut potius patefaciat ei ſuam iniuſticiam, & teſtificetur, eum omnis ſalutis expertem, ac perpetuæ damnationi obnoxium eſſe.

De qua re tanto diligentius obſeruanda ſunt

Apo-

Apoſtolica teſtimonia, quanto pernicioſius errant hypocritæ, qui ſentiunt, doctrinam Decalogi ſufficere ſibi ad iuſticiam, et ſe operibus Decalogi, quæ ipſi faciunt, mereri æternam ſalutem.

Roman. 3. dicit Paulus: Ex operibus legis (uidelicet Decalogi, qui eſt fons omnium Legum) non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis caro. Per legem enim agnitio peccati. Non dicit, Per legem eſt iuſticia. Sed potius contrarium, Ex operibus legis nemo coram Deo iuſtificatur, quia per legem non eſt operatio ueræ iuſticiæ in homine, ſed eſt agnitio peccati. Nam quemadmodum homo non uidet corporales ſordes, quæ ſub oculis in maxilla ſua inhærent, niſi proponat ſibi ſpeculum, cuius obiectu faciem ſuam contempletur: Ita nec uidet ſpirituales ſuas ſordes, quæ natura menti ſuæ inhærent, niſi obijciatur ei ſpeculum Decalogi, ex quo cognoſcat, quantum ſit peccato turpificatus. Et ſicut ſpeculum non detergit ſordes faciei, nec reddit faciem puriorem, ſed potius, quo plus in ſpeculum intueris, eo manifeſtiores fiunt tibi ſordes: Ita Decalogus non expurgat peccatum, nec efficit in homine iuſticiam, ſed quo diligentius ſententiam Decalogi expenderis, eò manifeſtior redditur tibi naturæ tuæ corruptio, & iniuſticia.

Roman. 4. Lex iram operatur. Siquidem ubi non eſt Lex, ibi nec tranſgreſsio eſt. (hoc

est) Decalogus accusat omnes homines transgressionis. Ex quo non solum cognoscitur ira Dei, propter transgressionem, & grauitas supplicij, quod transgressioni debetur. (Solet enim & supplicium seu pœna dici ira, ut Rom.13. Oportet subditos esse propter iram, hoc est, pœnam) uerumetiam excitatur in animo hominis ira seu indignatio, aduersus Deum & legem eius, quod tantum supplicium, propter transgressionem expectandum & subeundum sit. Si autem Decalogus efficeret in homine iusticiam, tunc non ostenderet iram Dei, sed potius fauorem eius: nec denunciaret pœnam, sed potius mercedem fœlicitatis: nec operaretur aut excitaret in homine iram erga Deum & Legem, sed potius beneuolentiam & fauorem.

Decalogus peccatum reddit illustrius.

Rom.7. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Et mox: Peccatum, occasione accepta per præceptum, genuit in me omnem concupiscentiam. Ac iterum: Peccatum, occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Et rursus: Peccatum factum est magis peccans, hoc est, illustrius, per præceptum. Hic docet Paulus diserte, quòd Decalogus non solum nō auferat peccatum, & afferat iusticiam, sed etiam reddat peccatum illustrius & manifestius, idq; non suo ipsius uicio, quippe q̃ præcipiat opera sanctißima, quemadmodum supra ostendimus, sed uicio peccati, quod homini

mini inhæret. Si enim peccatum non esset in homine, Decalogus non patefaceret illud, sed potius ferret de iustitia testimonium. Nã sicut in calce nondum extincta latet calor ignis tantisper, dum calx aqua perfunditur. Aqua autem infusa, nõ quidem nouus calor infertur calci, sed qui ante latebat, per aquam excitatur, & erumpit, Ita peccatum tantisper in homine latet, dum non obijcitur ei Decalogus. Postquam autem Decalogus fuerit reuelatus & obiectus, non inijcitur nouum peccatum in hominem, sed uetus peccatũ, quod hactenus latuit, ita patefit, ut quo propius admoueas Decalogum, eo fœdius & horribilius appareat. *Calcis & aquæ similitudo.*

1. Cor. 15. Aculeus mortis peccatum, potentia uero peccati Lex. Si Lex (hoc est Decalogus) est potentia peccati, non certe erit potentia iustitiæ.

2. Cor. 3. Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Per literam autem intelligit Decalogum (sicut ipse interpretatur) inscriptum in tabulis lapideis. Si ergo Decalogus in hunc usum datus esset, ut homo peccato corruptus posset meritis operum eius, peccatum expiare, & perfectam iusticiam facere, tunc non occideret hominem, sed uiuificaret eum. Cum autem patefaciat peccatum, sicut Apostolica doctrina, & ipsa rerum experientia testificantur, perspicuum est, quòd occidat, hoc est, iudicet hominem dignum esse, propter peccatum, æterna

morte et damnatione, tantum abest, ut efficiat per se in homine iusticiam & salutem.

Quid igitur dicemus? Si ad istum modum habet Decalogus cum homine, nunquid præstaret eũ nunquam promulgatum? Nihil minus. Promulgatio enim & doctrina eius omnino nobis ad ueram iusticiam & salutem necessaria est. Etsi enim non efficit per se iusticiam & salutem, sed tantum ostendit nobis iniusticiam, mortem et damnationem nostram, tamen ostendit hæc, non ad hunc finem, ut detineat nos perpetuo in peccato, morte & damnatione, sed ut urgeat nos ad quærẽdam alibi ueram iusticiam, uitam & salutem, & ut amandet nos à se ad Iesum Christum filium Dei, in quo & iusticiam, et uitam et omnia cœlestia bona per fidem assequamur. Hic est uerus usus, hic est uerus finis Decalogi, uidelicet, ut agnito peccato, & damnatione nostra per Decalogum, quæramus in Christo filio Dei remissionem peccati, & liberationem ex omnibus malis. Nisi enim grauitas peccati, & maledictionis, quam propter peccatum meriti sumus, cognita nobis fuerit, non tenemur aliquo desiderio cognoscendi Christi, et credendi in eum. Doctrina igitur Decalogi necessaria est, ut ex eo ducamur in agnitionem peccati, & sic ad quærendum Christum excitemur.

Decalogi promulgatio ad salutem necessaria.

Ezech. 18. & 33. Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur & ui-

& uiuat. Mors autem denunciatur Decalogo, & infertur supplicijs. Iurat igitur Deus, se denunciatione & illatione mortis non hoc uelle, ut peccator pereat, sed ut excitetur ad conuersionem, & conuertat se per fidem ad Christum filium suum, in quo solo habemus condonationem peccati, & liberationem à morte.

Oseæ 11. Quomodo dabo te Ephraim? Quomodo tradam te Israel? An non ponerem te sicut Adamam? & constituerem te sicut Seboim? Sed conuersum est in me cor meum, accensa est in me clementia mea, non faciam furorem iræ meæ, non cõuertar ut disperdam Ephraim, quando Deus ego sum et non homo, In medio tui sanctus. Prior pars huius concionis est accusatio peccati, & significatio iræ Dei propter peccatum, quæ sunt officium Decalogi. Posterior autem pars est explicatio accusationis & iræ Dei, uidelicet, quod Deus non id circo accuset & irascatur Ecclesiæ suæ, quòd cupiat ipsam perdere, sed potius quòd cupiat ipsam clementer seruare, uidelicet, ut excitata per accusationem peccati, & iram Dei, agat pœnitentiam, agnoscat peccatum, et quærat remissionem peccati ac ueram iusticiam in Christo filio Dei per fidem. Vnde & sequitur statim in eadem concione, Post Dominum (uidelicet Christum) ambulabunt, quasi leo rugiet &c.

Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub incredulitatem,

litatem, (id quod oſtenditur per Decalogum) Sed in quem finem? Num ut homines maneant, & pereant in incredulitate? Nihil minus, ſed additur: VT OMNIVM MISERERETVR. In hunc enim uſum reuelatur Decalogo incredulitas noſtra, non ut pereamus, ſed ut cognoſcamus nos gratuita tantum miſericordia propter Chriſtum, non meritis noſtræ ipſorum iuſticiæ ſeruari.

Galat. 3. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſſio ex fide IESV Chriſti daretr credentibus. Et mox, Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide iuſtificaremur. Hic manifeſte uides, quòd Decalogus concludat nos ſub peccatum, & mortem, non ut in peccato & morte pereamus, ſed ut ad Ieſum Chriſtum deducamur, & accipiamus per fidem ex ipſo iuſticiam & uitam.

Huc facit, quòd Moſes Deut. 18. ſcribit, Iſraelitas territos horribili uoce Dei in promulgatione Decalogi, petiſſe, ut deinceps non loquatur cum ipſis Deus ſua ipſe uoce, Vltra non audiam, inquiunt, uocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius nõ uidebo, ne moriar, Dominum autem promiſiſſe eis Prophetam, qui eſt Ieſus Chriſtus, quem audire debeant. Quo Iſraelitarum, Moſi & Dei colloquio perſpicue ſignificatur, quòd Decalogus, ira, ſeueritate, et maledictione ſua, non

eo

eo respiciat, ut detineat homines in maledictione, Sed ut excitet eos ad quærendam benedictionem in Christo, quam non possunt, præ peccato suo, in Decalogi operibus consequi. Quare cum Decalogus recitatur, non sentiamus nobis proponi talia præcepta, quæ possimus operibus nostris implere, & meritis horum operum ueram iustitiam ac salutem reportare, Sed potius proponi nobis catalogum, elenchum seu registrum peccatorum nostrorum, propter quæ obnoxij simus iræ Dei, & æternæ morti ac damnationi. Et tamen non in hoc proponi, ut maneamus in ira Dei & in morte, sed ut accedamus per fidē in Iesum Christum, filium Dei, propter quem Deus non solum fit nobis propicius, sed etiam donat nos eius iustitia, & seruat nos in morte, ut uita in æternum fœlici fruamur.

Habes priorem usum Decalogi, uidelicet, quòd ipse per se non iustificet hominem suis operibus, Sed iustificandis ostendat peccata, ut horum magnitudine et grauitate territi, cōferant se ad Christum filium Dei, cui omnes Prophetæ, ut Petrus ait, testimonium ferunt, q̄ peccatorum remissionem accipiat per nomen eius, quisquis in eum crediderit, & q̄ per hunc, ut Paulus dicit, omnis qui credit in eum, iustificetur. Act. 10. Act. 13.

Accedamus & ad alterum Decalogi usum, qui in Catechismo proponitur, uidelicet, quod Decalo=

calogus datus sit, ut ex ipso discamus, quæ sint uere bona opera, ut ea suscipiamus facienda, & honestam ducamus uitam. Hic usus proprie pertinet ad eos, qui iam agnito peccato, reputantur coram Deo iusti, propter Christum per fidem. Et tamen ita ad iustificatos pertinet, ut nec prior suum in ipsis, quoad in hoc mortali corpore uitam egerint officium intermittat. Etsi enim iustificatis per fidem nulla est condemnatio, quemadmodum Paulus ait, tamen adhuc multum est eis peccati, quod & perpetuo in hac uita, per Decalogum ita agnoscendum est, ut semper confiteamur quod est in Psalmo: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et illud in oratione Dominica: Remitte nobis debita nostra.

Decalogi usus ad iustificatos pertinens.

Rom. 8.

Huic igitur priori usui Decalogi accedit posterior, qui magis ad iustificatos, quam iustificandos referri solet, propterea q, ex his qui nondum sunt per fidem iustificati, magis hypocritas faciat quàm ueram in ipsis pietatem testificetur.

Est autem hic posterior Decalogi usus cognitu & consideratu ualde necessarius. Etsi enim pij ac renati in Christo, acceperunt Spiritum sanctũ, qui illustrat mentem uera cognitione diuinæ uoluntatis, tamen sicut ex corruptione naturæ habent adhuc peccatum in carne sua, ita eò etiam propen-

propendent,ut cupiant Deo magis ſeruire his operibus,quæ ipſi excogitãt,et ſibi præſcribunt,quàm quæ Deus uerbo ſuo præſcribit,& mandat. Itaq; fieri ſolet, ut niſi maxima omnium diligentia in uerbum Dei reſpiciant,& ad regulam eius uitam ſuam inſtituant, delabantur ad ea opera facienda,& Deo, pro uero cultu obtrudenda, quæ ſunt ab hominibus excogitata, & habent aliquam ſapientiæ ac pietatis ſpeciem,ea autẽ,quæ Deus præcepit,et ſeueriter exigit,aut frigidiſſime faciunt, aut prorſus negligunt. De qua re Chriſtus ipſe ex Eſaia concionatur: Hypocritæ, inquiens, recte de uobis prædixit Eſaias,dicens: Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labijs me honorat, cæterũ cor eorum procul abeſt à me. Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et Paulus,ea opera,quæ ad cultum Dei,iuxta præcepta et doctrinas hominum ſuſcipiuntur,uocat ἐθελοθρησκείαν, hoc eſt, cultum humana uoluntate et ſuperſtitione excogitatum. Quem cultum ſignificat habere quidem uerbo tenus ſpeciẽ ſapientiæ, ſed eſſe inutilem & Deo ingratum. Quare promulgatur & proponitur nobis Decalogus de cœlo, ut ſciamus quæ opera Deo uere placeant, & quibus Deus coli uelit. Deus enim patefecit Decalogo uoluntatẽ ſuam, ut cognoſcamus, nos tunc in uera uocatione et obedientia uerbi Dei uerſari, cum in faciendis operibus,quæ Decalogus exigit,

Colo. 2.

Opera quæ placeant Deo.

uerſamur

uersamur. Nam q. in cultu Deo præstando non permittat nobis Spiritus sanctus, ut nostram humanã prudentiam, aut aliena exempla sectemur, sed alliget nos ad certum uerbum Dei, manifesta sunt testimonia scripturæ.

Deut. 12. Non facietis singuli, quod sibi rectum uidetur.

Et iterum eodem loco: Caue ne imiteris gentes, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam eos. Non facies similiter Domino Deo tuo.

Ac mox: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino Deo tuo, nec addas quicquam, nec minuas.

Iosuæ 23. Confortamini & estote solliciti ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in uolumine Legis Mosi, et: Non declinetis ab eis, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram.

Esaiæ 8. Nunquid non populus à Deo suo requiret uisionem? Pro uiuis ne, ad mortuos? Ad legem magis & ad testimonium.

Esai. 29. Eo quod hic populus appropinquat ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me. Et timent me mandato hominũ & doctrinis, peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Hic Ecclesia Dei non solum alligatur ad uerbum Domini, & abducitur ab humanis traditionibus in

præ-

præstando cultu Dei, uerumetiam denunciatur ei graue supplicium, nisi abiectis humanis doctrinis, sectetur regulam uerbi Dei.

Vnde & Prophetæ in docendo uero cultu Dei, et in describendis officijs, quæ Deo grata sunt, tanta seueritate exigunt opera Decalogi, ut præ ijs reijciant non solum sacra hominum traditionibus instituta, uerumetiam cæremonias diuinitus ordinatas. Etsi enim & hæ institutæ atque commendatæ erant uerbo Dei, non tamen in hoc erant commendatæ, ut ipsæ per se essent cultus Dei, sed ut docerent eum cultum, quem Decalogus exigit, hoc est, dilectionem Dei & proximi, seu fidem & caritatem. Quare cum abusu & impietate hypocritarum, transferrentur magis ad obscurãdum, quàm ad illustrandum cultum Dei in Decalogo traditum, merito reijciuntur & damnantur. 1. Reg. 15. Nunquid uult Dominus holocausta & uictimas, et non potius ut obediatur uoci Domini? Melior est enim obedientia, quàm uictimæ.

Cærimoniæ diuinitus ordinatæ quare à Prophetis reijciãtur.

Esaiæ. cap. 1. Quo mihi multitudo uictimarum uestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem uitulorum & agnorum & hircorum nolui. Habes reiectionem cultus in cærimonijs. Audi nũc exactionem eius cultus, qui in Decalogo præscribitur. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudica-

te pupillo, defendite uiduam. Hoc enim est, quod Decalogus exigit, præsertim in posteriori tabulæ folio, uidelicet, ut diligas proximum sicut teipsum.

Hieremi. 7. Non sum locutus cum patribus uestris, et non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de uerbo holocautomatum &c.

Oseæ. 6. Misericordiam (hoc est, beneficentiam erga proximum, quæ in Decalogo exigitur) uolo, & non sacrificium &c.

Mich. 6. Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso. Nunquid offeram ei holocautomata, & uitulos anniculos? Et mox: Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicite ambulare cum Deo tuo.

Et Christus ipse Matth. 5. dicit: Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque hic munus tuum coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo &c. Vides hic caritatem proximi, qui est cultus Dei in Decalogo præscriptus, manifeste præferri nõ solum operibus humana superstitione susceptis, uerumetiam cærimonijs aut oblationibus diuinitus præscriptis.

Et Paulus, postquam in Epistolis suis docuit ueram fidem in Christum, & iusticiam fidei, solet addere

dere doctrinam de operibus. Exigit autem ea opera, non quæ superstitio excogitat, sed quæ Decalogus mandat. Ad Rom. 13. dicit, Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa, Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Et ad Gal. 5. Ne detis libertatem in occasionem carni, sed per caritatem seruite uobis inuicem. Nã tota lex (uidelicet posterioris folij in Decalogo) in uno uerbo cõpletur, nempe hoc, Diliges proximum tuum ut teipsum.

Et 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, Caritatem autem (quam præcepta Decalogi præscribunt) non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens &c. Et Ephe. 4. Renouemini spiritu mentis uestræ, & induatis nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iustitiam & sanctitatem ueritatis. Quapropter depositio mendacio, loquimini ueritatem quisq; proximo suo &c. Et mox: Omnis amarulentia & tumor & ira, & uociferatio & maledicentia tollatur à uobis, cum omni malicia. Ostendimus autem supra, quòd hæc peccata prohibeãtur in decalogo, et uicißim exigantur uirtutes, quæ in Paulo sequãtur. Dicit enim: Sitis inuicem alius in alium co-

mes, misericordes, largientes uobis inuicem &c. Quare cum deliberamus de præstandis Deo ueris cultibus, & de faciendis uere bonis operibus, adhibendus est in cõsilium Decalogus, qui est uox Dei, ut cognoscamus, quibus officijs Deo seruire, & obedientiam, fidem atq; gratitudinem nostram testificari debeamus.

Possumus ne operibus nostris Decalogo perfecte satisfacere?

ETSI exposuimus quædam de impletione Decalogi in singulis præceptis, tamen uisum est Catechumenum de eadem re iterum admonere, ne falsa persuasione de operum nostrorum iusticia deceptus, beneficium Christi non admodum requirat. Quanto enim certiorem habemus noticiam de imbecillitate nostræ iusticiæ, tanto illustrius & desiderabilius redditur beneficium Christi. Et ea est humani ingenij infirmitas, ut paruo momento ab uera fiducia in Christum, ad fiduciam in humana sua opera impellatur. Quod cum sit crimen læsæ maiestatis filij Dei, & horribilis idolatria, omne studium nostrum in hoc collocandum est, ut Ecclesia, ab ineunte ætate, de Decalogo & impletione eius recte erudiatur, & ueram operum nostrorum noticiam consequatur. Proponit igitur Catechista discendum Catechumeno, An possimus ijs bonis operibus,

ribus, quæ nos facimus, Decalogum perfecte implere, & ei integre satisfacere.

Iubet autem eum respondere, Nos id non posse. Et addit rationem:

Quia bona nostra opera (inquit) non sunt integre & perfecte bona, idque propter peccatum, in quo concepti sumus & nati.

CONFERAMVS igitur inter se Decalogum, & opera nostra, ut perspicue cognoscamus, quòd non possimus operibus nostris Decalogo perfecte satisfacere. Nam Decalogus, quemadmodum supra demonstrauimus, non exigit tantum externa bona opera, sed exigit omnia in homine pura, sancta, integra & perfecta. Non tantum uult, ut Deum uerbis celebres, & gestu corporis adores, sed uult, ut diligas Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Hæc enim sunt uerba Legis, quibus exigitur, ut non solum non facias, nec loquaris impia aduersus Deum, sed etiam, non dubites de ipso, nec diffidas ipsi, nec irascaris contra ipsum, ac ne quidem aliquid impij aut iniqui aduersus ipsum cogites. Nec uult tantum, ut diligas proximum amicum, sed uult, ut diligas proximum tam inimicum, quàm amicum, idq; non uerbis tantum, sed sicut teipsum, opere & ueritate. Itaque Decalogus non iudicat sibi satisfa-

Decalogi & operum nostrorum collatio.

mes, misericordes, largientes uobis inuicem &c. Quare cum deliberamus de præstandis Deo ueris cultibus, & de faciendis uere bonis operibus, adhibendus est in cõsilium Decalogus, qui est uox Dei, ut cognoscamus, quibus officijs Deo seruire, & obedientiam, fidem atq; gratitudinem nostram testificari debeamus.

Possumus ne operibus nostris Decalogo perfecte satisfacere?

ETSI exposuimus quædam de impletione Decalogi in singulis præceptis, tamen uisum est Catechumenum de eadem re iterum admonere, ne falsa persuasione de operum nostrorum iusticia deceptus, beneficium Christi non admodum requirat. Quanto enim certiorem habemus noticiam de imbecillitate nostræ iusticiæ, tanto illustrius & desiderabilius redditur beneficium Christi. Et ea est humani ingenij infirmitas, ut paruo momento ab uera fiducia in Christum, ad fiduciam in humana sua opera impellatur. Quod cum sit crimen læsæ maiestatis filij Dei, & horribilis idolatria, omne studium nostrum in hoc collocandum est, ut Ecclesia, ab ineunte ætate, de Decalogo & impletione eius recte erudiatur, & ueram operum nostrorum noticiam consequatur. Proponit igitur Catechista discendum Catechumeno, An possimus ijs bonis operibus,

ribus, quæ nos facimus, Decalogum perfecte implere, & ei integre satisfacere.

Iubet autem eum respondere, Nos id non posse. Et addit rationem:

Quia bona nostra opera (inquit) non sunt integre & perfecte bona, idque propter peccatum, in quo concepti sumus & nati.

CONFERAMVS igitur inter se Decalogum, & opera nostra, ut perspicue cognoscamus, quòd non possimus operibus nostris Decalogo perfecte satisfacere. Nam Decalogus, quemadmodum supra demonstrauimus, non exigit tantum externa bona opera, sed exigit omnia in homine pura, sancta, integra & perfecta. Non tantum uult, ut Deum uerbis celebres, & gestu corporis adores, sed uult, ut diligas Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua. Hæc enim sunt uerba Legis, quibus exigitur, ut non solum non facias, nec loquaris impia aduersus Deum, sed etiam, non dubites de ipso, nec diffidas ipsi, nec irascaris contra ipsum, ac ne quidem aliquid impij aut iniqui aduersus ipsum cogites. Nec uult tantum, ut diligas proximum amicum, sed uult, ut diligas proximum tam inimicum, quàm amicum, idq; non uerbis tantum, sed sicut teipsum, opere & ueritate. Itaque Decalogus non iudicat sibi satisfa-

Decalogi & operum nostrorum collatio.

ctum, cum agis coram hominibus uitam irreprehenſibilem, & expendis aliquoties pauperi eleemoſynam unius aut alterius numi. Sed cum in mente hominis nulla fuerit falſa de Deo ſententia, in uoluntate nulla rebellio, aut repugnantia, in uerbis aut factis nulla prorſus impietas, aut inobedientia. Finis præcepti, inquit Paulus, eſt Caritas ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ſimulata. 1. Tim. 1.

Hominis cõditio poſt lapſum.

Quod cum ita ſe habeat Decalogus, uideamus nunc de homine, de peccato, & de bonis operibus hominis. Homo enim, etſi initio creationis ſuæ ornatus fuit Spiritu ſancto, tã in mente, quàm in uoluntate ſua, tamen poſtquam fuit uerbo Dei inobediens, amiſit Spiritum ſanctũ, & propagauit hanc amiſſionem & iacturam in omnes poſteros ſuos, ut nec mens recte de Deo ſentiat, nec uoluntas perfecte Deo obediat. Vbi enim non eſt Spiritus ſanctus, quæ poteſt ibi eſſe uere ſancta de Deo cogitatio & obedientia? Hoc autem uicium, ſeu peccatum, quod uocant, Originale, homini natura poſt lapſum ita inhæret, ut donec in hoc ſeculo uixerit, à carne eius euelli, & penitus eradicari non queat. Tametſi enim pij homines renaſcuntur in Chriſto, & recipiunt iterum Spiritum ſanctum, non tamen ita eum recipiunt, ut mutetur caro in ſpiritum, ſed ut ſpiritus aduerſus carnem pugnet. Sic enim Paulus Romanis ſcribens, Affectus (inquit) carnis inimicitiã Rom. 8.

micitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Cum igitur homo semper secum gestet carnem, & in carne peccatum originale, fieri non potest, ut bona opera, quæ facit, sint perfecte bona, & satisfaciant Decalogo. Quod ut recte intelligamus, dicemus ordine, primum quidem de operibus impiorum, deinde de operibus piorum.

Opera impiorum non satisfaciũt legi.

Nam quod ad impiorum opera attinet, manifestum est, quod non perfecte satisfaciant Decalogo. Quæ enim opera faciunt impij, etsi habent aliquam speciem honestatis, tamen quia pleni sunt impietate, nec renati in Christo, non faciunt ea ex fide in Iesum Christum. Omne autem, quod non est ex fide, inquit Paulus, peccatum est. Et: Sine fide impossibile est Deo placere. Et in Psalmo: Oratio eius fiet in peccatum. Et Esaias: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Quare bona opera impiorum, quantumuis honesta uideantur, non sunt uera & perfecta impletio Decalogi.

Rom. 14. Hebræ 11. Psalm. 108.

Opera piorũ quomodo placeãt Deo.

Sed nec piorum opera satisfaciunt Decalogo. Tametsi enim pij habent Spiritum sanctum, et opera eorum placẽt Deo, tamen opera non ideo ei placent, quòd sint impletio Decalogi, sed quòd pij placeant ipsi propter Christum, in quem credunt. Nã

opera eorum ſunt quidem opera Spiritus ſancti, ſed quia adhuc inhæret eis peccatum originale, cõ donatum quidem propter Chriſtum per fidem, pugnans autem cum ſpiritu, non ſunt tam perfecta, tam integra, tam abſoluta, ut per ſe ſatisfaciant Decalogo.

Rom. 7. Scimus, quòd Lex eſt ſpiritualis, at ego carnalis ſum uẽditus ſub peccatum. Hic perſpicue docet Paulus, quòd etſi homo renatus eſt ex Spiritu ſancto, tamen quia manet carne ſeruus peccati, non poßit Decalogo, qui uere ſpiritualem & perfectam obedientiam exigit, ſatisfacere.

Et iterum: Reperio per legem uolenti mihi facere bonum, quod malum mihi adiunctum ſit. Delectat enim me Lex Dei ſecundum internum hominem, ſed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis. Non eſt dubium, quin Paulus loquatur hic, non de impiorum aut impœnitentium, ſed de piorum & Sanctorum conditione. Impij enim cum careant Spiritu ſancto, non habent intra ſe pugnam carnis & Spiritus, ſed ſunt toti captiui carnis & peccati. Piorum autem conditio eſt, quòd una cum bono habeant etiam malum adiunctum, & Spiritus pugnet in eis cum carne. Deinde Paulus non loquitur de diuerſis Sanctorum operibus, ut cum Dauid aliàs pepercit capitali hoſti Sauli, aliàs deſignauit

gnauit adulterium et homicidium: Inter hæc enim opera manifestum est discrimen, sed loquitur de uno & eodem opere, eoq; bono, & cum lege Dei congruenti. In hoc bono opere, adiunctum mihi est, inquit, malum. Sancti enim cum faciunt bonum opus iuxta præceptum Dei, optant & precantur spiritu, quem ex Euangelio Christi acceperunt, ut faciant opus illud perfecte secundum sententiam Dei & Legis eius. Delectat enim eos tam absoluta iusticia, sicut est lege Dei præscripta, uidelicet, ut diligerent Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsos, Sed sentiunt se gestare intra se aliam legem, aliam doctrinam, alium præceptorem, uidelicet, peccatum originale, qui præceptor exigit, ut cum bonum opus facis, non facias toto corde, & injicit tristiciam animi, ac excitat rebellionem cordis, ut malles aliud & plane diuersum præceptum esse, quàm Lex Dei exigit. Vide mihi Pauli ipsius exemplum. Paulus adnunciauit Euangelium Christi, & quanquam in hac functione obijceretur sæpe ac multum extremis periculis, in ciuitate, in deserto, ex genere, ex Gentibus, in mari, inter falsos fratres, quemadmodum ad Corinthios scribit, tamen non abiecit uocationem suam, sed perrexit recta, per tela, per ignes, uocationi Christi obedire. Quid igitur dicemus? Quid aliud diceremus, quàm quod ipse confitetur? Reperio, inquiens, per Legem uolenti mihi facere bonum, 2. Cor. 11.

quòd mihi malum adiunctum sit. Optarim quidem ut in hac obedientia quam præsto uocationi Christi, nulla essẽt prorsum carnis meæ repugnantia, etiamsi fractus illaberetur orbis. Sed cum incidunt graues afflictiones, uarie afficior, & sentio malum mihi adiunctum esse, ac me carni seruire legi peccati. Itaque nihil quidem mihi, quod ad conficiendam uocationem meam attinet, conscius sum, sed quia reipsa comperio intra me carnis rebellionem, sollicitantem me uel ad dubitationem de præsenti auxilio Dei, uel saltem ad animi tristiciam, non sum in hoc meo opere iustificatus, & non impleo legem Dei perfecte.

Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Vides in hominibus pijs perpetuam esse pugnam carnis & spiritus, in qua pugna, etsi spiritus uincit carnem, et ducit eam captiuam ad obediendum Christo, tamen quia caro retinet adhuc affectus suos, quibus resistit legi Dei, in causa est, cur piorum etiam opera Decalogo non perfecte satisfaciant. Vnde & Rom. cap. 8. dicit, Legem esse imbecillem per carnem, hoc est, quia carni inhæret peccatum originale, ideo efficit, ut homo, quamuis spiritu renatus, non impleat legem Dei perfecte. Hinc sunt & illa in Psalmis: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur

tur in conſpectu tuo omnis uiuens. Et: Peccatum meum coram me eſt ſemper. Tibi ſolum pecco, & malum coram te facio, hoc eſt, In quouis etiam bono opere, ſentio mihi adhærere peccatum, ut quicquid coram te ago, ſemper peccem, & malum faciam. Itaq; ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Etſi enim opera hominis pij, exempli gratia, Inuocatio nominis Dei, condonatio iniuriæ à proximo illatæ, Eleemoſyna, & id genus alia, non ſunt peccata, quæ ſint lege Dei prohibita, quale eſt adulterium, aut homicidium, ſed ſunt bona opera lege Dei mandata, tamen quia nõ ſunt propter adiunctum peccatum, integre bona, affirmat Dauid ſe coram Deo, non niſi peccare & malum facere. Quare cum Decalogus exigat perfectam dilectionem Dei & proximi, homo autem corruptus ſit peccato originali, quod etſi pijs condonatur propter Chriſtum per fidem, tamen ſemper manet in carne, quoad uitam in terris corporalem agimus, manifeſtum eſt, quòd ut nec impij, ita nec pij poſſint operibus ſuis Decalogo perfecte ſatisfacere, & legem Dei integre implere.

Quid igitur dicemus? Cum non poſſumus Decalogo noſtris operibus perfecte ſatisfacere, an nõ reliqua eſt alia uia, qua Decalogo ſatisfaciamus? Niſi enim ei ſatisfecerimus, ſalui eſſe non poſſumus. Maledictus, inquit Moſes, qui non permanet in ſer- Deut. 27. Gala. 3.

in ſermonibus Legis huius, nec eos opere perficit. De hac igitur uia admonetur Catechumenus, cum in Catechiſmo additur:

Sed Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, donauit nobis Filium ſuum Ieſum Chriſtum, qui nullum peccatum fecit, & qui Decalogo perfecte ſatisfecit. Cum igitur in hunc Ieſum Chriſtum credimus, imputat nobis Deus iuſticiam eius, & iudicat de nobis propter ipſum tam clementer & miſericorditer, perinde ac ſi nos noſtris operibus Decalogo ſatisfeciſſemus.

Decalogi impletio et iuſtificatio corã Deo.

HÆC eſt memorabilis appendix, quam ſciamus continere præcipuum ſtatum totius Religionis ac ſalutis noſtræ. Docet enim, quo modo Decalogum impleamus, & coram Deo iuſtificemur. Quod cum aſſequimur, nihil aliud reliquum eſt, quod nobis ad conſequendam ueram & æternam ſalutem deſit.

Chriſtus ſine peccato.

Primum ergo dicitur, quòd Ieſus Chriſtus filius Dei nullum peccatum fecerit, ſed Decalogum perfecte impleuerit. Hoc Spiritus ſanctus ſignificauit de Chriſto longe antequam hominem aſſumeret, Benedicentur, inquiens, in ſemine tuo, (qui eſt Chriſtus) omnes gentes. Si Chriſtus tam benedictus

dictus est, ut propter ipsum benedicantur alij, qui credunt in ipsum, necesse est, quòd ipse sit absque omni peccato, ne quicquam maledictionis in ipso hæreat. Hoc idem & de Christo significatum est, cum Israelitis mandatur ut de grege agnum absq; macula, seu integrum, in uictimam Paschæ accipiant. Hoc idem de Christo concionatus est Esaias capite 53. Iniquitatem, inquiens, non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Hoc idem Epistola ad Hebræos de ipso concionatur, cum ait, eum per omnia tentatum iuxta similitudinem, absque peccato. Quid pluribus opus? Cum Pater ipse è cœlo de Christo filio suo, clamat: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benecomplacitum est, manifeste significat, eum nullum prorsus peccatum habere, sed esse ex omni parte iustum & sanctum.

Deinde dicitur, quòd Deus nobis hunc Christum filium suum ita donauerit, ut imputet omnibus, qui in ipsum credunt, iusticiam eius, & iudicet de his, propter ipsum tam clementer, perinde ac si suis ipsorum operibus Decalogum perfecte impleuissent. Hoc autem non uerbis tantum recensendum est, sed etiam certis sacræ Scripturæ testimonijs confirmandum, ut uere cognoscamus, qua iusticia coram tribunali Dei confidere, & æternã salutem consequi possimus. Christi iusticia in ipsum credentium iusticia.

Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates

tes, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputat Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Si remissio iniquitatum, & non imputatio peccati est beatitudo, erit certe & iustitia. Beatitudinis enim pars est iusticia. Cum igitur remissio iniquitatum non contingat nisi propter Christum, his qui credunt in eum. Dicit enim
Act. 10. Petrus: Huic omnes Prophetæ testimonium ferũt, quòd remissionem peccatorum accipiat per Nomen eius, quisquis credit in eum, manifestum est, quòd & propter Christum imputetur his, qui credunt in ipsum, iusticia.

Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Si Deus dat credentibus in Christum, æternam uitam, propter Christum, perspicuum est, quòd imputet eis iusticiam Christi, qua ipse æternam uitam meritus est.

Rom. 8. Quod Lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio Filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Memorabile dictum, quo manifeste docetur, nos tantum iusticiæ possidere in Christo per fidem, quantum Decalogus exigit. Cum enim, inquit, non possumus Legem seu Decalogum implere

plere uicio carnis nostræ, quæ est peccato obruta, misit Deus Filium suum, ut susceptа carne, fieret victima pro peccato, & efficeret, ut quam iustificationem Decalogus requirit, ea credentibus in ipsum imputaretur, atq; ita impleretur in eis iustificatio Decalogi, per fidem propter Christum, non minus quàm si Decalogum suis operibus impleuissent.

Rom. 8. Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Ergo donat etiam nobis cum ipso iusticiam eius, qua coram Deo reputemur iusti.

Rom. 10. Perfectio legis, Christus, ad iustificationem omni credenti. Breuissima sententia, sed quæ complectitur uniuersam Euangelij de Christo doctrinam, & proponit nobis quantum thesaurum cœlestem in Christo consequamur per fidem. Quod enim dicit, hunc sensum habet, Qui accipit Christum per fidem, is accipit in Christo totum illud, quod Decalogus exigit. Decalogus autem exigit perfectam dilectionem Dei, exigit perfectam dilectionem proximi, exigit perfectam iusticiam, quæ sit sine ullo uicio peccati, qualem & quantam iusticiam nullus unquam hominum præstitit. Solus Christus filius Dei impleuit eam perfectissime. Quare, cum Christus donetur nobis

bis totus cum omnibus bonis ſuis, per fidem, manifeſtum eſt, quòd cum habemus Chriſtum, habemus etiam perfectionem, conſummationem, & finem Decalogi, in Chriſto, quia reputamur coram Deo propter Chriſtum, per fidē tam iuſti, quàm ſi nos ipſi opera Decalogi, noſtra ipſorum iuſticia præſtitiſſemus. Quo theſauro nihil potuit nobis precio ſius contingere.

Rom. 9. Gentes quæ non ſectabantur iuſticiam apprehenderunt iuſticiam. Iuſticiam autem eam, quæ eſt ex fide. Contra, Iſrael, qui ſectabatur legem iuſticiæ, ad legem iuſticiæ non peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Hic manifeſte docetur, quòd iuſticia non contingat nobis merito noſtrorum operum, quæ ex præſcripto Decalogi facimus, ſicut Iudæi ſenſerunt, ſed q, iuſticia imputetur nobis per fidem propter Chriſtum, ſicut gentes, quæ nulla habuerunt operum merita, iuſtificatæ ſunt.

1. Corinth. 1. Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſticiaq; & ſanctificatio et redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Si Chriſtus factus eſt noſtra iuſticia, conſequens eſt, q, nec Decalogus, nec opera noſtra, iuxta Decalogi præſcriptum facta, ſint iuſticia noſtra, ne in nobis, ſed tantum in Chriſto gloriemur.

2. Cor.

2.Cor.5. Eum,qui non nouit peccatum,pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum(hoc est) Christus, qui est totus iustus,factus est uictima pro peccato, ut nos iusticia eius reputaremur iusti coram Deo.

Et quid pluribus opus? Præcipuus status Epistolæ Pauli ad Romanos & ad Galatas eò tantum tendit,ut doceat,nos non esse Deo acceptos,nec reputari iustos coram Deo, propter merita nostrorũ operum,sed tantum propter Christum,si credimus in eum. Quare si quidem nostra opera respexeris, fieri nõ potest,ut Decalogum perfecte impleamus. Si autem respexeris Iesum Christum filium Dei, quem fide accipimus, tunc quia totus Christus,noster est, erit & iusticia eius nostra, qua Decalogũ perfecte impleuit, ut & nos propter ipsius iusticiam & Decalogi impletionem reputemur coram Deo iusti, ac Decalogi impletores.

Sed cum hæc de iusticia fidei docentur,statim solet imperitis in mentem uenire, Si non possumus bonis nostris operibus nec Decalogum implere,nec coram Deo iustificari, quid sibi uult seueritas illa, qua bona opera à Deo exiguntur? Et quis est horum operum usus? Quin potius uiuamus pro libidine nostra, & sequamur concupiscentiam carnis nostræ, cum non propria operum nostrorum iusticia,sed aliena tãtum, uidelicet, Christi iusticia per fidem fiamus Deo accepti,& reputemur coram eo

iusti. Hæc non est noua hominum, in doctrina Euangelij, cogitatio, sed iam inde ab Apostolicis temporibus ad nos usq; propagata. Cum enim Paulus doceret ibi exuberare gratiam, ubi exuberauit peccatum, & nos non amplius esse sub lege, sed sub gratia, continuo audit: Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Et: Peccabimus, quòd non simus sub lege, sed sub gratia? Sequitur ergo in Catechismo alia quæstio, de necessitate & utilitate bonorum operum, ut cognoscamus, q etsi bona nostra opera non satisfaciant Decalogo, nec iustificant nos coram Deo, tamen necessario sint facienda.

Quam ob causam facienda sunt bona opera?

Respondeo.

Facienda sunt non propter hanc causam, ut meritis ipsorum expiemus peccata nostra & consequamur æternam uitam. Solus enim Christus expiauit peccata & meritus est nobis æternam uitam. Sed facienda sunt bona opera propter alias causas, Videlicet, ut bonis operibus testemur fidem nostram, & declaremus gratitudinem nostram, quam Domino Deo nostro

nostro pro beneficijs eius debemus.

DVO in hoc responso cognoscenda proponuntur. Alterum, quis honor Christo, alterum, quis honor operibus sit tribuendus. Doctrina enim de iustitia Christi, quæ imputatur nobis per fidem, non abolet bona opera, nec tollit ab eis suum, qui ipsis debetur, honorem; Sed facit discrimen inter Christum, & bona nostra opera, & quanquam aufert ab operibus eum honorem, qui soli Christo debetur, tamen tribuit operibus, quæ ipsis uere tribuenda sunt. Non facimus, inquit Paulus, legem irritã per fidem, sed potius legem stabilimus. Consideremus igitur, quid Christo, & quid operibus tribuendum sit, ut sciamus, quòd intantum absit, ut propter iusticiam Christi, quæ nobis imputatur per fidem, non sit ambulandum in bonis operibus, ut potius, quia imputatur nobis iusticia Christi, bene sit operandum. Rom. 3.

Solus Christus, inquit Catechismus, expiauit peccata, & meritus est nobis æternam uitam. Nam expiare peccata, placare iram Dei, reconciliara cum Deo peccatorem, uincere mortem, et mereri æternam uitam, ac cœlestis regni hæreditatem, maioris sunt uirtutis & dignitatis, quàm quæ possint competere, uel in Angelum, uel in hominem in peccato conceptum & natum, uel in hominis actiones aut passiones carne sordidatas, sed Honor Christo debitus.

competunt in ſolum Filium Dei, Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui cum ſit conceptus de Spiritu ſancto, nec peccatum fecerit unquam, nec inuentus ſit dolus in ore eius, de quo & Pater de cœlo dixerit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, & obedierit Patri ſuo uſque ad mortem, mortem autem crucis, Solus reportat hãc laudem, quòd ſit peccatorum noſtrorum expiator, & iræ diuinæ placator, ac mortis uictor, et dignus æternæ uitæ ac cœleſtis regni hæres. Tametſi enim Leuitica ſacrificia dicuntur etiam expiaſſe peccata, & placaſſe iram Dei, tamen partim expiarunt tantum Leuitica peccata, idq; coram hominibus tantum, partim adumbrauerunt et ſignificauerunt ueram illam uerorum peccatorum expiationẽ coram Deo, quæ per ſolum Chriſtum filium Dei tunc quidem facienda erat, nunc autem facta & impleta eſt. Non poteſt, inquit Epiſtola ad Hebræos, ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Et mox: Omnis quidem ſacerdos aſſiſtit quotidie ſacra peragens, & eaſdem ſæpius offerens hoſtias, quæ nunquam poſſint auferre peccata. Hic uero, una pro peccatis oblata uictima, perpetuo ſed et ad dextram Dei &c.

Hebr. 10.

Et Eſai. 53. Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Et mox: Poſuit animam ſuam uictimam pro peccato.

Ephe.

Ephes.5. Tradidit semetipsum pro nobis,obla-tionem & uictimam Deo,in odorem bonæ fragrantiæ.

Coloss.1. Eripuit nos à potestate tenebrarum,ac transtulit in regnum Filij sibi dilecti, per quem habemus redemptionem,per sanguinem ipsius,remissionem peccatorum.

1.Timo.2. Vnus Deus, Vnus etiam conciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus,qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus.

Tit.2. Dedit semetipsum pro nobis,ut redimeret nos ab omni iniquitate &c.

Ex his & id genus alijs testimonijs Scripturæ perspicuum est,quòd honor expiandi peccata, & placandi iram Dei,ac merendi hæreditatem æternæ uitæ,pertineat ad solum Iesum Christum unigenitum filium Dei. Perspicuum etiam est,quòd hypocritæ tot sibi Christos fingant, quot faciunt opera,ad expianda peccata sua. Hac enim persuasione,transferunt eum honorem,qui soli Christo debetur,ad sua opera,& quanquam sentiunt se præstare his operibus cultum Deo gratißimum,tamen designant uere coram Deo horribilem blasphemiam & idolatriam.

Abijciamus igitur, inquies, bona opera,& faciamus mala,ne designemus idolatriam. Nihil minus. Bona opera,quæ Deus præcepit, non sunt abijcienda,sed potius sectanda. Etsi enim ea opera,qua

tenus quidem per nos peccato corruptos fiunt, nõ habent honorem expiandi peccati, et placãdæ iræ Dei, tamen habent alium honorem & usum, propter quem omnino necessarium est, ut ea faciamus. Commemorat autem Catechismus duplicem eorum usum. Horum alter est, ut bonis operibus testemur fidem nostram in Iesum Christum filium Dei. Ostendimus enim supra, quòd fiamus Deo accepti, & reputemur coram Deo iusti per fidem in Christum. Fides autem non est opus carnis, sed est opus Spiritus sancti, qui ut est Spiritus operosus & potens, non sinit fidem esse ociosam, sed excitat & inflammat eam, ut omnia genera bonorum fructuum proferat, ac præcipue per caritatem sese tam erga Deum, quàm erga proximum declaret. Nam quemadmodum lumen accensæ candelæ non solum calet, sed etiam splendet, ac proxima loca illustrat. Et sicut bona arboris radix, ac medulla, non conseruant tantum internam arboris bonitatem, uerumetiam producunt externos bonos fructus. Et ut anima humana, si uere in homine fuerit, teneri non potest, quin exerceat uitæ opera: Ita & fides, quæ est anima iusti, teneri non potest, quin proferat ea opera, quæ intelligit à Deo esse præcepta, & Deo placere. Etsi enim bona opera non possunt propter carnem, perfecte iuxta exactam regulam diuini præcepti, ab homine absolui, quemadmodum ante demonstrauimus, tamen fides,

Bonorum operum honor.

Operum bonorum usus duplex.

des, si uera est, tantæ est diligentiæ & studij, ut non desinat, quoquo modo potest obedientiam suam declarare.

Rom. 6. Sepulti sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Hoc est, si uere credimus Christum pro peccatis nostris mortuum, & propter iustificationem nostri à mortuis resurrexisse, ea fides tam efficax erit, ut posthac non uiuamus peccato, sed iusticiæ &c.

Rom. 8. Si Christus in uobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem uita est, propter iustificationem. Hoc est, si uera est in uobis fides in Christum, tunc carnalis homo mortificatur, ut & peccatum agnoscat, & non proferat fructus peccati, Spiritualis autem homo uiuificatur, ut habeat pacem & gaudium coram Deo, et faciat opera uitæ, quæ sunt opera iusticiæ.

Ephe. 2. Gratia estis seruati PER FIDEM, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nam ipsius opus sumus conditi per Christum Iesum, ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambularemus. Hic præcipue duo docet, Alterum est, quòd seruemur per fidem, non ex meritis nostrorum operum, sed tantum ex gratia, seu clementia & misericordia Dei propter Christum. Alterum, quòd non in hoc datur nobis sa-

lus per fidem, ut aut ociemur aut iniqua faciamus, ſed ut in bonis operibus ambulemus. Fides enim, quæ ſalutem per Chriſtum accipit, accipit etiam Spiritum ſanctum, qui credentem ad bona opera inflammat.

Ad Tit. cap. 2. Ieſus Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibijpſi populum peculiarem, zelotem bonorum operum, hoc eſt, non ſimpliciter aut oſcitanter bona opera facientem, ſed ardenti zelo ea ſectantem. Etſi enim magna eſt etiam fidei imperfectio in homine, tamen ſi uera eſt fides, non eſt omnino ignaua, & ſomnolenta, ſed habet ſuum ardorem & zelum, qui & ſubinde uerbo Domini magis ac magis excitandus & inflammandus erit.

Opera debent fidem ſequi.

Porro, bona opera tanta neceſsitate ſequuntur fidem in Chriſtum, ut ſi non ſequuntur, fides aut non ſit uera, aut ſi uera fuerit, abijciatur.

Rom. 8. Si ſecundum carnem uixeritis, moriemini.

1. Cor. 6. Ne erretis. Neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulacrorum, neq; adulteri &c. regni Dei hæreditatem accipient. Ergo neq; fidem retinebunt. Nam ſi eam retinerent, fierent etiam ſalui. iuxta illud: Omnis qui credit in eum, non perit, ſed habet uitam æternam.

2. Timoth. 5. Si quis ſuis, & maxime familiaribus

ribus non prouidet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.

1. Iohan. 2. Qui dicit, Noui eũ, et præcepta eius non seruat, mendax est, & ueritas in eo non est.

Et iterum cap. 3. Qui committit peccatum, ex diabolo est.

Et rursus cap. 4. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est.

Quare etsi bona opera à Deo præcepta, non sunt à nobis in hoc facienda, ut meritis eorum expiemus peccata, & consequamur æternam uitam. Hæc enim maiestas soli Christo filio Dei competit, tamen necessario facienda sunt, ut testemur nos uere in Christum credere, & obediamus uocationi Spiritus fidei, ne si cupiditati peccati obsequamur, excutiamus è nobis fidem, Christum, Spiritum sanctum, & omnia cœlestia bona.

Alter usus bonorum operum est, quòd declarent gratitudinem nostram, quam debemus Deo pro beneficijs eius. Nam quæ beneficia Deus in nos contulit, maiora sunt, quàm quæ agnoscere possumus. Longum esset summatim tantum perstringere ea beneficia, quæ Deus contulit in nos creatione, & conseruatione huius corporalis uitæ. Considera mihi saltem ea beneficia, quæ præstitit nobis Redemptione, & donatione æternæ salutis. Cum enim peccato ita obruti eramus, ut necesse haberimus perpetuo interire, nec ulla creatura uel cœ-

Opera bona declaratio nostræ gratitudinis.

propter Christum filium suum, si in eum credideri mus. Quid ergo retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Et quid uicißim Dominus à nobis exigit? Non poßumus pro tot ac tantis beneficijs dignas referre gratias. Et tamen quia benefacta agnoscenda sunt gratitudine, exigit & Deus à nobis gratitudinem. Non permißit autem nobis liberum, ut quibus nos uelimus operibus, humana ratione excogitatis, gratitudinem noßram declaremus. Frußra enim, inquit, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Sed proposuit nobis uerbum suum, proposuit præcepta sua, ut ijs obediamus, & operibus eorum gratitudinem noßram probemus. Etsi enim ea opera, quæ iuxta præcepta Dei facimus, non sunt perfecte bona, quemadmodum supra docuimus, tamen sicut parens, mallet quidem, ut puer statim in primo ætatis suæ anno pedibus suis perfecta incederet, conscius autem imbecillitatis eius, contentus est qualicunq; pueri inceßu, donec membra eius progreßu ætatis confirmentur: Ita & Dominus Deus, Parens noßter cœleßis, uidet nos per carnem tam imbecilles esse, ut etiamsi acceperimus Spiritum sanctum, tamen non poßimus in hac uita perfecte in præceptis eius ambulare. Cum igitur agnoscit nos pro filijs suis, propter Christum, in quem credimus, contentus est obedientia noßra, quamuis imperfecta, ut intelligat beneficia sua nobis

gra-

lestis uel terrestris potuerit nos ab interitu uindicare, maluit Deus unigenitum Filium suum in humanas imbecillitates, & in mortem ipsam conijcere, quàm ferre, ut nos in peccato & morte periremus. Proprio inquit Paulus, Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Et iterum: Commendat suam caritatẽ ergo nos Deus, q̃ cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et Ioannes: In hoc (inquit) est caritas, non q̃ nos dilexerimus Deum, sed q̃ ipse dilexerit nos, et misit Filium suum propiciationẽ pro peccatis nostris. Et Christus ipse: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium sum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat æternam uitam. Non autem existimes, q̃ quia paucis uerbis dicitur, Deum ex caritate misisse Filium suum in hunc mundum, & tradidisse eum pro nobis in mortem, pauca aut parua beneficia significentur. Primum enim, accipimus à Deo, propter Filium eius, remissionem peccatorum, per fidem. Quo uno beneficio continetur innumerabilium bonorum thesaurus. Deinde reputamur propter Filium Dei coram Deo iusti. Ad hæc adoptamur in filios Dei. Deinde, conseruamur in morte. Postremo, accipimus unà cum Christo ius hæreditatis cœlestis regni. Possumus ne uel plura uel maiora beneficia optare? Et hæc omnia contingunt nobis sine ullis operum nostrorum meritis, sed gratis, sola Dei clementia, propter

Dei beneficia erga nos.

leſtis uel terreſtris potuerit nos ab interitu uindicare, maluit Deus unigenitum Filium ſuum in humanas imbecillitates, & in mortem ipſam conijcere, quàm ferre, ut nos in peccato & morte periremus. Proprio inquit Paulus, Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. Et iterum: Commendat ſuam caritatẽ ergo nos Deus, q̃ cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et Ioannes: In hoc (inquit) eſt caritas, non q̃ nos dilexerimus Deum, ſed q̃ ipſe dilexerit nos, et miſit Filium ſuum propiciationẽ pro peccatis noſtris. Et Chriſtus ipſe: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium ſum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat æternam uitam. Non autem exiſtimes, q̃ quia paucis uerbis dicitur, Deum ex caritate miſiſſe Filium ſuum in hunc mundum, & tradidiſſe eum pro nobis in mortem, pauca aut parua beneficia ſignificentur. Primum enim, accipimus à Deo, propter Filium eius, remiſſionem peccatorum, per fidem. Quo uno beneficio continetur innumerabilium bonorum theſaurus. Deinde reputamur propter Filium Dei coram Deo iuſti. Ad hæc adoptamur in filios Dei. Deinde, conſeruamur in morte. Poſtremo, accipimus unà cum Chriſto ius hæreditatis cœleſtis regni. Poſſumus ne uel plura uel maiora beneficia optare? Et hæc omnia contingunt nobis ſine ullis operum noſtrorum meritis, ſed gratis, ſola Dei clementia, propter

Dei beneficia erga nos.

propter Christum filium suum, si in eum credideri mus. Quid ergo retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Et quid uicißim Dominus à nobis exigit? Non possumus pro tot ac tantis beneficijs dignas referre gratias. Et tamen quia benefacta agnoscenda sunt gratitudine, exigit & Deus à nobis gratitudinem. Non permisit autem nobis liberum, ut quibus nos uelimus operibus, humana ratione excogitatis, gratitudinem nostram declaremus. Frustra enim, inquit, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Sed proposuit nobis uerbum suum, proposuit præcepta sua, ut ijs obediamus, & operibus eorum gratitudinem nostram probemus. Etsi enim ea opera, quæ iuxta præcepta Dei facimus, non sunt perfecte bona, quemadmodum supra docuimus, tamen sicut parens, mallet quidem, ut puer statim in primo ætatis suæ anno pedibus suis perfecta incederet, conscius autem imbecillitatis eius, contentus est qualicunq; pueri incessu, donec membra eius progressu ætatis confirmentur: Ita & Dominus Deus, Parens noster cœlestis, uidet nos per carnem tam imbecilles esse, ut etiamsi acceperimus Spiritum sanctum, tamen non possimus in hac uita perfecte in præceptis eius ambulare. Cum igitur agnoscit nos pro filijs suis, propter Christum, in quem credimus, contentus est obedientia nostra, quamuis imperfecta, ut intelligat beneficia sua nobis gra-

lestis uel terrestris potuerit nos ab interitu uindicare, maluit Deus unigenitum Filium suum in humanas imbecillitates, & in mortem ipsam conijcere, quàm ferre, ut nos in peccato & morte periremus. Proprio inquit Paulus, Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ. Et iterum: Commendat suam caritatẽ ergo nos Deus, q̃ cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Et Ioannes: In hoc (inquit) est caritas, non q̃ nos dilexerimus Deum, sed q̃ ipse dilexerit nos, et misit Filium suum propiciationẽ pro peccatis nostris. Et Christus ipse: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium sum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat æternam uitam. Non autem existimes, q̃ quia paucis uerbis dicitur, Deum ex caritate misisse Filium suum in hunc mundum, & tradidisse eum pro nobis in mortem, pauca aut parua beneficia significentur. Primum enim, accipimus à Deo, propter Filium eius, remissionem peccatorum, per fidem. Quo uno beneficio continetur innumerabilium bonorum thesaurus. Deinde reputamur propter Filium Dei coram Deo iusti. Ad hæc adoptamur in filios Dei. Deinde, conseruamur in morte. Postremo, accipimus unà cum Christo ius hæreditatis cœlestis regni. Possumus ne uel plura uel maiora beneficia optare? Et hæc omnia contingunt nobis sine ullis operum nostrorum meritis, sed gratis, sola Dei clementia, propter

Dei beneficia erga nos.

propter Christum filium suum, si in eum credideri mus. Quid ergo retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Et quid uicissim Dominus à nobis exigit? Non possumus pro tot ac tantis beneficijs dignas referre gratias. Et tamen quia benefacta agnoscenda sunt gratitudine, exigit & Deus à nobis gratitudinem. Non permisit autem nobis liberum, ut quibus nos uelimus operibus, humana ratione excogitatis, gratitudinem nostram declaremus. Frustra enim, inquit, colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum. Sed proposuit nobis uerbum suum, proposuit præcepta sua, ut ijs obediamus, & operibus eorum gratitudinem nostram probemus. Etsi enim ea opera, quæ iuxta præcepta Dei facimus, non sunt perfecte bona, quemadmodum supra docuimus, tamen sicut parens, mallet quidem, ut puer statim in primo ætatis suæ anno pedibus suis perfecta incederet, conscius autem imbecillitatis eius, contentus est qualicunq; pueri incessu, donec membra eius progressu ætatis confirmentur: Ita & Dominus Deus, Parens noster cœlestis, uidet nos per carnem tam imbecilles esse, ut etiamsi acceperimus Spiritum sanctum, tamen non possimus in hac uita perfecte in præceptis eius ambulare. Cum igitur agnoscit nos pro filijs suis, propter Christum, in quem credimus, contentus est obedientia nostra, quamuis imperfecta, ut intelligat beneficia sua nobis gra-

grata esse, & uideat nos, quanquam ualde claudicantes & tardi grados, in ea ambulare uia, quam ipse uerbo suo nobis indicauit. Et quia gratitudo solet benefactorem excitare, ut plura beneficia largiatur, idcirco Deus non solum boni consulit imbecillitatem nostram, uerumetiam in tantum delectatur nostra obedientia, qua declaramus erga eum gratitudinem animi nostri, ut compenset eam multis beneficijs. Sicut enim terrenus parens non agnoscit quidem balbuciem & uacillantem incessum pueri sui, pro merito hæreditatis paternorum bonorum, Puer enim iam ante, natiuitate sua, factus est eorum hæres, hac autem pueri balbucie & incessu, præsertim, si uerbis suis puero præeat, aut manu sua ducat, sic delectatur, ut puerum singularibus præmiolis donet, ac quodammodo ad maiora excitet: Ita et Deus, cœlestis parens noster, nouit quidem nostra bona opera non esse tanti meriti, ut propter ipsa consequamur hæreditatem cœlestis regni. Accipimus enim ius cœlestis hæreditatis ex adoptione, & renascentia propter Christum filium Dei, per fidem, his autem operibus, quæ mandato eius præeunte, ad declarandam obedientiam & gratitudinem nostram facimus, ita delectatur, ut teneri non possit, quin ea suis quibusdam beneficijs prosequatur, & uicissim paternum suum affectum erga filium tam obedientem testificetur. Hinc est, quòd sacra Scriptura toties meminit

minit mercedis pro bonis operibus, uidelicet, non hoc significans, quòd nostra iusticia mereamur remissionem peccatorum, & uitam æternam, sed docens eos, qui iam in Christo sunt renati, & acceperunt ius cœlestis hæreditatis per fidem, quibus operibus debeant gratitudinem suam erga Deum declarare, & quibus uicißim beneficijs Deus clementiam suam erga obedientes suos filios probet. Mercedis uocabulũ.

Leuit. 26. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo uobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & arbores pomis replebuntur.

Exod. 20. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram.

Esai. 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Cum uideris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur &c.

Matth. 5. Gaudete & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis.

Matth. 10. Quicunq; ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantum, nomine discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam.

2. Corin. 9. Qui sementen facit parce, is parce messurus est. Qui sementem facit libenter & benigne largiendo, copiose messurus est.

Sunt

Sunt & multa alia id genus testimonia in sacris literis, quibus docemur, quòd debeamus Deo gratitudinẽ animi nostri operibus uerbo eius præceptis declarare, & quòd uicißim Deus testificetur uarijs beneficijs ac præmijs paternum suum erga nos affectum, ut nos beneficentia sua in officio contineat. Tametsi igitur bona opera, quæ nos facere possumus, nõ habent hunc usum, ut mereantur remißionẽ peccatorum, & uitam æternam, tamen quia sunt testificationes fidei, & gratitudinis nostræ, necessario sunt facienda, ac summo zelo sectanda, ut maneamus in Christo Filio Dei, & excitemus Deum, ut beneficentia sua nos clementer prosequi pergat.

DE COENA DOMINICA.

MVLTA hactenus dicta sunt de fide in Iesum Christum, & magna sunt beneficia, quæ per fidem accipimus. Per fidem enim recipimur in gratiam Dei. Per fidem adoptamur in filios Dei. Per fidem reputamur iusti coram Deo. Per fidem inuocamus Deum, ut Patrem. Per fidem accipimus Spiritum sanctum Dei,

Dei, ut in præceptis eius ambulemus. Per fidem uincimus omnia aduersa & mortem. Deniq; per fidem consequimur omnia cœlestia bona, propter Iesum Christum Filium Dei. Caro autem nostra peccato cœcata, pugnat cum fide: & multa solent nobis aduersa in hoc seculo accidere, quæ non solum reddunt fidem imbecillem, uerumetiam eò tendunt, ut fidem in nobis extinguant. Quare in hoc studium nobis incumbendum est, ut quam accepimus fidem dono Spiritus sancti, non tantum conseruemus, sed etiam in aduersis confirmemus, ut quanto plus augetur fides, tanto certior nobis fiat salus nostra. Sequitur ergo alia quæstio, qua Catechumenus ducitur ad cognoscendam ueram rationem Cœnæ Dominicæ, cuius usu fides nostra confirmatur.

Quid est faciendum, ut confirmemus fidem nostram in aduersis, & accipiamus consolationem in afflictionibus?

MAGNA est fidei nostræ, præsertim aduersis concussæ, imbecillitas. Quare opus habet continua confirmatione & consolatione Spiritus sancti. Confirmatur autem fides per Spiritum sanctum uarijs modis. Primum enim omnium confirmatur auditu uerbi Dei. Sicut enim fides est ex auditu, quemadmodum Paulus ait, ita etiam confirma-

tio

Sunt & multa alia id genus testimonia in sacris literis, quibus docemur, quòd debeamus Deo gratitudinẽ animi nostri operibus uerbo eius præceptis declarare, & quòd uicißim Deus testificetur uarijs beneficijs ac præmijs paternum suum erga nos affectum, ut nos beneficentia sua in officio contineat. Tametsi igitur bona opera, quæ nos facere possumus, nõ habent hunc usum, ut mereantur remißionẽ peccatorum, & uitam æternam, tamen quia sunt testificationes fidei, & gratitudinis nostræ, necessario sunt facienda, ac summo zelo sectanda, ut maneamus in Christo Filio Dei, & excitemus Deum, ut beneficentia sua nos clementer prosequi pergat.

DE COENA DOMINICA.

MVLTA hactenus dicta sunt de fide in Iesum Christum, & magna sunt beneficia, quæ per fidem accipimus. Per fidem enim recipimur in gratiam Dei. Per fidem adoptamur in filios Dei. Per fidem reputamur iusti coram Deo. Per fidem inuocamus Deum, ut Patrem. Per fidem accipimus Spiritum sanctum Dei,

Dei, ut in præceptis eius ambulemus. Per fidem uincimus omnia aduersa & mortem. Deniq; per fidem consequimur omnia cœlestia bona, propter Iesum Christum Filium Dei. Caro autem nostra peccato cœcata, pugnat cum fide: & multa solent nobis aduersa in hoc seculo accidere, quæ non solum reddunt fidem imbecillem, uerumetiam eò tendunt, ut fidem in nobis extinguant. Quare in hoc studium nobis incumbendum est, ut quam accepimus fidem dono Spiritus sancti, non tantum conseruemus, sed etiam in aduersis confirmemus, ut quanto plus augetur fides, tanto certior nobis fiat salus nostra. Sequitur ergo alia quæstio, qua Catechumenus ducitur ad cognoscendam ueram rationem Cœnæ Dominicæ, cuius usu fides nostra confirmatur.

Quid est faciendum, ut confirmemus fidem nostram in aduersis, & accipiamus consolationem in afflictionibus?

MAGNA est fidei nostræ, præsertim aduersis concussæ, imbecillitas. Quare opus habet continua confirmatione & consolatione Spiritus sancti. Confirmatur autem fides per Spiritum sanctum uarijs modis. Primum enim omnium confirmatur auditu uerbi Dei. Sicut enim fides est ex auditu, quemadmodum Paulus ait, ita etiam confirma-

tio

tio fidei est ex auditu. Vnde ad Petrum dicit Christus: Et tu conuersus, confirma (uidelicet prædicatione Euangelij, cuius functio ei commẽdata erat) fratres tuos. Et Psal. 118. Dormitauit præ tædio anima mea, confirma me uerbis tuis. Et Act. 15. Iudas & Silas, cum essent & ipsi prophetæ, sermone copioso adhortati sunt fratres, confirmaueruntq;. Deinde fides confirmatur etiam precibus. Hinc sunt precationes illæ, apud Lucam cap. 17. Domine, adauge nobis fidem. Et apud Mar. cap. 9. Credo Domine, succurre incredulitati meæ. In præsentia autem non quærimus de simplici auditu uerbi Dei aut de precibus, Sed de eo uerbi Dei Sacramento, quod, postquam per baptismum renati sumus, confirmare solet fidem nostram.

Luc. 22.

Auditus uerbi.

Respondetur ergo sic:

Vtendum est Cœna Dominica.

Et ut uerus usus Cœnæ Dominicæ explicetur, iterum quæritur:

Quid est Cœna Dominica?

Respondetur.

COENA Dominica est Sacramentum, seu diuinum signaculum, quo Christus uere præsens, donat nobis pane & uino corpus & sanguinem suum, & certificat nos, quòd remit-

mittantur nobis peccata, & pertineat ad nos ius æternæ uitæ.

HÆC est descriptio Cœnæ Dominicæ, quæ ideo proponitur iuuentuti ediscenda, ut breuissimis & de substantia, & de uero usu Cœnæ Dominicæ admoneatur. Percurramus igitur singulas huius descriptionis partes, ut quid de Cœna Dominica uere sentiendum sit, cognoscamus.

Ac primum, cum Cœna Dominica dicitur esse Sacramentum, considerandum est, q̃ nomen Sacramenti usitatum quidem est in Ecclesia, sed non cuiuis ex uulgo, quid sibi uelit, cognitum. Nam interpretes solent aliàs nomen Mysterij, nomine Sacramenti, exponere. In hac autem descriptione utimur uocabulo Sacramenti, pro sacro seu diuino signaculo aut sigillo. Vnde cum in descriptione dicitur: Cœna Dominica est Sacramentum, additur uice interpretationis, Diuinum signaculum. Hoc autem genus sumptum est ex Paulo, qui cum ad Roma. cap. 4. Circumcisionem uocat σφραγίδα, hoc est, sigillum, haud obscure significat, etiam reliqua sacra signa, quæ Deus addit promissionibus suis, dicenda esse sigilla. Etsi enim uerbum diuinæ promissionis per se certissima sua ueritate constat, & ab omnibus obedienti fide sine ulla tergiuersatione suscipiendum est, tamen ea est diuinæ bonitatis clementia, ut summas ac præcipuas

Sacramentum quid?

salutis nostræ promissiones non proponat nobis nudas, sed adijciat externa sigilla, quæ uocamus Sacramenta, quo quæ uerbis promittuntur, sigillis certiora nobis reddantur, & firmius memoriæ infigantur. Nam quemadmodum uenditor agri, testatur quidem publicis suis literis, se possessionem agri emptori tradere, Sed quo certior habeatur literis fides, solent literæ sigillis muniri: Ita & Deus recepturus populum in gratiam, testificatur quidem uoluntatem suam manifestis promissionibus, Sed addit præterea externa signa, quæ sint promissionum σφραγίδες, hoc est, sigilla, ut certitudo & ueritas earum nobis illustrior reddatur.

Sic cum reciperet Abrahamum & posteritatem eius, in populum & Ecclesiam suam, ac promitteret se semen eius multiplicaturum, ac ex posteritate sua missurum Christum, addit pro sigillo, Circuncisionem. Sic cum promitteret tam Iudæis quàm Gentibus adoptionem in filios Dei, per Iesum Christum, addit pro sigillo Baptismum, ut qui sumunt baptismum, certificentur de adoptione in filios Dei. Sic etiam cum Christus traditurus & donaturus esset Ecclesiæ suum corpus & suum sanguinem, ut Ecclesia fieret una cum ipso caro, & unus sanguis, ac frueretur omnibus beneficijs, quæ ipse morte corporis sui & effusione sanguinis sui à Deo patre impetraret, addit pro sigillo, Pa-

panem & uinum, ut non tantum auditu uerbi, sed etiam esu panis & potu uini de certitudine huius promißionis aut potius donationis admoneremur & confirmaremur. Quare cum Cœna Dominica dicitur esse Sacramentum, intelligamus panem & uinum in hac Cœna, esse Sigillum, quo donatio corporis & sanguinis Christi, uerbo promissa, etiam esu & potu accipienda proponitur. Cœna Dominica sacramentū.

Dicitur autem Cœna Dominica, Sacramentum, aut Sigillum, non simpliciter, sed Diuinum, seu diuinitus institutum & ordinatum. Non enim licet hominibus pro sua libidine, uerbo Dei affingere Sacramenta, sed quo sint efficacia, necessarium est, ut diuinitus instituantur. Quare ea Sacramenta, quæ hypocritæ humana superstitione & sola imitatione excogitant, non sunt uera, & efficacia, sed ficticia & uana Sacramenta.

Deinde sequitur in descriptione, quòd Christus hoc signaculo uere nobis offerat ac donet præsens suum corpus et sanguinem. Hæc descriptionis particula admonet nos, q. Cœna Dominica, seu panis et uinum in hac Cœna, non tantum significent corpus & sanguinem Christi absentis, sicut statua hominis repræsentat hominem uel longe absentem, uel diu ante mortuum, sed quòd sint signa, quibus uere præsens corpus & sanguis Christi nobis donantur, & pane ac uino sumenda traduntur. Panis & uinum in Cœna Dominica.

Christus enim in institutione Cœnæ suæ non simpliciter dedit panem & uinum, sed dixit de pane, Hoc est corpus meum. Et de uino: Hic est sanguis meus. Videtur quidem humanæ rationi absurdum quod cum Symbolum Apostolicum dicit, Christum ascendisse in cœlum, ac sedere ad dextram Dei Patris, sit etiam cum corpore & sanguine suo præsens in hac Cœna, quæ in terris peragitur. Sed cogitationes humanæ rationis compescendæ & corrigendæ sunt uerbo Dei. Etsi enim hæc Cœna in terris peragitur, tamen non est terrestris, sed cœlestis Cœna. Et tantum abest, quòd Christus ideo absit cum corpore & sanguine suo ab hac Cœna, quia ascenderit in cœlum, & sedeat ad dextram Dei Patris sui, ut potius, quia in cœlum ascendit, & ad dextram Dei Patris sedet, præsens sit una cum corpore & sanguine suo in hac Cœna. Nam & Hic est cœlum, in quod Christus ascendit, & Hic est dextra Dei, ad quam Christus consedit. Sic enim Paulus ad Ephe. cap. 4. scribens: Qui descendit, inquit, idem ille est, qui etiam ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret. Neq; enim sentiendum est, quòd cum Christus eleuatus est ascensu suo uersus hoc uisibile & externum cœlum, manserit corporali modo in hoc cœlo, & sedeat in corporali aliquo loco, qui dicatur dextra Dei Patris. Hæ carnales & crassæ cogitationes de maiestate Christi longe à nobis abijciendæ sunt. Sed sentiamus

Ascensus Christi non impedit præsentiã Christi in cœna Dominica.

tiamus Christum ascensu suo ingressum esse in regnum Patris sui, & accepisse maiestatem omnipotentiæ Dei. Cum autem regnum Dei, & omnipotentia eius, non sint conclusa in aliquem angulum huius externi cœli, sed multo latius pateant, quàm cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, manifestum est, q. nec Christus cum corpore & sanguine suo concluſus sit in aliquem cœli angulum, sed q. superet, seu ut Paulus loquitur, impleat præsentia & maiestate sua omnia, tam supera quàm infera, tam cœlum quàm terra.

Obscurum quidem non est, q. humanum corpus natura sua in uno tantum loco esse posit, hoc autem intelligendum est iuxta huius externi mundi rationem. Vnde & Christus ipse, etsi post resurrectionem suam erat in regno Patris, tamen cum appareret discipulis in hoc mundo, in uno tantum loco apparuit. Sed longe alia est ratio cœlestis regni. In hoc enim, ut nullum est discrimen tẽporum, sed omnia sunt unum & æternum momentum, ita nullum est discrimen locorum, sed omnia sunt unus locus, imo nullus locus, imo nihil earum rerum, quas humana ratio cogitare potest. Quæ oculus (inquit) non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Cum igitur Christus sit in regno cœlesti, et hæc etiam Christi Cœna sit cœlestis, non est in celebratione huius Cœnæ cogitanda aliqua corporis

Christi uel magnitudo uel paruitas, uel etiam localis positio aut circumscriptio, sed excussa omni carnali imaginatione, acquiescendum est obedienti fide in uerbo Christi, & agnoscendum beneficium eius, ut hoc Sigillo confirmati, bene in omnibus aduersis de remissione peccatorum, & æterna uita confidamus, Sed de uera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Dominica aliàs copiosius.

Oblatio sacrificulorũ non instituta.

Diserte autem & hoc in descriptione dicitur, q, Christus in Cœna NOBIS, Nobis, inquam, offerat & donet corpus et sanguinem suum. Non enim instituta est Cœna, ut in ea sacrificuli offerant corpus & sanguinem Christi Deo patri, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum, Sed potius ut corpus et sanguis Christi, NOBIS, Nobis, inquam offerantur & sumenda tradantur. De qua re paulò post in explicatione uerborum Cœnæ Dominicæ quædam dicenda erunt.

Cœnæ Dominicæ usus principalis.

Postremo additur, hoc signaculo nos certificari, quòd remittantur nobis peccata, & pertineat ad nos ius cœlestis hæreditatis, & uitæ æternæ. Hic est principalis usus institutionis huius Cœnæ.

Cum enim Christus esset moriturus, suscepit prius, pro publico more, conficiendum testamẽtũ suum, in quo bona sua amicis, hæredibus, seu Ecclesiæ suæ legaret. Non possedit autem mundana

regna, nec magnam uim pecuniæ, nec alia terrena bona, quæ hæredibus suis relinqueret, sed habuit corpus quod tradit pro peccatis nostris in mortem, & sanguinem, quem effundit ad peccatorum nostrorum emundationem. Quare iam moriturus, conficit testamentum, in quo legat Ecclesiæ, quæ est hæres eius, corpus & sanguinem suum, & hoc ipso legat ei remissionem peccatorum, iusticiam & uitam. Quibus bonis non potuisset Ecclesiæ uel maiora uel excellentiora, uel utiliora legasse. Noluit autem hoc suum Testamentum nudis tantum uerbis instituere, sed quo certitudo uerborum magis illustraretur, adiecit etiam Sigillum, uidelicet Panem & Vinum, in corpus & sanguinem suum sanctificata. Sic enim apud Matthæum dicit: Hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Et apud Paulum: Hoc poculum nouum Testamentum est in meo sanguine. Quare sicut hæres terrenorum bonorum, certificatur de hæreditate sibi ab amico relicta, cum legit literas testamenti, & inspicit sigillum, quo literæ sunt roboratæ: ita & hæres Christi certificatur de hæreditate cœlestium bonorum, quæ sunt, Remissio peccatorum, & æterna uita, cum audit commemorationem seu prædicationem mortis Christi, & sumit Cœnam Dominicam, hoc est, panem & uinum in corpus & sanguinem Christi sanctificata. Hæ enim

ſunt literæ,et hæc ſunt ſigilla, quibus Chriſtus iam moriturus teſtamentum ſuum inſtituit, & confecit. Habes quid ſit Cœna Dominica. Sed Catechumenus iubetur etiam ipſa uerba,quibus Euangeliſtæ & Paulus inſtitutionem Cœnæ deſcripſerunt, ediſcere, ut literas Teſtamenti Chriſti ſemper ſecum in animo incluſas circumferat,ex quibus certo cognoſcat, hanc Cœnam non eſſe humanum inuentum,ſed cœleſte & diuinum inſtitutum, ac ex ipſis ſacræ Særipturæ uerbis, de uero & legitimo uſu huius Cœnæ erudiatur.

Recita uerba,quibus Euangeliſtæ & Paulus deſcribunt inſtitutionem Cœnæ Dominicæ.

Reſpon.

Dominus Ieſus in ea nocte,qua traditus eſt,& cum diſcipulis ſuis cœnauit,accepit panem,& cum benedixiſſet ac egiſſet gratias, fregit,deditq; diſcipulis,et ait: Accipite,comedite,hoc eſt corpus meum,quod pro uobis datur. Hoc facite in mei commemorationem.Et accepto poculo,poſtquam cœnauit, gratias egit, & dedit illis,dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim

enim sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remmissionem peccatorum. Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem.

MVLTA *his uerbis obseruanda & cognoscenda proponuntur.*

Primo, obseruandum est, q̃ Cœna Dominica non sit humano consilio excogitata, sed à Iesu Christo filio ipso Dei instituta, idq̃; eo tempore, quo susceperus erat crucem & mortem, ut humanum genus cum Deo patri suo reconciliaret. Perspicue enim scribunt Euangelistæ & Paulus, quòd Christus in ea Cœna, quam in nocte, qua traditus est, cũ discipulis habuit, dederit eis pane corpus suum uescendum, & uino sanguinem suum bibendum. De hoc idcirco admonendi sumus, ut cogitemus usum Cœnæ non esse superuacaneum, & excitemur ad frequentiorem eius usum. Cœna Dominica à quo instituta.

Secundo, obserua, q̃ Cœna Dominica tradita sit à Christo in usum, non tantum Apostolorum, sed etiam uniuersæ Ecclesiæ, usq̃; ad nouissimum huius mundi diem. Sic enim Paulus de Cœna dicit 1. Corinth. 11. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis. Et mox: Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini adnunciatis, donec uenerit. Hic docet* Cœna Dominica instituta pro tota Ecclesia.

t 5 Pau-

Paulus, quòd cœna Domini non debeat unà cum Apostolis abrogari, sed conseruanda sit in Ecclesia usq; ad aduentum Christi in maiestate sua, ad iudicandum uiuos & mortuos. Hoc ideo obseruandum est, ut discernamus cœnam Dominicam ab alijs quibusdam ritibus, qui etsi Apostolis à Christo commendati, & Apostolicis temporibus usitati fuerunt, tamen non fuerunt ad propagandum in Ecclesia mandati, sed ad tempus tantum ordinati, donec ueritas Euangelij Christi confirmaretur & illustraretur. Talis est Vnctio, qua Apostoli ægrotos sanabant, de qua Marc. 6. & Iaco. 5. Talis est etiam Impositio manuum, qua Apostoli conferebant credentibus Euangelio admiranda dona Spiritus sancti. De qua Act. 8. Sicut enim nec confectio luti è sputo, quo ritu Christus cœco restituit uisum, nec impositio sudariorum Pauli, quibus morbi & spiritus mali fugati fuerunt, ita nec Vnctio, nec Impositio manuum tradita & commendata sunt diuinitus, ad perpetuum usum in Ecclesia, sed tantum pro temporarijs ritibus usitata, dum opus, ad quod ordinata erant, conficeretur. Cœna autem Dominica, qua dispensantur corpus & sanguis Christi instituta est, non ut esset temporarius ritus, una cum Apostolis abolendus, sed ut usus eius esset in Ecclesia perpetuus. Quare si hæc Cœna obseruatur iuxta mandatum, institutionem & ordinationem Christi, tunc Christus, qui primam

Vnctio.

Impositio manuum.

Confectio luti.

Impositio sudariorũ.

cœnam

Cœnam coram uisibilis assidens, sanctifica-uit, idem ipse in Ecclesia sua semper inuisibilis præsens, sanctificat, ministerio eorum, qui hoc officio funguntur, omnes Dominicas cœnas, que usque ad nouissimum diem habentur. Dicit enim: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Cœnæ Dominicæ obseruatio nõ ad tempus certum alligata.

Tertio considera, quòd obseruatio cœnæ Dominicæ alligata quidem est ad institutionem & ordinationem Christi, non autem ad certum obseruationis tempus. Dicit enim: Quotiescunq; comederitis, & biberitis. Non dicit: Quouis semper die, quauis hora comedendum & bibendum est. Sed relinquit Ecclesiæ hac in re libertatem, modo non uertant libertatem in licentiam. Cum enim frequenter tam prosperis quàm aduersis tentemur, & indigeamus confirmatione fidei, atq; consolatione, frequenter, si fieri potest, utendum est cœna Dominica.

Panis & uinum cœnæ Dominicæ.

Quarto, cognoscendum est, q; panis & uinum cœnæ Dominicæ non sint nuda absentis, sed uere præsentis còrporis & sanguinis Christi signa. Christus enim porrigendo panem, dicit, Edite, hoc est corpus meum. Et porrigendo poculum, dicit, Bibite ex eo omnes, Hic est sanguis meus. Non est hic uel magnitudo uel paruitas, uel longitudo, uel crassicies, uel tenuitas aliqua carnalis imaginanda, quemadmodum paulo ante attigimus, sed obedien-

dienti fide sentiendum est, quòd Christus pane et uino uere porrigat & donet conuictoribus suis corpus & sanguinem suum, ut qui ea accipiunt fide, fiant cum ipso una caro & unus sanguis, hoc est, uera membra corporis sui, & fruantur omnibus ijs beneficijs, quæ Christus morte corporis sui, & effusione sanguinis sui impetrauit. Dicit enim Paulus 1. Corinth. 10. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Si in Cœna Dominica communicatur nobis, poculo, sanguis Christi, & pane, corpus eius, certe ut uere præsentia sunt panis & uinum, ita etiam corpus & sanguis Christi uere præsentia sint, necesse est, Sed suo quæq; illa quidem uisibili & corporali, hæc autem inuisibili, spirituali & cœlesti, ac humanæ rationi imperscrutabili modo. Nam quemadmodum humanus captus comprehendere non potest, quomodo Christus uerus Deus, & uerus homo, cum ascenderit super omnes cœlos, omnia impleat, ita non potest suis cogitationibus assequi, quomodo præsentia sint in cœna corpus & sanguis Christi, sed quod uerbum Christi perspicue dicit, hoc obedienti fide suscipiendum est, ut & hac obedientia testemur nos sapientiam carnis nostræ subijcere, et captiuam ducere in obsequium sapientiæ Spiritus.

Quinto, discamus etiam ex his uerbis Cœnæ, quòd

quòd Christus instituerit in Cœna sua usum non tantum panis, sed etiam uini. Non hoc uoluit Christus, ut uulgari plebi, in Ecclesia, una tantum pars huius Sacramenti daretur, altera autem auferretur, aut negaretur. Cum enim iussisset conuictores suos panem, quo porrigebat corpus suum, edere de poculo diserte dicit: Bibite ex eo omnes. Et Paulus ad Corinthios scribens, affirmat se usum Cœnæ ita ipsis tradidisse, quemadmodum à Domino accepisset. Tradidit autem Cornthijs, ijsq; non ministris tantum Ecclesiæ, sed ipsi etiam uniuersæ Ecclesiæ, non panis tantum, sed & uini usum. Dicit enim: Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo biberitis &c. Coniungit panem & uinum, esum & potum. Quare dubium non est, quin & Christus usum tam panis quàm uini, uniuersæ Ecclesiæ suæ in Cœna commendauerit. Nec est obscurum, aut ignotum, q; hic mos utendi, in Cœna, pane & uino, fuerit iam inde ab institutione eius in Ecclesia, plusquam septingentis annis usitatus. Magna igitur & sacrilega temeritas est, q; nonnulli ausi fuerint institutionem Christi, ac uetustioris & adhuc purioris Ecclesiæ morẽ, pro sua libidine mutare. Dicunt quidem, q; totus Christus, sub pane accipiatur. Quasi uero non etiam sine pane, per fidem tantum, ex auditu Euangelij, totus Christus accipiatur. Cum autem uolueris Christum, non tantũ auditu Euangelij

Cœnæ Dominicæ species utraq; instituta.

gelij, sed etiam Sacramento accipere, ibi tum necesse habes præscriptum Christi ipsius sequi, & pane, corpus, uino autem sanguinem eius sumere. Sic enim & ipse diuisit, & sic diuisa, nobis sumenda instituit. Quare & si humana sapientia iudicat nullum uiuum corpus esse sine sanguine, tamen quia diuina Sapientia commendauit nobis seorsim in pane, corpus Christi, & seorsim in uino, Sanguinem eius, ducenda est captiua omnis humana cogitatio, ut diuinæ sapientiæ uerum obsequium exhibeamus.

Cœnæ Dominicæ finis proprius.

Sexto, ex uerbis Cœnæ discendum est, quis sit proprius & immediatus finis, propter quem Cœna à Christo instituta est. Sunt enim, qui sentiunt, quòd Cœna instituta sit, ut sit Missa, in qua offerantur à sacrificulis Deo patri corpus & sanguis Christi, ad expianda peccata uiuorum et mortuorum.

Hebr. 10.

Et cum hæc sententia refutatur testimonio scripturæ, & præsertim epistolæ ad Hebræos, quod Christus expiauerit peccata nostra, non in Cœna, sed in cruce, & quod unica oblatione, (uidelicet ea, quæ in cruce peracta est) perfectos effecerit in perpetuum eos, qui sanctificantur, ut cum his temporibus, quo Euangelium uulgatum est in orbem terræ, sit remissio peccati, non sit amplius oblatio pro peccato, respondere illi solent, quòd sacrificent in Cœna corpus & sanguinem Christi, non

non ut iam primum remißionem peccatorum, & ſalutem animarum mereantur, (unicũ enim tantum eſſe ſacrificium expiatorium & meritorium, quod Chriſtus in cruce peregit, etiam ipſi fateri uidentur) ſed ut ſacrificio cœnæ remißionem peccatorum in cruce impetratam ſibi & alijs applicent, et tam in uiuos quàm in mortuos transferãt. Interea tamẽ ſacrificulus iubetur uerba cœne clã ſecum mußitare, ne publica eorum uerborum recitatione tantum myſterium, ut ipſi loquuntur, prophanetur, ac præterea non diſpenſat Eccleſiæ cœnam, ſeu panem & uinum cœnæ, ſed ijs ſolus ipſe fruitur. Sed hæc omnia ſacrificulorum commenta clare refutantur, cum ex multis ſacræ ſcripturæ locis, tum præcipue ex uerbis ipſis cœnæ. Tametſi enim in lege Moſi inſtitutum fuit ſingulare Sacrificiorum, & ſacrificulorum genus, tamen poſtquam uenit Chriſtus, & expiauit ſacrificio corporis & ſanguinis ſui in cruce peccata humani generis, impleta ſunt omnia Leuitica ſacrificia, & abrogatum eſt officium Leuiticorum ſacrificulorum. Nec ſentiendum eſt, quòd Chriſtus inſtituendo cœnam, inſtituerit nouum ſacrificium, & nouos ſacrificulos in locum ueterum ſacrificiorum & ſacrificulorum. Cum enim inſtitueretur cœna, accepit Ieſus (inquiunt Euangeliſtæ) Panem. Et non addunt, Obtulit, uel ſacrificauit, Sed, Gratias egit, Eregit, hoc eſt, diſpertitus eſt, et dedit diſcipulis

Miſſa Papiſtarum.

ſcipulis edendum, Hoc eſt, inquiens, corpus meum, quod pro uobis datur, uidelicet in mortem, ſeu, ut Paulus habet, frangitur, hoc eſt, diſpertitur. Similiter accepit & poculum, inquiunt. Nec addunt, Obtulit, ſicut de leuitico holocauſto ſcriptum eſt: Offerent filij Aaron ſacerdotis ſanguinē eius. Sed dicunt, Gratijs actis, dedit illis, uidelicet, ut biberent. Hic eſt, inquiens, ſanguis meus, qui pro uobis effunditur, non iam in Cœna, alioqui poculum euertendum fuiſſet, ſed poſtea in cruce. Manifeſtum igitur eſt, ex ipſis Cœnæ uerbis, q̄ Chriſtus non obtulerit in Cœna corpus & ſanguinem ſuum Deo Patri, ad expianda peccata noſtra, ſed potius q̄ obtulerit pane & uino corpus & ſanguiuem ſuum conuictoribus ſuis ad edendum & bibendum. Deinde addit: Hoc facite in mei commemorationem. Cum autem dicit: HOC facite, certe iubet hoc ipſum, quod ipſe fecit, & non aliud facere. Quid autem fecerit, iam dictum eſt. Accepit panem, gratias egit, diſtribuit, dedit diſcipulis, Accipite, inquiens, comedite, hoc eſt corpus meum. Accipiamus igitur & nos panem, non ut ſacrificemus pro peccatis uiuorum & mortuorum, ſed ut gratias agamus Deo, & diſtribuamus Eccleſiæ ad edendum pane corpus Chriſti. Nec ſimpliciter dicit: Hoc facite, ſed addit, in mei commemorationem. Quæſo ergo te, quid eſt, Mei commemoratio? Num eſt Corporis & ſanguinis mei ſacrificium? Nihil certe

certe minus. Qui enim statuerat semel tantum corpus & sanguinem suum pro peccatis nostris Deo patri in cruce offerre, & unica oblatione expiationem peccatorum, absoluere, non instituit frequentes in Cœna oblationes & sacrificia, ne hoc ipso significaret, unicam suam oblationem in cruce, non fuisse satis sufficientem peccatorum expiationem. Sic enim Epistola ad Hebræos de Leuiticis hostijs argumentatur, quòd ideo singulis annis repetitæ sint, quia non potuerint accedentes perfectos reddere. Quare si Christus instituisset in Cœna sua sacrificium pro peccatis semper in Ecclesia repetendum, quid aliud iudicari posset, quàm quòd sacrificium in cruce semel peractum non fuisset perfecta pro peccatis nostris coram Deo Patre satisfactio?

Christi cõmemoratio quid sit.

Hebræ. 10.

Sed quid uere sit illud, quod dicit Christus, Hoc facite in mei commemorationem, Paulus, Apostolus ille, qui institutionem Cœnæ à Domino ipso accepit, tam perspicue interpretatur, ut qui ex uerbis eius sententiam huius dicti non intelligit, plane cœcatus & stupidus sit, necesse est. Postquam enim recensuit uerba Christi, Hoc facite in mei commemorationem, mox subiungit interpretationem eorum, & ait, Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini adnunciat e, donec uenerit. Commemoratio igitur Christi, ad quam faciendam Christus Cœnam suam instituit, interprete Paulo, hoc est, organo Spi-

ritus ſancti, nihil aliud in præſentia eſt, quàm ad-
nunciatio mortis Chriſti. Hoc etſi pauciſſimis dici-
tur, tamen, quæſo te, diligentius cogites, quàm late
Mors Chri ſti quid ſit. pateat. Mors enim Chriſti, quid eſt, niſi expiatio
peccati, placatio iræ Dei, reconciliatio humani ge-
neris cum Deo, uictoria mortis, & abolitio poteſta-
tis Satanæ? Hæc enim omnia mors Chriſti effecit.
Rom. 5. Reconciliati ſumus Deo, inquit Apoſtolus, per mor-
2. Cor. 15. tem Filij eius. Et iterum: Mortuus eſt pro pecca-
tis noſtris. Et ad Hebræos: Per mortem aboleuit
eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabo-
lum. Et quia Chriſtus non tantum mortuus eſt, ue-
rumetiam reſurrexit à mortuis, nec ſibi tantum re-
ſurrexit, ſed ſicut nobis mortuus eſt, ita & nobis
reſurrexit, ut nos unà cum ipſo conuiuificaret, &
ſimul cum ipſo ſedere faceret inter cœleſtes, quem
Ephe. 2. admodum Paulus loquitur, idcirco mentione mor-
tis Chriſti comprehẽditur etiam Reſurrectio eius à
mortuis, & beneficium, quod Reſurrectione ſua in
nos contulit. Sicut enim mors eius eſt expiatio pec-
cati noſtri, & placatio iræ Dei, ita & Reſurrectio
eius, eſt iuſticia noſtra, & gratia Dei, qua Deus
credentes in Chriſtum ita complectitur, ut reputet
eos unam carnem & unum ſanguinem cum Chri-
ſto filio ſuo, & adoptet eos in filios, & cohæredes
Chriſti, ut unà cum ipſo accipiant hæreditatem
cœleſtis regni.

Habes quid ſit mors Domini, & quid nomine
mor

mortis Domini contineatur. Cogita nunc mihi, quid sit Adnunciare. Nam adnunciare, non est sese in angulum domus proripere, & ibi clam secum, nescio quæ, mußitare, sed est aliquid alteri publice seu manifeste prædicare, & explicare, ut audiat, ut cognoscat, ut intelligat id quod adnunciatur. Cum igitur commemoratio Domini in cœna, sit, interprete Paulo, adnunciatio mortis eius, perspicuum est, quòd non sit, nisi publica prædicatio, & manifesta explicatio eorum beneficiorum, quæ Christus morte & resurrectione sua nobis impetrauit, uidelicet, quòd Christus effecerit morte & resurrectione sua, ut qui credunt in eum, fiant unà cum ipso caro & sanguis, fiant membra eius, et habeant remißionem peccatorum, reputentur iusti, sint adoptati filij Dei, & hæredes cœlestium bonorum, propter Christum. Adnunciare quid sit.

Ex his nunc clarißime patet, quòd Christus instituerit Cœnam suam, non in hunc finem, ut corpus & sanguis eius offerentur in ea Deo patri, ad expianda peccata uiuorum & mortuorum, sed ut Adnunciaretur & prædicaretur mors eius uiuis, ut cognoscant, quanta beneficia mors Christi credentibus in ipsum impetrauerit. Vnde & ueteres uocauerunt quidem Cœnam Dominicam, Sacrificium, non autem hoc sensu, quòd in ea offerantur Deo patri corpus & sanguis Christi, ad expianda peccata nostra, sed quòd in ea fiat publica Cœna quare dicatur sacrificiū.

blica mentio seu prædicatio unici illius sacrificij expiatorij, quod Christus semel pro nobis in cruce peregit.

Dices autem: An non & mors Christi prædicari potest, & beneficia eius explicari, etiam absque hac Cœna? Certe hoc & potest & debet fieri. Semper enim & publice & priuatim celebranda sunt beneficia Christi, & gratiæ ipsi agendæ. Sed hoc maxime omnium in cœna Domini fieri debet, propterea quòd Christus Cœnam suam in hoc instituerit, ut in ea conuictoribus suis corpus suum pane edendum, & sanguinem suum uino bibendum daret. Quare res ipsa exigit, ut explicetur quid morte corporis Christi, & effusione sanguinis eius sit effectum.

Cœna Dominica nõ sit priuata sacrificuli actio.

Ac profecto, necessario & aptissime coniunguntur in cœna Domini, dispensatio corporis & sanguinis eius, & adnunciatio seu prædicatio mortis eius. Nisi enim mors Domini prædicetur in Cœna, non est publica Domini cœna, sed priuata hominis actio, de qua, quia mussitando peragitur, dubites, num sit ioculatoria, an magica. Nam Christus instituendo Cœnam suam, instituit Sacramentum seu sigillum, quo singulis corpus & sanguinẽ suum, ac beneficia eorum offert, tradit, donat, & applicat, quæ adnunciatione & prædicatione Euangelij uniuersis promittuntur. Clare enim dicit: Accipite, edite, hoc est corpus meum. Et: Bibite ex

te ex eo omnes, hic est sanguis meus. Hic audis conuictoribus Christi Sacramento panis & uini dari, donari, & applicari, quod uerbo Euangelij publice omnibus promittitur, uidelicet, Credentes in Christum fieri cum ipso unam carnem & unum sanguinem, & habere in ipso remissionem peccatorum, & æternam uitam.

Nunc ergo considera, quæso, mihi, quàm impie mutent ac peruertant cœnam Dominicam hi, qui faciũt ex ea priuatam sacrificuli actionem, in qua sacrificulus offerat Patri corpus et sanguinẽ Christi, & applicet ea oblatione meritum Christi uiuis ac mortuis. Nã quoũ ad ministerium Ecclesiæ attinet, uera applicatio meriti Christi fit adnunciatione seu prædicatione Euangelij, et dispensatione cœnæ Dominicæ, ut quod prædicatione Euangelij publice uniuersis promittitur, hoc Sacramento panis & uini singulis sumentibus applicetur. Quod tum demum suum affert fructum, cum uera fide sumitur, quemadmodum paulo post dicemus. Quid autem sacrificuli Missarij? Primum, non adnunciant, non prædicant Ecclesiæ in priuatis suis Missis mortem Domini, imò quod horribilius est, prohibetur eis seueriter, ne uerba cœnæ Domini, quæ sunt ipsa mortis Domini adnunciatio & prædicatio, publice, & lingua uulgo nota recitent. Deinde ostentant tantum, non autem dispensant Ecclesiæ panem & uinum Cœnæ, sed ijs soli ipsi uescuntur.

Missariorũ sacrificulorum impietas.

Cum igitur plane ea in priuatis ſuis Miſsis faciunt, quæ cum uero modo applicandi pugnant, qua fronte audent iactare, ſe ſacrificio ſuo applicare meritum Chriſti uiuis ac mortuis?

Accedit & hoc, quòd ſicut Chriſtus non inſtituit, ut in cœna ſua offerantur Deo Patri corpus & ſanguis ipſius, ſed inſtituit, ut offerantur Eccleſiæ ad edendum & bibendum ea, & ut adnuncietur Euangelium de beneficijs mortis eius, ita non inſtituit in Eccleſia ſingulare genus hominũ, quod ad ſacrificandum corpus & ſanguinem ipſius conſecretur, & Miſſas expiatorias celebret, quod genus eſt ſacrificulorum Miſſariorum, Sed inſtituit miniſtros, qui doceãt Eccleſiam Euangelium Chriſti, & diſpenſent Sacramenta eius, uidelicet, Baptiſmum, & cœnam Dominicam, iuxta Chriſti ipſius ordinationem, ut Eccleſia Euangelio erudita, & Sacramentis in fide munita, honeſtam uitam in hoc ſeculo ducat, & in futuro, hæreditate cœleſtis regni fruatur. Sic enim dicit, cum emitteret Apoſtolos ſuos in orbem terræ: Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit &c. Iubet eos Euangelium prædicare, & quia Euangelio continetur Baptiſmus & cœna Dominica, iubet etiam eos Baptiſmum & cœnam Dominicam, iuxta Euangelij præſcriptum diſpenſare. Nulla hic fit uel Miſſarum, uel ſacrificiorum Miſſæ mentio. Et Paulus ſcribens ad Epheſios

Miſſarij ſacrificuli à Chriſto non inſtituti.

ſtos, recenſet uera genera miniſtrorum Eccleſiæ cap. 4. Dedit, inquiens, alios quidem Apoſtolos, alios uero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios paſtores ac doctores, ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filij Dei. Vides inter eos, qui inſtituti ſunt ad ædificandum corpus Chriſti, quæ eſt Eccleſia, nullum locum ſacrificulis Miſſarijs conceſſum. Quòd ſi hi fuiſſent à Chriſto inſtituti, & neceſſarij ad ædificationem corporis Chriſti, quæ eſſet illa Pauli uel ignorantia, uel obliuio, quòd eos in catalogo uerorum miniſtrorum Eccleſiæ non numeraſſet? Quare caueamus à Miſſarijs ſacrificulis, & à ſacrificijs eorum, audiamus autem ueros Eccleſiæ miniſtros, qui & Euangelium Chriſti adnunciant, & Sacramenta iuxta ordinationem Chriſti diſpenſant, ut miniſterio eorum Chriſtum recte cognoſcamus, & cognitione eius hæreditatem cœleſtium bonorum conſequamur.

Septimo, de Sanctificatione, ſeu Conſecratione, ut uocant, panis & uini in corpus & ſanguinem Chriſti, obſeruandum eſt, quòd etſi uerba, quibus Euangeliſtæ deſcribunt inſtitutionem cœnæ Dominicæ, omnino recitanda ſunt in Cœna, quia ſunt commemoratio ſeu prædicatio mortis Chriſti, quæ commemoratio in Cœna neceſſaria eſt, Panis & uini conſecratio.

& clare exponunt, quid nobis pane & uino in Cœna porrigatur, tamen non est imaginandum, quòd ipsa externa horum uerborum recitatio aut mussitatio detrahat de cœlo, quasi magica quædam incantatio, corpus et sanguinem Christi, & concludat ea intra species panis et uini: Sed sciẽdum est, q̃ hæc uerba significent quidem & doceant, corpus & sanguinem Christi, pane & uino in Cœna nobis dispensari, ipsa autem institutio, qua Christus initio Cœnam ordinauit, & Ecclesiæ utendam mandauit, adhuc hodieq; durat, ac sanctificat panẽ & uinum in corpus & sanguinem eius, quoties ad celebrandam Cœnam, in nomine eius conuenimus, & mortem ipsius adnunciamus.

Nam quemadmodum hoc uerbum, quod Deus initio dixit, Germinet terra herbam uirentem, & lignum pomiferum, non sic transijt, sicut hominis uerbum transire solet, sed adhuc sonat in terra, & efficit singulis annis, & suis à Deo definitis temporibus ac medijs, omnia ea, ad quæ efficienda initio ordinatum fuit: Ita et hoc uerbum, quod Filius Dei de pane & uino in prima Cœna dixit: Edite, hoc est corpus meum, Bibite, hic est sanguis meus, nondum diuturnitate temporis obsoleuit, sed adhuc semper, etiamsi non secundum literas & syllabas illas recitetur, efficax est in Cœna, quoties ad sumendam Cœnam in nomine eius conuenimus & mortem eius adnunciamus. Et sicut aqua tunc ad baptis-

baptiſmũ conſecrata eſt, cum et Chriſtus ipſe baptiſatus eſt, & iußit Apoſtolos baptiſare in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Nunc autem, cum baptiſmus datur, non fit noua aquæ conſecratio, ſed fit tantum prioris conſecrationis reuelatio & uſus, ita & tunc panis & uinum ſanctificata ſunt in corpus & ſanguinem Chriſti, cum Chriſtus cœnam in ea nocte, qua traditus eſt, inſtituit, Nunc autem, cum cœna Domini celebratur, non fit noua ab homine ſanctificatio, ſed reuelatur prior ſanctificatio, & transfertur in eum uſum, ad quem Chriſtus ordinauit. Quare cum audimus in Cœna uerba inſtitutionis Cœnæ recitari, referamus nos cogitatione noſtra ad primam cœnam Chriſti, & ſciamus ab ea omnem ſanctificationem in noſtram hanc præſentem Cœnam diuina ordinatione deriuari.

Octauo, faceſſant à ſpirituali hac, & cœleſti Cœna nimis craſſæ & carnales cogitationes, quibus imperiti hypocritæ commenti ſunt conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & ſubſtantiæ uini in ſanguinem Chriſti. Chriſtus enim porrigens panem, non dicit, Ego muto ſubſtantiam huius panis in corpus meum, ſed dicit, Hoc eſt corpus meum, ſignificans ſe hoc pane, quem porrigit, corpus ſuum ſumendum offerre. Vnde & Paulus relinquit ei Panis nomen, etiam poſtquam in cor-

Tranſubſtantiationis error.

pus Christi sanctificatus est. Quotiescunque, inquiens, comederitis panem hunc, Et mox: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat. Sicut enim aqua non esset idoneum sacramentum regenerationis in Baptismo, si non maneret uera substantia aquæ, ita panis in cœna Dominica non esset idoneum sacramentum corporis Christi, si non remaneret etiam post Sanctificationem uera substantia panis. In Actis Apostolicis conferunt Apostoli Samaritanis Spiritum sanctum impositione manuum, & tamen non fuit necesse, ut substantia manus conuerteretur in Spiritum. Quòd si quis tale quid fingeret, quid eò uanius esset? Sic nulla plane est uel necessitas uel utilitas, ut sine ullo certo uerbo Dei, in Cœna fingatur, substantiam panis mutari in corpus Christi, & remanere tantum ibi accidentia panis, præsertim cum corpus Christi sit in Cœna, non ut reponatur aut circumferatur ad adorandum, sed ut dispensetur, & sumatur ad mortem Christi commemorandam, & ad fidem confirmandam, atq; ad gratias Deo pro beneficijs suis agendas. Quare fugiamus uanissimas illas hypocritarum nugas de conuersione substantiæ panis in corpus Christi, & retineamus simplicem ac ueram sententiam de cœna Dominica, ut et uerum fructum eius capiamus.

Atq; hæc quidem dicta sunt de cœna ipsa Domini

mini, & de ministerio dispensandæ Cœnæ. Nunc erit etiam dicendum de ijs, qui Cœnam Domini accipiunt. Paulus enim de Cœna scribens, Quisquis ederit, inquit, panem hunc, aut biberit de poculo DOMINI, INDIGNE, reus erit corporis & sanguinis. Et mox: Qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi ipsi edit ac bibit non dijudicans corpus Domini. Et addit: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Quid ergo faciendum, ut probemus nos, & non indigne sumamus cœnam Domini? Hic iterum ad institutionem cœnæ nos referamus, necesse est. Christus enim instituendo Cœnam suam, duo præcipue fecit. Alterum est, quòd concionatus sit de morte sua. Alterum, quòd distribuendo panem & uinum, tradiderit discipulis corpus & sanguinem suum sumendum. Et hæc quidem etsi paucissimis confici & absolui uidentur, sciamus tamen ea esse testamentum Filij Dei, & comprehendere summam totius Euangelij, unà cum cœlesti suo Sigillo, adeoque Christum in hac Cœna patefacere, & donare Discipulis suis uniuersum bonorum suorum thesaurum. Cum enim de corpore suo concionatur, quod detur pro ipsis, & de sanguine suo, quòd effundatur pro ipsis in remissionem peccatorum, ac præterea hoc corpus & hunc sanguinem suum pane et uino edendum ac bibẽdum tradat, quid aliud facit

De sumentibus Cœnã Dominicã.

Christus in institutione Cœnæ quæ præcipue fecerit.

facit, quàm quòd teſtificetur, ſe morte ſua expiare peccata ſuorum, & placare iram Dei, ut non ſolum habeant peccatorum remiſſionem, & reputentur coram Deo iuſti, uerumetiam fiant caro & ſanguis eius, & adoptentur in filios Dei, ut ſint unà cum ipſo hæredes omnium cœleſtium ſuorum bonorum? Nec hæc ad Apoſtolos tantum, qui tum præſentes erant, ſed etiam ad uniuerſam Eccleſiam pertinent. Cum enim Chriſtus de ſanguine diceret: Qui pro uobis, addit & hoc: PRO MVLTIS, uidelicet, non pro Iudæis tantum, ſed etiam pro Gentibus, ex quibus Eccleſia colligenda erat, effunditur. Deinde iubet hanc ſuam Cœnam propagare ad omnem Eccleſiæ poſteritatem, ut memoria, ſeu prædicatio mortis ſuæ & beneficij eius conſeruetur in Eccleſia uſque ad nouiſſimum diem. Hoc facite, inquiens, in mei commemorationem, uidelicet, ut beneficium mortis meæ conſeruetur ſemper in Eccleſia, & propagetur ad poſteros. Exigit enim prædicationem & celebrationem mortis ſuæ in Cœna, non propter ſe, quippe qui humanis prædicationibus & laudibus nihil iuuatur, ſed propter Eccleſiam, ut quæ præſens eſt, accepto ſuo fructu è cœna, tranſmittat eam ad poſteritatem. Cum igitur Chriſtus ea, quæ nunc expoſuimus, faciat in cœna, conſideremus ex ipſis, quid nobis faciendum ſit, ut probemus nos, & ut Cœnam hanc non indigne accipiamus.

Ac

Ac primum, audimus in concione cœnæ, quòd Christus dederit pro nobis corpus suum, & effuderit ad expianda peccata nostra sanguinẽ suum, adeoq; tradiderit seipsum in mortem, ut placaret iram Dei, propter peccata nostra. Hæc autem concio manifeste admonet nos de magnitudine et grauitate peccatorũ nostrorum. Quanta enim, putas, ea esse peccata, quæ nemo alius, præterquã Filius ipse Dei, suo ipsius sanguine potuit expiare? Et quanta est hæc ira Dei aduersus peccata, quam nemo alius, præterquam Filius ipse Dei morte sua potuit placare? Extant quidem multa alia argumenta, quibus declarauit Deus iræ suæ grauitatem aduersus peccata. Exempli gratia: Electio hominis è Paradiso, in omnia genera afflictionũ, Diluuium, incendium Zodomiticum, Babylonica uastatio, urbis Hieruſalem, & id genus alia. Sed nullum est illustrius argumentum grauitatis iræ Dei aducrsus peccata, quàm quòd Deus ad remittendam iram suam, ne unigenito quidẽ Filio suo pepercerit, sed tradiderit eum ad expianda peccata, in crucis, hoc est, grauissimi et probrosissimi generis mortẽ. Quare ut probemus nos, & cœnam Domini digne accipiamus, primum omnium agnoscẽda sunt peccata nostra, agnoscenda est grauitas iræ Dei, agnoscendum est, quòd propter peccata nostra meriti simus, non tantum corporalia, sed etiam æterna supplicia, ut incipiamus peccata odisse

Peccatorũ magnitudo & grauitas.

Cœnã Domini sumere uolentes quomodo se ipsos probent.

se & fugere, ac excitemur ad quærendam ueram peccatorum remißionem. Itaq; nec hypocritæ qui existimant se uel non habere peccatum, uel non esse propter peccatũ æterna damnatione dignos, nec impœnitentes, qui non afficiuntur uel grauitate peccati, uel minis iræ Dei, sed pergunt impudenter peccare, non probant seipsos, & si sumpserint cœnam, sumunt eam indigne. Deinde, concio cœnæ est concio Euangelij, quod Christus non solum expiauerit corpore & sanguine suo peccata nostra, & reconciliauerit nos cum Deo Patre suo, sed etiam donet nobis corpus & sanguinem suum, ut fiamus cognati & consanguinei aut uterini, ut ita dicam, fratres ipsius, & accipiamus una cum ipso cœlestem hæreditatem. Euangelium autem, cuius hæc concio epitome est, exigit fidem, & accipiendum est fide. Pœnitentiam, inquit Christus apud Marcum, agite, & credite Euangelio. Et aliàs: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, uidelicet Euangelio, Saluus erit.

Quare ad probandos nos ipsos, & ad digne sumendam cœnam Dominicam, non solum agnoscenda est grauitas peccati nostri & iræ Dei aduersus peccata, sed etiam adhibenda est fides Euangelio Christi, quod in Cœna adnunciatur, ut credamus & corpore & sanguine Christi peccata nobis expiata esse, & nos corpore & sanguine

guine Christi donari, quo fiamus uera membra Christi, & participes cœlestis eius hæreditatis. Vnde iterum, nec hypocritæ, nec scelerati impœnitentes, si sumpserint Cœnam Dominicam, digne eam sumunt, propterea quod illi non credunt se propter Christum, ex gratia, sed propter opera sua, ex meritis, habere peccatorum remissionem, Hi autem, quia ambulant secundum carnem, & obsequuntur cupiditati carnis, destituti sint tam Christo, quàm fide in Christum. Soli autem pœnitentes, & credentes Euangelio, digne accipiunt cœnam Domini. Hi enim soli probant seipsos, dum & peccata sua agnoscunt, & quærunt in solo Christo filio Dei remissionem peccatorum suorum per fidem.

Sciamus ergo nunc, quid utilitatis capiant hi, qui cœnam Domini digne, hoc est, ex pœnitentia, in agnitione peccati, & fide remissionis peccati propter Christum, accipiunt. Hoc facile intelligi potest, si consideraverimus, quid inutilitatis, quid damni, quid supplicij accidat ijs, qui cœnam Domini sumunt indigne. Dicit igitur Paulus: Quisquis ederit panem hunc aut biberit de poculo Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Et mox: Qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi ipsi edit & bibit. Hinc sequitur, quòd qui ederit ac biberit DIGNE, particeps erit bonorum corporis & sanguinis Christi, & edit ac bibit

Digne sumi cœnam dominicam, quid.

sibi

ſibi ſalutem. In corpore enim Chriſti & ſanguine eius eſt peccatorum expiatio, iuſticia, uita, & æterna ſalus. Quare qui corpus et ſanguinem Chriſti DIGNE *edit ac bibit, accipit peccatorum remiſſionem, iuſticiam, et ſalutem æternam. Quibus bonis, quid poteſt maius aut excellentius cogitari? Nam his continetur adoptio in filios Dei, et hæreditas cœleſtis regni.*

Quid ergo dicemus? Num ſumptio cœnæ Dominicæ, ſua per ſe actione, tantæ eſt dignitatis, ut mereatur cœleſtem hæreditatem? Nihil certe minus. Alioqui enim & hypocritæ & ſcelerati impœnitentes, fierent ex ipſa cœnæ ſumptione hæredes cœleſtis regni. Sed ſentiendum eſt, quòd per huius cœnæ uſum ſeu ſumptionem, fides in Chriſtum, qua antea quidem adoptati ſumus in filios & hæredes Dei, ſed quæ paulo eſt infirmior & imbecillior, ita certificetur & confirmetur, ut tum primum ius cœleſtis hæreditatis accipere uideamur, & cœleſtibus bonis in animo noſtro ſenſibiliter frui incipiamus. Nam in cœna nõ ſolum prædicatur Euangelium de morte Chriſti et beneficijs eius, uerumetiam dantur & donantur nobis ſigillo panis & uini, corpus & ſanguis Chriſti, ut in cœna non ſit ſimplex & nuda prædicatio Euangelij, ſed quæ uiſibili Sacramento comprehendatur, & ſacro Sigillo nobis applicetur. Non eſt autem obſcurum, quòd Euangelium ſit organum ſeu inſtru-

instrumentum Spiritus sancti, quo effundat in nos dona sua, & conferat in nos fidem & omnem salutem. Euangelium, inquit Paulus, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et iterum: Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Ac rursus: Per Euangelium ego genui uos in Christo Iesu. 1.Cor.4. Et alias dicit, Galatas accepisse Spiritum non ex operibus legis, sed ex prædicatione fidei: quibus uerbis manifeste significat prædicationem Euangelij esse organum, quo Spiritus sanctus conferat dona sua in Ecclesiam Christi. Et in Actis Apostolicis, cum Petrus Gentibus adhuc loqueretur, (Loquebatur autem Euangelium Christi) cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Gala.3. Act.10.

Etsi enim hæc intelligenda sunt de admirandis donis Spiritus sancti, quæ & in die Pentecostes, in Apostolos collata erant, tamen hæc miracula in hunc præcipue usum ædita sunt, ut prædicatio Euangelij consecraretur & confirmaretur in organon, quo Spiritus sanctus conferret in nos ea cœlestia dona, quæ nobis ad ueram & æternam salutem sunt necessaria, qualia sunt, fides, spes, patientia, obedientia, constantia, caritas, & innumera alia. Quòd si simplex prædicatio Euangelij tanti usus est, ut Spiritus sanctus per eam regeneret, non renatos, & faciat credentes eos, qui non credebãt, qui fieri posset, quòd idem per eam, non iam sim-

plicem & nudam, sed sacro Cœnæ Dominicæ sigillo comprehensam & applicatam, renatos in renascentia, & credentes, in fide non confirmaret & non stabiliret?

Etsi enim donati sumus Fide, & renati sumus per fidem, tamen ea fides uarias habet tentationes, quibus concuti, labefactari & infirmari solet. Aliàs, grauis est paupertas, aliàs molestus est morbus corporis, aliàs onerosa est ignominia, aliàs irruit horror mortis. Quibus sollicitamur, ut existimemus nos Deo non esse curæ, & nos à Deo abiectos esse. Quod certe est fidem concutere, & imbecilliorem reddere. Sed quod maximum est, si quando reuelantur in nobis magnitudo peccati, & grauitas iræ Dei propter peccata, tunc tantæ tenebræ nobis ob oculos mentis suffundi solent, ut paululum absit, quin fides omnino extinguatur. Institutа est igitur Cœna Dominica, ut usu eius fidem de remissione peccatorum propter Christum, et de cura Dei patris erga nos in omnibus aduersis, confirmemus, & accendamus.

Quare etsi Cœna Dominica non implet pauperis marsupium pecunia, nec affert è Pharmacopolio externam in morbo medicinam, nec collocat hominem in throno Regio huius mundi, nec confert morti destinato corporalem uitam, nec donat alia corporalia bona, tamen quia aduersa, quæ nobis in hoc seculo accidunt, admonent nos pec-

peccati, & incutiunt nobis metum, ne propter peccatum simus à Deo abiecti, ac perpetuo damnati. Cœna autem Dominica, reddit nos certiores de Remißione peccati, & de æterna salute propter Christum. Idcirco properandum est in omnibus aduersis siue corporalibus, siue spiritualibus ad utendam Cœnam Dominicam, ut per eam in fide corroborati, cœlestem consolationem accipiamus. Quid enim, si ex Cœna certitudinem fidei & spiritualem consolationem reportaueris, tibi defuturum est, etiamsi mundana omnia tibi defuerint? Non reportas ex Cœna marsupium pecunia plenum, sed reportas mentem Christo, filio Dei, uidelicet thesauro omnium cœlestũ bonorum, plenam. Non accipis medicinam in morbo corporalem, sed accipis medicinam cœlestem. Non collocaris in throno Regni mundani, sed collocaris in throno regni cœlestis. Nõ retines ex sumptione Cœnæ uitam corporis in hoc mundo, sed retines uitam animæ in mundo æterno. Quid plura? Certificat te Cœna, quòd Deus prosequatur te propter Christum filium suum tanto fauore, ut & te agnoscat suum filium, & fecerit te Christi filij sui cohæredem. Quid nunc tibi à Deo in tãtam gratiam recepto deesse poterit? Si enim Deus, qui nunc te paterno affectu complectitur, uiderit te aliqua etiam corporali re, ad salutem tuam opus habere, teneri non potest, quin & hoc beneficium in te

conferat. Nam cum potentia eius tibi non sit ignota, quid est, quòd nunc cum tibi Cœna Filij eius sumenda proponitur, de uoluntate eius adhuc dubites? Speras fortaßis te magnam & robuſtam fidem concepturum, ſi Deus mitteret tibi è cœlo Angelum, aut excitaret ex mortuis Patriarcham, uel Prophetam, uel Apoſtolum aliquem, qui te coràm alloqueretur, & promitteret tibi nomine Dei remißionem peccatorum, & hæreditatem cœleſtis regni. At in Cœna, Chriſtus ipſe filius Dei non ſolum coràm te alloquitur, ſed etiam paſcit te ſuo corpore, & potat te ſuo ſanguine, ut certus fias, te eiuſdem cum ipſo carnis & ſanguinis, ideoq; cohæredem eſſe. Quòd ſi ex hoc alloquio non concipis fidei certitudinem & fortitudinem, nihil certè te iuuaret, etiamſi Angelus de cœlo, aut Prophetа quiſpiam, uel Eſaias ipſe aut Hieremias ex mortuis reſuſcitatus tibi Euangelium coràm concionaretur.

Quare aſſuefaciamus nos ad cœnam Dominicam frequenter & digne utendam, ut confirmata per eam fide, impleamur Spiritu ſancto, & fruamur ijs beneficijs, quæ Chriſtus nobis corpore & ſanguine ſuo accipienda tradit.

Sed quid turpius, quid fœdius ingratitudine? Poſtquam igitur diſcedis à Cœna, paſtus corpore Chriſti, & potatus ſanguine eius, memineris officij tui eſſe, ut gratum te erga tantum benefactorẽ de-

declares. Ac ſiquidem generali dicto officium gratitudinis indicandum eſt, declarabis te tum gratū, cum id præſtiteris, quod Chriſtus apud Iohannem cap. 5. ad eum, qui ex morbo, quo triginta & octo annos laborauerat, ſanitati reſtitutus erat, dixit, Ecce ſanus factus es, Ne poſthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Filio Dei quam debeamus gratitudinem.

Si autem libet partes officij gratitudinis aliquo modo explicare, primum, id præſtes Filio Dei, quod iubet ipſe facere eum, à quo apud Lucam dæmonia eiecerat. Redi, inquiens, in domum tuam, & narra quæcunque fecerit tibi Deus. Poſtquam enim accipimus à Deo propter Filium eius Ieſum, maiora beneficia, quàm quæ rependere queamus, celebranda & commendanda eſt à nobis immenſa eius bonitas & clementia, & exponenda eſt filijs noſtris, ut cognoſcat, quemadmodum Pſalmus ait, generatio altera, filij qui naſcentur, & exurgent, ut et ipſi narrent ſuis filijs, ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Sic & alius Pſalmus recipit ſe pro immenſis beneficijs Deum laude celebraturum. Ego ſum, inquiens, pauper & dolens. Salus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo ſuper uitulum nouellum, cornua producentē & ungulas. Deinde, cum ex uno pane, ut Paulus ait, omnes participamus, & unus panis, unum cor-

Lucæ 8.

Pſal. 77.

Pſal. 68.

1. Cor. 10.

pus multi sumus, excitemur ad mutuam inter nos caritatem & concordiam, ut idem sit affectus in
Phil. 2. nobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cum esset in forma Dei, coniecit se ad redimendos homines in humanas imbecillitates, adeoq; in mortem crucis.
1. Iohan. 4. Etsi Deus sic nos dilexit, ut miserit Filium suum, propiciationem pro peccatis nostris, debemus & nos, ut Iohannes ait, mutuo diligere, idq; non uerbo tantum, non lingua tantum, sed opere & ueritate.
1. Iohan. 3. Quæ gratitudinis officia, si præstanda susceperimus, non solum conseruabimus accepta beneficia, uerumetiam excitabimus Deum, ut beneficia beneficijs cumulet, & nos cœlesti ac æterna gloria ornet.

DE CLA-

DE CLAVIBVS REGNI COELORVM.

NEceſſarium eſt, ut poſtquam præcipua capita Catechiſmi perſtrinximus, doceamus iuuentutem etiam de Clauibus regni cœleſtis recte ſentire, Nam ignorantia ueræ de his Clauibus ſententiæ, peperit multiplices in Eccleſia errores. Cum enim Chriſtus apud Matthæum promittit ſe daturum Petro claues regni cœlorum, ut quicquid alligat in terra, ſit & in cœlo alligatum, & quicquid ſoluit in terra, ſit & in cœlo ſolutum, interpretantur nonnulli, quòd nomine harum Clauium conceſſa ſit Romanis Pontificibus tam libera & abſoluta poteſtas, ut quicquid pro ſuo arbitrio ſtatuerint, hoc ſit ut cœleſte oraculum ab uniuerſa Eccleſia agnoſcendum. Tribuunt & hoc eis, ut poßint non ſolum in his terris Reges & regna pro ſuo arbitratu conſtituere, uerumetiam in cœlis, alios, quos libet, beare, alios, quos uiſum eſt, perpetuo damnare.

Hic error, cum & contumelioſus ſit in Chriſtum, & obſcuret miniſterium Euangelij, quod eſt uera Clauis regni cœlorum, quemadmodum pau-

paulo post explicabitur, merito corrigendus est, & ex Ecclesia profligandus. Sunt alij, partim superstitione, partim omnium diuinarum rerum contemptu ita cœcati, ut sentiant se, etiam sine harum Clauium usu, posse in regnum cœlorum intrare. Quare necessaria est pia doctrina de his Clauibus, ne si ueram earum rationem ignoremus, statim in ipsa ianua à cœlesti regno aberremus.

Huc accedit, quòd Euangelium remissionis peccatorum propter Christum, non sit publice tantum in Ecclesia, sed etiam priuatim unicuiuis pœnitenti & petenti adnunciandum, quam adnunciationem uocant Absolutionem. In doctrina autem de Clauibus ostendi solet, quæ sit uis, aut quis sit uerus usus Absolutionis. Ostendi item solet, quòd pœnitentes recipiantur à Deo in gratiam. Quare doctrina de Clauibus etiam hoc nomine necessaria est, ut discamus pie & recte de pœnitentia & de Absolutione sentire.

Doctrina de Clauib. quid tradat.

Q.

Quæ sunt Claues regni cœlorum?

R.

Ministerium seu prædicatio Euangelij de Iesu Christo.

SICVT magnum est discrimen inter regnum terrenum, & inter regnum cœleste, ita magnum est

est discrimen inter claues huius & illius regni: Nam si quis principum cupiat sibi aditum & fores ad mundanum regnum patefacere, fortem militum exercitum, & multa bellica tormenta habeat necesse est. Hæ sunt claues, quibus mundanorum regnorum portæ aperiri solent. Longe autem aliæ sunt claues, quibus porta regni cœlestis aperitur. Hæc enim porta non aperitur externis regum exercitibus, aut armis, sed aperitur Ministerio prædicandi Euangelij de Iesu Christo. Nec est aliud, præter hoc ministerium, in terris institutum ac ordinatum, quo Spiritus sanctus portam cœlestis regni patefacit. Quare præter doctrinam Euangelij de Iesu Christo, non sunt aliæ huius regni claues dicendæ. Quod ut recte intelligamus, cognoscendum est, quod sit ostium, quæ sit porta aut ianua cœli, ut ex eo, etiam quæ sint cœli Claues cognoscamus.

Quod igitur sit cœlestis regni ostium, Christus ipse apud Iohannem cap. 10. perspicue docet. Ego, inquiens, sum ostium, Per me si quis introierit, seruabitur. Vnde & in Gene. cap. 28. cum Iacob uidisset in somnis scalam attingentem cœlum, & angelos Dei ascendentes ac descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, quæ est reuelatio gloriæ & maiestatis Christi, sicut manifeste apud Iohannem cap. 1. declaratur, exclamat: Quàm terribilis est, inquiens, locus iste. Non est hic aliud ni-

Regni cœlestis ostiū.

Scala cœli Christus.

si domus Dei, & porta cœli, significans uidelicet Christum, per scalam adumbratum, esse uerum Dominum Deum, & portam cœlestis regni. In Apocalypsi recensentur duodecim portæ cœlestis Hierusalem. Et tamen his portis, unus tantum Christus, qui solus est uera porta cœli, significatur, idq; hac ob causam, quòd sit prædicatione duodecim Apostolorum in toto orbe terrarum patefactus. Cum igitur manifestum sit, Christum filium Dei esse ostium & portam cœlestis regni, manifestum etiam erit, id demum huius Regni ueram & propriam Clauem esse, quod Christum aperit, explicat & illustrat. Aperitur autem et illustratur Christus prædicatione Euangelij sui. Nos non spiritum mundi, inquit Paulus, accepimus, sed Spiritum qui est ex Deo, ut sciamus, quæ à Christo donata sint nobis, Quæ & loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus. Si sermones, quos Apostoli loquuntur, ostendunt, & exponunt ea, quæ à Christo nobis donata sunt, certe aperiunt & illustrant Christum. Et alias: Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum, data est gratia hæc, ut inter Gentes Euangelizem imperuestigabiles diuicias Christi. Euangelium igitur aperit & patefacit Christum. Quid plura? Prædicatio Euangelij de Iesu Christo in hunc usum est initio patefacta, & in die Pentecostes maximis miraculis confirmata, ut patefaceret, reuelaret et illustraret

Clauis regni cœlestis.

1. Cor. 2.

ret Iesum Christum, ut & credentes in ipsum, ueram & æternam salutem consequeremur. Quare perspicuum est, hanc Euangelij de Christo prædicationem esse ueram illam Clauem, qua aperitur porta cœlestis regni.

Euangelij prædicatio Clauis est regni cœlorum.

Præterea, negari non potest, quin ea sit Clauis cœli, qua nobis patefit aditus ad reconciliationem cum Deo, & ad accipiendam æternam salutem. Hæc enim sunt cœlestis regni bona. Ostenditur autem & reuelatur nobis reconciliatio cum Deo, & eterna salus per ministerium prædicandi Euangelij de Iesu Christo. Omnia inquit Paulus, ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis Ministerium reconciliationis. Et aliàs: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Manifestum igitur est, quòd prædicatio Euangelij sit Clauis cœlestis regni.

Deniq; dubium non est, quin Claues regni cœlorum commẽdatæ sint à Christo Apostolis suis. Et si enim cum Christus apud Matthæum dicit: Tibi dabo claues regni cœlorum, nominatim alloquitur Petrum, tamen, quod ad Petrum dicitur, ad uniuersum Apostolicum ordinem pertinet, quemadmodum postea indicabimus. Quo autem alio officio, quo alio ministerio in his terris functi sunt Apostoli, quàm prædicando Euangelio Iesu Christi? Susceperant quidem initio, post Pentecosten, administrandas quoque terrenas facultates,

tes, quas pij in commune contulerant, sed cum ea administratio impedimento esset ministerio prædicandi Euangelij, statim se ab ea abdicarunt: Non est placitum, inquientes, ut nos derelicto sermone Dei, ministremus mensis. Et: Nos deprecationi, & administrando sermoni incumbemus. Ædiderunt etiam miracula, sed in hunc præcipue usum ea ædiderunt, ut his autoritas & ueritas Euangelij, quod de Iesu Christo prædicabant, confirmarentur. Egressi, inquit Marcus, prædicauerunt ubiq;, Domino cooperante, et sermonem confirmante per signa subsequentia. Quare cum Apostolis commendatæ sint à Christo Claues regni cœlestis, & manifestum sit, Apostolos, non alio, quantum quidem ad Apostolicam uocationem attinet, ministerio, præterquam prædicando Euangelio, functos esse, manifestum etiam est, quòd Claues cœlestis regni non sint aliæ, quàm ministerium prædicandi Euangelij de Iesu Christo.

Sed quis sit uerus harum Clauium & huius ministerij usus, etsi aliqua ex parte iam indicatum est, tamen postea pluribus explicabitur, cum ea dicta scripturæ, quibus institutio huius ministerij cõ probatur, perstrinxerimus.

Recitatæ è scriptis Euangelistarum aliquot dicta, quibus Iesus Christus instituit ministeriũ prędicãdi Euangelij.

R.

R.

Apud Lucam cap. 10. dicit Christus ad discipulos, quos ad prædicandum regnum Dei emittebat: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Et apud Matthæum cap. 16 Tibi dabo Claues regni cœlorum. Quicquid alligaueris in terris, erit alligatum in cœlis. Et quicquid solueris in terra, erit solutũ in cœlis. Et apud Iohannem cap. 20. Accipite Spiritum sanctum. Quorũcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.

Ministerij Euangelici institutio.

TRIA *recitantur dicta Christi, quibus ministerium prædicandi Euangelij instituitur, & auctoritas eius confirmatur.* Etsi *enim sunt & alia multa dicta, & hoc, quod apud Marcum ad Apostolos dicitur: Ite in uniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, unum sit è præcipuis testimonijs, quibus institutio huius ministerij comprobatur, tamen quia hoc dictum supra in Baptismo recitatum et explicatum est, uoluimus tribus illis dictis in præsentia contenti esse, ne longa testimo-*

ſtimoniorum recitatione Catechumenum à memoriter diſcendo deterreremus.

Primum eſt, Qui uos audit, me audit &c. Hac uoce multi abutuntur ad ſtabiliendam ſuam licentiam & tyrannidem in Eccleſia. Et addunt etiam illud apud Matthæum cap. 23. In Cathedra Moſi ſedent Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcunque iuſſerint uos ſeruare, ſeruate & facite. Quibus teſtimonijs exigunt, ut Eccleſia omnia ipſorum decreta & mandata pro diuinis oraculis agnoſcat.

Miniſtri Eccleſiæ quatenus audiendi.

Sciamus ergo, q̃ Chriſtus his dictis non tribuerit Apoſtolis & doctoribus Eccleſiæ, liberam poteſtatem quiduis, pro ipſorum arbitratu in Eccleſia docere, ſtatuere & mandare, nec ſignificauerit, omnia eorum uerba, pro uerbis Dei habenda eſſe. Neq; enim audis uerbum Dei ex Petro, cum increpat Chriſtum, & hortatur eum ne ſuſcipiat crucem, Propicius, inquiens, tibi ſis Domine, nequaquam erit tibi hoc. Aut cum in atrio Põtificis ait: Non noui hominem. Aut cum cogit gentes Iudaiſare, quemadmodum eſt in Epiſtola ad Galat. ca. 2. Nec audis uerbum Dei ex Iohanne & fratre eius Iacobo, cum apud Marcum dicunt ad Chriſtũ, Da nobis, ut unus tibi à dextris, et alter à ſiniſtris, ſedeamus in gloria tua. Aut cum apud Lucam di-

Luc. 9.

cunt: Domine, uis dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos, quemadmodum & Elias

fecit

fecit. Nec audis uerbum Dei ex Paulo & Barnaba, cum in Actis Apostolicis tam acris inter ipsos oritur contentio, ut alter ab altero seiungeretur. Act. 15.
Quare cum Christus dicit ad Apostolos suos: Qui uos audit, me audit, non approbat, nec consecrat quemuis sermonẽ eorum in uerbum Dei, Sed tantum ea approbat & commendat, quæ ex mandato & præscripto suo docent. Cum enim emitteret eos ad suscipiendum ministeriũ prædicandi, præscribit antea eis, quid prædicare, quid docere deberent. Profecti, inquiens, prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Et iterum: Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Quod DICO uobis, inquit Christus, & quod auditis, hoc prædicate, non quod uos ipsi excogitatis, aut somniatis. Et aliàs: Ite & prædicate. Quid? num quodcunq; uobis in mentem aut buccam uenerit? Nequaquam, sed prædicate Euangeliũ. Quod autem sit hoc Euangeliũ, Christus antea sæpe ac multum explicauerat. Et apud Iohannem cap. 14. Paracletus, qui est Spiritus sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia. Quæ omnia? Num quæcunq; ipsi excogitauerint? Nihil minus, Sed quæcunq; DIXI uobis. Vnde & Paulus ait, Si nos aut Angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelium præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quare

sen-

sentiamus tum nos audire ex Apostolis, & reliquis doctoribus Ecclesiæ, cœlestem ac diuinam uocem, cum adnunciant nobis Euangelium illud, quod est ipsis à Filio Dei Domino nostro Iesu Christo demandatum.

Idem dicendum est, de hoc dicto: In cathedra Mosi sedent Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque iusserint uos seruare, seruate & facite. Quæ? Num etiam cum dixerint, (quod est apud Matth. cap. 15.) Patri aut matri, quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum uertitur commodum? Aut cum coram Pilato de Christo uociferantur: Tolle, tolle, crucifige eum. Et: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia Filiũ Dei se fecit? Aut cum in Actis Apostolicis præceperunt Apostolis, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu? Nihil certe minus seruandum & faciendum erat. Sed tum demum audiendi sunt Scribæ & doctores, cũ sedent in cathedra Mosi, hoc est, cum docent ea, quæ Moses à Deo docenda accepit & præscripsit. Nam si sua somnia, contra Mosen aut Prophetas docuerint, iubet Christus eos cauere. Cauete, inquiens, uobis à Pseudoprophetis. Et, Videte & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Et ut certo sciamus hæc intelligenda esse de doctrina illorum, additur. Tunc intellexerunt, quòd non iussisset cauere à fermento panis, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.

Scribæ & doctores quando audiendi.

Matth. 16.

Sed

Sed quis, inquies, reddit nos certiores, quando Scribæ uere ſedent in cathedra Moſi, & quando doctores in Eccleſia uere docent Euangelium Chriſti? Sciamus igitur duo eſſe genera ſacræ Scripturæ, quemadmodum etiam ſupra indicauimus. Alterum genus dicitur Propheticum, Alterum Apoſtolicum. Hæc ſcripta ſunt uelut Lydius lapis, ad quæ omnis doctrina exigenda eſt. Ac prius quidem illud præcipue docet Legem, & promittit Chriſtum uenturum. Poſterius autem præcipue docet Euangelium, uidelicet, q. Chriſtus iam aduenerit, & cœperit ea implere, quæ antea de regno eius promiſſa erant. Etſi enim in priori ſcripto cotinentur & ſua Euangelia, hoc eſt, promiſſiones Dei, & in poſteriori continetur et ſua doctrina de lege Dei, imò ut dicamus quod res eſt, tam Prophetica quàm Apoſtolica ſcripta reſpiciunt maxime omnium in Ieſum Chriſtum, unicum ſeruatorem noſtrum, tamen quia illa promittunt Chriſtum uenturũ, hæc teſtantur eum iam aduenisſe, haud immerito facimus ex eis duo diuerſa genera ſcriptorum. Sunt autem ea cœleſtibus ac diuinis miraculis ita confirmata, ut qui de certitudine & ueritate ipſorum dubitat, aut ea damnat, habeat ſenſus uere à Satana excœcatos. Quantis enim miraculis illuſtres fuerunt Moſes & Prophetæ? Et hi tradiderunt nobis ſcripta Prophetica. Quantis itẽ miraculis illuſtris fuit Ieſus Chriſtus, & in nomine eius, Apoſtoli? Et per

Scripturæ ſacræ duo genera.

hos tradita nobis sunt Apostolica scripta. Quare si quod genus doctrinæ in Ecclesia proponitur, statim exigendum est ad hæc scripta, ut si conuenerit, agnoscamus, si autem cum ipsis pugnauerit, reijciamus, etiamsi Angelus doceret. Nec hoc tantum doctorum est officium, sed etiam cuiusuis pij in Ecclesia. Vniuersis enim dicitur, Cauete à Pseudoprophetis. Vniuersis dicitur: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et, Probate spiritus num ex Deo sint. Tametsi enim non omnes eruditi sunt in his scriptis secundum literam, tamen omnes in Christo uere renati & adulti norunt summam eorum sententiam, cum norunt Decalogum & Symbolum Apostolicum. Hæc enim sunt epitome scriptorum tam Propheticorum, quàm Apostolicorum, & paucissimis comprehendunt, quicquid in his scriptis late explicatur. Inuocemus igitur singuli, siue docti, siue indocti, Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut illustret Spiritu sancto suo mentes nostras, quo Decalogum & Symbolum Apostolicum recte intelligamus, & ad ea omnem doctrinam exigere ac probare sciamus.

Pontifices Ro. abutuntur Claub.

Secundum dictum extat apud Matth. 16. Dicit Christus Petro: Tibi dabo Claues regni cœlorum, Quicquid alligaueris &c. Abutuntur & hac uoce adulatores Romanorum Pontificum, & sentiunt, quòd his uerbis promissa sit Petro prærogatiua Clauium cœlestis regni, præ omnibus alijs Apostolis

postolis. Et quia sentiunt Romanos Pontifices esse successores Petri, existimant ijs quoque prærogatiuam harum Clauium, præ omnibus alijs Episcopis & Pastoribus à Christo concessam esse. Sed obseruandum est, quòd etsi Christus Petrum his uerbis nominatim alloquitur, tamen uult ea ad singulos Apostolos, imò & ad singulos Euangelij doctores ac ueros Ecclesiæ pastores pertinere. Cum enim Christus ueram de se confessionem interrogaret, non unum tantum Petrum, sed omnes Apostolos, qui tum præsto aderant, interrogauit: At uos, inquiens, quem me esse dicitis? Ac respondet quidem solus Petrus: Tu es Christus filius Dei uiuentis, non autem respondet solo suo nomine, sed nomine omnium collegarum suorum. Hæc enim non est unius tantum Petri, sed omnium Apostolorum confessio. Et quemadmodum Petrus in die Pentecostes, solus quidem primam habet concionem, in qua recitat præcipuos articulos fidei nostræ de Iesu Christo uere à mortuis resuscitato, & in dextra Dei collocato, hæc autem concio, non est solius Petri, sed omnium Apostolorum, qui & ipsi coram astabant, & ea, quæ Petrus commemorabat, testificabantur. Vnde & hi articuli fidei nostræ, dicuntur Symbolum, non Petri tantum, sed omnium Apostolorum: ita & hoc loco, unus quidem Petrus loquitur. Tu es, inquiens, Christus filius Dei uiuentis, sed quod loquitur, confessio est omnium Act. 2.

Apostolorum. Christus autem uicißim promittit Petro Claues regni cœlestis, non propter personalem Petri sanctitatem, cum paulò post uocet eum Satanam, sed propter huius confeßionis ueritatem, quæ & in se complectitur summam totius Euangelij de Christo. Quare promißio Christi ad eos quoq; pertinet, quos & Christus antea interrogauerat, & qui uoce Petri de Christo eadem confitebantur. Sed quid multis opus? Christus ipse postea in exhibendis his Clauibus exæquat inter se omnes Apostolos. Cum enim resurrexisset à mortuis, & restitueret Apostolos suo ministerio, è quo fuga & abnegatione exciderant, non ad unum tantum Petrum, sed ad omnes Apostolos dicit: Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis &c. Quare quod attinet ad Claues regni cœlorum, quibus homines coram Deo & ligantur & soluuntur, nulla est Petro, præ alijs Apostolis, data prærogatiua.

Clauium promißio non ad solũ Petrũ pertinet.

Sed uidendum nunc est, quid sit alligare, & soluere, quæ per Claues cœlestis regni efficiuntur. Quid enim? Num alligare est nouas Leges condere, quibus sanciatur, ut ea quæ diuina lege sunt iusta aut libera, fiant iniusta, & ligata, seu prohibita? Et, Soluere est pronunciare ea esse iusta & pia, quæ diuina lege iudicantur iniusta et impia? Negari non potest, quin ciuilis magistratus habeat ius condendarum legum, etiam in ijs rebus, quæ per se

Alligare quid.

Soluere qd.

sunt

sunt liberæ, aut indifferentes, ut publica conseruetur honestas et tranquillitas, Quibus etiam legibus obediendum est, non solum propter iram, ut Paulus loquitur, uerumetiam propter conscientiam. Cum autem hic fiat mentio, non de Clauibus terreni, sed cœlestis regni, nihil agitur hic de legibus ciuilibus, sed de legibus Regni cœlorum. In hoc igitur regno, quod est Ecclesia Dei, non licet cuiquam hominum, imo ne Angelorum quidem, condere leges, quibus, quod est diuina lege iustum, aut liberum, decernatur iniustum, & iniquum, et quod est diuina lege iniustum, ac prohibitum, decernatur iustum ac liberum. Neq; enim Christus ipse, talem sibi unquam potestatem, in ministerio suo, quo in his terris functus est, sumpsit. Multo minus eam Apostolis suis tradidit. Quare Ligare & Soluere in hoc loco, longe aliud quàm tales leges condere, significent, necesse est. Quid autem uere significent, haud obscure interpretatur Christus ipse, cum in die Paschæ dicit ad Apostolos: Accipite Spiritum sanctum, Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, Quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Hic enim clare significatur, q, Ligare sit Retinere peccata, Soluere autem sit peccata remittere. Quid ergo dicemus? Num Apostolis talis potestas concessa est, ut posint pro suo ipsorũ arbitrio, peccata cui uelint retinere aut remittere? Num si cui impio ethnico, et suæ idolatriæ adhuc dedito, di

xerit Petrus in terris. Ego remitto tibi peccata, ſolutus erit is Ethnicus in cœlis, & non amplius imputabuntur ei peccata? Aut ſi cui pio uiro adhibenti ueram fidem Euangelio dixerit Petrus: Ego retineo tibi peccata, retenta ei erunt? Nihil certe minus. Talis poteſtas non eſt à Chriſto conceſſa nec Petro, nec collegis eius, ut pro ipſorū libidine, quos uelint, aut in cœlo, aut in inferno collocēt. Sed commendat eis miniſterium prædicandi Euangelij de remiſſione peccatorum propter Chriſtum, ut qui accipiunt Euangelium fide, accipiant etiam peccatorum remiſſionem. Qui uerò contemnunt Euangelium incredulitate, alligentur, et peccata eis retinentur. Nam q; Chriſtus ait, Quicquid alligaueris, Et, Quorumcunq; remiſeritis peccata etc. prorſus nihil aliud eſt, quàm quod apud Marc. dicit, Ite in uniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit (uidelicet Euangelio) ſaluus erit, Qui uero non crediderit, condemnabitur. Quod ante uocauit Alligare & Soluere, ac Peccata retinere & remittere, hoc nunc uocat, Prædicare Euangelium, ut qui credit, ſaluus fiat, qui non credit, condemnetur. Quare Apoſtoli tunc alligāt, et ſoluunt homines, cum remittunt & retinent eis peccata. Tunc autem remittunt, ac retinent peccata eorum, cum prædicant Euangelion de Ieſu Chriſto, q; propter hunc ſolum habeamus peccatorum remiſſionē. Ex tali prædicatione alligantur, quotquot

quot non adhibent ei fidem. Soluuntur autem et accipiũt peccatorum remißionem quotquot huic Euangelio credunt, & Christum fide amplectuntur.

Quod ut rectius intelligatur, proponamus nobis Apoſtolica exempla. Vide mihi Petrum. Hic eũ acceperit unà cum collegis ſuis claues regni cœleſtis, ut alliget & ſoluat, ut remittat & retineat peccata, ecquando opportunius ac iuſtius debuit has Claues expedire, & eis uti, quàm in die Pentecoſtes, quo Spiritum ſanctum accepit? Amabo igitur te, conſidera mihi, quid Petrus eo die, quod quidem ad miniſterium & uocationem ſuam attinet, fecerit. Ecce autem tibi, concionatur Euangelium de Ieſu Chriſto, & poſtquam arguiſſet auditores ſuos peccati, & impietatis, quòd Ieſum interemiſſent, commemorat præcipuos articulos Symboli Apoſtolici de Ieſu Chriſto, & hortatur totam domum Iſraelis, ut eum Dominum ac uerum Meßiam agnoſcant. Deinde cum quidam auditores compungerentur corde, & quærerent uiam ſalutis, dicit Petrus: Delictorum pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſque ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remißionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Quid ergo dicemus? Num Petrus his concionibus, non eſt uſus Clauibus regni cœleſtis? Certe his eum uſum eſſe negari non poteſt. Et tamen non uidemus aliud eum egiſſe, quàm quod concionatus eſt Euangelium de Ieſu Chriſto, ac baptiſa-

ptiſauerit eos, qui ſermonem eius libenter acceperunt, in nomine Chriſti, in remiſſionem peccatorũ, ut hi quidem, qui crediderunt Euangelio, & baptiſati ſunt, abſoluti fuerint à peccatis ſuis, qui autẽ non crediderunt, alligati ſint in peccatis ſuis. Vnde & hortatur ſuos, ne ſequantur incredulorum & impiorum Phariſæorum exempla. Seruemini, inquiens, à praua iſta generatione. Soluere igitur ac Ligare, & Remittere peccata, ac Retinere, non eſt niſi prædicare Euangelium de Ieſu Chriſto, ut qui credit Euangelio, accipiat remiſſionem peccatorũ, qui autem non credit, alligetur in peccatis ſuis.

Et hæc quidem acta ſunt à Petro inter Iudæos. Conſideremus autem, quid etiam inter Gentes egerit, cum ſuſcepit ipſas ad cœleſte regnum uocandas & perducendas. Poſtquam enim iuſſus fuit à Cornelio ethnico, dicere, quæ mandata à Deo acceperit, concionatur de Ieſu Chriſto, et commemorat doctrinam, miracula, mortem et reſurrectionem eius, & poſtremo addit: Huic omnes Prophetæ, inquiens, teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Quo dicto fores cœleſtis regni gentibus ita patefactæ ſunt, ut non ſolum auditores huius Concionis ingreſſi ſint in cœlum, uerumetiam Spiritus ſanctus ſit e cœlo, ut ita dicam, egreſſus, & ceciderit ſuper eos, ac dederit eis, ut loquerentur uarijs linguis, ac magnificarent Deum. Quis igitur

Act. 10.

igitur negaret, uel hoc unum dictum Petri, clauem esse cœlestis regni? Et tamen non est nisi prædicatio de Christo, q; qui in ipsum credit, habeat peccatorum remißionem. Vide mihi etiam Pauli exemplum, qui etsi nõ continetur in catalogo duodecim Apostolorum, fuit tamen uerus Apostolus Christi, admirabili uocatione in Apostolum selectus. Hic cum in Antiochia Pisidiæ susciperet ianuam cœlestis regni aperiendam, & Iudæos à peccatis soluendos, concionatur Euangelium Christi, & addit: Notum sit uobis, uiri fratres, q; per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, Per hunc omnis qui credit, iustificatur. Qua Pauli concione factum est, ut alij quidem, qui credebant in Christum, soluerentur à peccatis, & haberent remißionem peccatorum, alij autem qui non credebant, alligarentur, et in peccatis suis retinerentur. Manifestum igitur est, q; Apostoli tunc utuntur Clauibus regni cœlorum, et soluunt ac ligant, cum concionantur Euangelium de Iesu Christo, quòd propter hunc solum habeamus peccatorum remissionem, Soluunt autem credentes, & ligant incredulos. Itaq; soluere ac ligare, & remittere peccata, ac retinere nihil aliud est, quàm prædicare Euangelium de Iesu Christo, ut qui huic credit, soluatur & liberetur, Qui autem non credit, ligetur, & in uinculis retineatur. Hinc & illud manifestum Act. 13.

est, quòd cum Christus promisit se daturum Petro claues regni cœlorum, ut quicquid in terris alligauerit, sit & in cœlo alligatum, & quicquid in terra soluerit, sit & in cœlo solutum, promiserit se instituturum prædicationem Euangelij sui, quòd ipse uerus sit Christus Filius Dei uiuentis, ut qui credit soluatur & saluus fiat, qui autem non credit, ligetur & condemnetur.

Tertium dictum extat Iohan. 20. Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunq; remiseritis peccata &c. Etsi autem hoc in declaratione prioris dicti satis explicatum uidetur, tamen perstringemus & nunc paucis, ut institutio ministerij prædicandi Euangelij nobis illustrior reddatur. Ac primũ considera mihi, quo tempore Christus hoc ad Apostolos suos dixerit. Obscurum autem non est, quòd non dixerit hoc in die Pentecostes, nec Apostoli, audito hoc uerbo, statim locuti sint uarijs linguis, sed dixerit hoc in die Paschæ, cum primum sese, post resurrectionem suam, Apostolis una congregatis reuelaret. Quare quòd dicit: Accipite Spiritum sanctum, non intelligit de admirandis illis donis Spiritus sancti, quæ effusa sunt in Apostolos in die Pentecostes, sed de alijs donis, uidelicet, de gaudio, de pace conscientiæ, post tantam animi mœsticiam & perturbationem, de certiori fide, post tantam dubitationem, ac pene desperationem, præsertim autem de ministerio Spiritus sancti,

li, quod est ministerium prædicandi Euangelij. Postquam enim Apostoli in passione Christi, alij abnegauerant Christum, alij fugerant, uidebantur omnes ex eo ministerio, ad quod antea uocati erant, excidisse. Christus igitur restituit eos statim in prima apparitione, ministerio suo, ut excitaret eos ad recipiendam pristinam Apostolatus uocationem, & ad ferendum testimonium de Resurrectione & Euangelio eius, in toto orbe terrarum. Vnde & addit: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Deinde, Remittere, & Retinere peccata, non est condere nouas leges, & exercere mundanam Monarchiam, nec est pro sua libidine alterum à peccatis absoluere, alterum autem in peccatis detinere, quemadmodum antea ostendimus, Sed est prædicare nomine Christi pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Quæ prædicatio tantæ est, autore Spiritu sancto, efficaciæ, ut omnibus ijs, siue Iudæis, siue Gentibus, qui credunt ei, remittantur peccata, omnibus autem ijs, siue Iudæis, siue Gentibus, qui non credunt ei, peccata retineantur. Sumus, inquit Paulus, Deo bona fragrantia Christi, in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt. His quidem odor mortis, ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam. In quauis igitur concione Euangelij remittunt Apostoli peccata, & restituunt iusticiã ac æternam uitam, ijs uidelicet, qui credunt Euangelio, reti-

Remittere & retinere peccata quid.

retinent autem peccata, & mijciunt æternam mortem ijs, qui non credunt.

Quæ cum ita se habent, non est nunc difficile de peruerso abusu, & de recto usu Clauium seu ministerij remittendi & retinendi peccata, iudicare. Sunt enim, qui sentiunt Ministerium remittendi & retinendi peccata, in manu & potestate Pontificum ac sacrificulorum ita collocatum, ut quando, & quibus uolunt, aut remittant aut retineant peccata. Nam existimant his thesaurum meriti Christi sic commendatum, ut sint αὐτοκράτορες dispensatores eius, & quemadmodum moriturus qui spiam commendat testamentarijs suis cistam plenam pecunia, ut post mortem ipsius distribuant eam pecuniam pauperibus, quibus ipsis uisum est, ita putant Christum tradidisse thesaurum meriti passionis ac mortis suæ Pontificibus ac sacrificulis eorum hac prærogatiua, ut liceat ipsis ex eo thesauro depromere, quantum uelint, & dispensare quibus, siue mortuis, siue uiuentibus, uelint, idq; nõ aliqua Euangelij commemoratione, sed tacita murmuratione Absolutionis, quam auditor aliquoties nec percipit nec intelligit. Sed hæc sententia merito est refutanda. Christus enim non commendauit Apostolis meritum passionis et mortis suæ, pro libero ipsorum arbitrio dispensandum, sed commendauit eis Euangelium suum omnibus gentibus prædicandum. Ite, inquiens, in uniuersum mundum,

Ministerij remittendi & retinendi peccata abusus.

dum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Quod officium Christus tam seueriter Apostolis commendauit, ut minetur eis abiectionem, nisi hoc præstiterint. Si quis, inquiens, in me non manserit, Iohan. 15. (hoc est) si quis uestrum deseruerit me, & Euangelium meum non adnunciauerit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Et Paulus, Si Euan- 1. Corin. 9. gelizem non est quod glorier. Necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, nisi Euangelizem. Nam si uolens hoc faciam, præmium habeo, sin inuitus, dispensatio commissa est mihi.

Ipsa autem Euangelij prædicatio, continet thesaurum meriti Christi, & non in hoc consistit, q Deus remittat peccata propter merita humanæ iusticiæ, aut propter pecuniam, quam Pontifices exigunt, sed q remittat ea, gratuito fauore, et clementia, tantum propter Iesum Christum Filium suum, unicum peccatorum expiatorem, his nimirum, qui credunt in Christum, ut etsi Apostoli prædicando Euangelio dispensant remissionem peccatorum, tamen ut auditor Euangelij capiat huius dispensationis fructum, magis in ipsius, quàm in Apostoli arbitrio situm sit. Si enim auditor accipit Euangelium fide, fruitur peccatorum remissione. Si autem reijcit incredulitate, retinetur & in peccatis suis. Oportet, inquit, prædicari nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in Luc. ult. omnes

omnes gentes. Iubet Christus prædicare peccatorum remißionem, non nomine humanorum meritorum, sed NOMINE SVO hoc est, gratuito, propter ipsius paßionem & mortem, qua peccata expiauit, & iram Dei placauit. Et Petrus: Huic omnes Prophetæ (inquit) testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

Act. 10.

Cum Petrus paulo ante dixisset, quòd Christus præceperit Apostolis, ut prædicarent populo, & testificarentur, hunc Iesum constitutum esse à Deo iudicem uiuorum & mortuorum, statim addit duo insigniter obseruanda, Alterum est, quòd remißio peccatorum contingat per NOMEN Christi, hoc est, non propter humanam iusticiam, sed tantum propter Christum. Alterum, quòd remißio peccatorum contingat indiscriminatim omnibus his, qui credunt in Christum. Et quidem allegat testimonium omniũ Prophetarum.

Remißio peccatorũ per quid et quibus contingat.

Quare cum in Euangelio Christi, quod Apostoli necesse habent prædicare, contineatur thesaurus meriti Christi, & donatio gratuitæ remißionis peccatorum, manifestum est, quòd & dispensatio eius thesauri non sit concessa libero arbitrio Apostolorum, multo minus Pontificum, & quòd qui non prædicant Euangelium Christi, etiamsi Apostoli, etiamsi Pontifices etiamsi Episcopi uo-

pi uocentur, non tamen sint dispensatores thesauri Christi, nec peccatorum uel remissores, uel retentores.

Sed postquam refutatus est, quantum quidem in præsentia satis uidetur, abusus Clauium, seu ministerij dispensandæ remißionis peccatorum, uideamus nunc, quis sit uerus & legitimus huius ministerij usus ac finis.

Ac primum, non est sentiendum, quòd sicut donum linguarum, & aliorum miraculorum fuit in Apostolis & aliquot alijs personale, & intercidit una cum personis ipsorum, ita & ministerium remittendi ac retinendi peccata, quod est ministerium prædicandi Euangelij, intercidit in Ecclesia una cum Apostolorum & συν χρόνῳ eorum personis, sed conseruatur & propagatur, diuina clementia & potentia, in Ecclesia, usque ad extremum huius mundi diem. Nam quæ miracula edita sunt per Apostolos in nomine Christi, in hoc sunt edita, ut ueritas Euangelij confirmaretur, & ministerium eius ad omnem posteritatem propagaretur. Non enim uoluit Christus tale ministerium instituere, quod esset tantum Apostolorum, sed quod esset totius Ecclesiæ usque ad consummationem seculi. Vnde quod ad Petrum nomine Apostolorum dicit, Quicquid alligaueris in terra &c. hoc idem postea ad Ecclesiam dicit: Amen dico uobis

Ministerij dispensandæ remißionis peccatorum uerus usus.

Matth. 18.

omnes gentes. Iubet Christus prædicare peccatorum remißionem, non nomine humanorum meritorum, sed NOMINE SVO hoc est, gratuito, propter ipsius paßionem & mortem, qua peccata expiauit, & iram Dei placauit. Et Petrus: Huic omnes Prophetæ (inquit) testimonium ferunt, quòd remißionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Act. 10.

Cum Petrus paulo ante dixisset, quòd Christus præceperit Apostolis, ut prædicarent populo, & testificarentur, hunc Iesum constitutum esse à Deo iudicem uiuorum & mortuorum, statim addit duo insigniter obseruanda, Alterum est, quòd remißio peccatorum contingat per NOMEN Christi, hoc est, non propter humanam iusticiam, sed tantum propter Christum. Alterum, quòd remißio peccatorum contingat indiscriminatim omnibus his, qui credunt in Christum. Et quidem allegat testimonium omniũ Prophetarum.

Remißio peccatorũ per quid et quibus contingat.

Quare cum in Euangelio Christi, quod Apostoli necesse habent prædicare, contineatur thesaurus meriti Christi, & donatio gratuitæ remissionis peccatorum, manifestum est, quòd & dispensatio eius thesauri non sit concessa libero arbitrio Apostolorum, multo minus Pontificum, & quòd qui non prædicant Euangelium Christi, etiamsi Apostoli, etiamsi Pontifices etiamsi Episcopi uo-

pi uocentur, non tamen sint dispensatores thesauri Christi, nec peccatorum uel remissores, uel retentores.

Sed postquam refutatus est, quantum quidem in præsentia satis uidetur, abusus Clauium, seu ministerij dispensandæ remißionis peccatorum, uideamus nunc, quis sit uerus & legitimus huius ministerij usus ac finis.

Ac primum, non est sentiendum, quòd sicut donum linguarum, & aliorum miraculorum fuit in Apostolis & aliquot alijs personale, & intercidit una cum personis ipsorum, ita & ministerium remittendi ac retinendi peccata, quod est ministerium prædicandi Euangelij, intercidit in Ecclesia una cum Apostolorum & συγχρόνων eorum personis, sed conseruatur & propagatur, diuina clementia & potentia, in Ecclesia, usque ad extremum huius mundi diem. Nam quæ miracula edita sunt per Apostolos in nomine Christi, in hoc sunt edita, ut ueritas Euangelij confirmaretur, & ministerium eius ad omnem posteritatem propagaretur. Non enim uoluit Christus tale ministerium instituere, quod esset tantum Apostolorum, sed quod esset totius Ecclesiæ usque ad consummationem seculi. Vnde quod ad Petrum nomine Apostolorum dicit, Quicquid alligaueris in terra &c. hoc idem postea ad Ecclesiam dicit: Amen dico uobis Matth. 18.

Ministerij dispensandæ remißionis peccatorum uerus usus.

uobis, quæcunq; alligaueritis super terram &c. Et Paulus: Quotiescunq; inquit, comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciate, donec ueniat. Donec, inquit, ueniat. Significat igitur haud obscure ministerium prædicandi Euãgelij perduraturum usq; ad nouissimum diem huius mundi. Quod & Christus ipse aperte docet, cũ ait: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationẽ huius seculi. Accedit huc, q̃ in oratione sua apud Iohannem, non tantũ precatur pro Apostolis, uerũ etiam pro ijs, qui per ministerium eorum crediturí sunt in ipsum, significans fore, q̃ etsi Apostoli corporali uita defunguntur, ministerium tamen eorum sit in Ecclesia duraturum. Et ad Thomam ait: Beati qui non uident & tamen credunt. Quibus uerbis indicat futurum, ut multi, etiam posterioribus temporibus crediturí sint ministerio Euangelij, & consecuturi ueram ac æternam salutem. Ministerium igitur Euangelij non erat una cum Apostolis abrogandum, sed in Ecclesia propagandum. Hinc est quod Paulus scribit, Christum ad ædificandam Ecclesiã suam non dedisse tantum Apostolos, sed etiam Pastores & doctores. Et iubet Titum oppidatim constituere presbyteros seu Episcopos, qui fideliter doceant, & possint Ecclesiam sana doctrina erudire, & contradicentes conuincere. De hac autem re non admonemur ociose, sed necessario, uidelicet,

ut

ut sciamus, quòd cum ministri Ecclesiæ huius temporis adnunciant nobis Euangelium Christi, quod Apostoli adnunciarunt, & nos credimus huic Euangelio, non minus accipiamus remissionem peccatorum, nec minus, si non credimus, retineantur peccata nostra, quàm si ipsorum Apostolorum fuissemus auditores.

Deinde, institutio huius ministerij est clarum & apertum testimonium, quòd Deus det ueniam lapsis, & recipiat pœnitentes in gratiam. Iubet enim prædicari nomine suo remissionem peccatorũ. Sicut autem Christus ait, sanos non habere opus medico, & se non uenisse ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, ita & peccatorum remissio non pertinet ad iustos, qui aut nulli sunt, aut hypocritæ sunt, quibus peccatorum remissio non est curæ, sed pertinet ad peccatores seu lapsos, qui peccata sua agnoscunt, & cupiunt liberationem. Quare cum Christus instituit hoc ministerium in Ecclesia, manifeste significat lapsos posse ueniam peccatorum consequi, & pœnitentes recipi à Deo in gratiam. Neq; id semel tantum, sed quoties peccator lapsus, conuertitur pœnitẽtia ad Dominum. Etsi enim is, qui postquam renatus est in Christo per baptismum, relabitur in ea peccata, quæ uastant conscientiam, tentat Deum periculosissime, et reddit sese ipse diuina clementia indignum, Deus ta-

Lapsi ueniam consequi possũt.

tamen tantæ est misericordiæ & bonitatis, ut non solum reuocet eum ministerio Euangelij sui ad pœnitentiam, uerumetiam recipiat, & complectatur pœnitentem summa animi beneuolentia & promptitudine, adeoq; iuramento cõfirmet clementem suam uoluntatem. Sic enim dicit apud Ezechielem cap. 33. Viuo ego, nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat.

Et apud Lucam cap. 15. testatur tribus memorabilibus parabolis, quanta Dei clementia peccator ab impietate reuertens recipiatur. Et additur: Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore agente pœnitentiam.

Et 2. Timot. 2. Si negamus, & ille negabit nos. Si increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest. Hoc est, Si deficimus uel manifesta abnegatione, uel sceleribus, à Christo, negat & ipse nos coram Deo patre suo, nec agnoscit nos amplius pro membris suis. Et tamen tanta est ueritas Euangelij eius, tanta est fides eius in seruandis pactis suis, ut cum semel inierit nobiscum fœdus in baptismo, se esse Mediatorem & reconciliatorem nostrum coram Deo Patre suo, maneat fidelis & firmus in hoc fœdere, ut nos quouis tempore, quauis hora, pœnitentia reuertentes recipiat. Seipsum enim, inquit Paulus, negare non potest. Et aliàs, Rom. 11. Dona et uocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum

rum illum pœnitere non posit. Quare etsi summa cura, studio & uigilantia opus est, ne post acceptam cognitionem Euangelij Christi, & remissionem peccatorum per fidem, relabamur in peccata, et obsequamur cupiditati carnis, tamen si quis præoccupatus fuerit, ut Paulus loquitur, in aliquo delicto, non abijciat curam salutis suæ, sed reuertatur ad Dominum pœnitentia, & consequetur per Christum reconciliationem.

Præterea, Ministerium prædicandi Euangelij & dispensandæ remissionis peccatorum, institutum est, non solum in hunc usum, ut testificetur lapsis & pœnitentibus patere receptum ad Christum, & gratiam Dei, uerumetiam, ut sit organum seu instrumentum, quo Spiritus sanctus utitur ad effundenda & communicanda dona sua, quæ ad agendam pœnitentiam, & ad consequendam salutem sunt necessaria. Nam ad agendam ueram pœnitentiam, initio necessaria est agnitio peccati, ut agnita seueritate iræ Dei, & grauitate æterni supplicij propter peccatum, exciteris ad inquirendam remissionem peccati, & liberationem. Peccatum enim tanto fauore à carne detinetur, ut homo non possit ad odium eius, & ad quærendam remissionem eius excitari, nisi agnitione iræ Dei, & grauitate supplicij, quod peccato debetur. Nec magnitudo beneficij Christi, quòd est remissio peccati,

recte cognoſci poteſt, niſi antea magnitudo peccati & damnationis noſtræ propter peccatum, cognoſcatur. Quare ad agendam ueram pœnitentiam, primum omnium neceſſaria eſt agnitio peccati. Deinde neceſſaria eſt fides in Ieſum Chriſtum, uidelicet, ut poſtquam agnoueris peccati magnitudinem, credas te propter Ieſum Chriſtum habere peccati remiſſionem, & te propter Chriſtum, Deo reconciliatum eſſe. Qui enim non credit, inquit Iohannes, Filio Dei, non uidet uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Et Paulus, Per Hunc adnunciatur uobis remiſſio peccatorum, et ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari. Per hunc omnis, qui CREDIT, iuſtificatur. Et Petrus: Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quòd remiſſionem peccatorum accipiat per Nomen eius, quiſquis crediderit in eum. Quare fides in Chriſtum neceſſaria eſt ad agendam ueram pœnitentiam. Sed poſtquam conſecutus es remiſſionem peccatorum per fidem, et reputaris iam iuſtus propter Chriſtum, neceſſarium etiam eſt, ut hanc fidem conſerues, & ut proferas fructus qui deceant pœnitentiam, & ambules conſtanter in uocatione Dei, ſiue faciendo bona, quæ Deus præcepit, ſiue ferendo mala, quæ Deus immittit. Quare neceſſaria eſt confirmatio fidei, neceſſariæ ſunt aliæ uirtutes, uidelicet, ſpes, caritas, caſtitas, temperantia, manſuetu-

Ad agendã pœnitentiã quæ neceſſaria.

Iohan. 3.

Act. 13.

Act. 10.

ſuetudo,patientia,tolerantia,& ſi quæ ſunt id genus aliæ. Etſi autem Euangelium per ſe non eſt indicatio peccati, ſed iuſticiæ, nec eſt nuncium iræ Dei,ſed gratiæ eius: Nam peccatum indicare, & iram Dei nunciare, proprium eſt officium Legis, quemadmodum ſupra expoſuimus, tamen ſicut Chriſtus ipſe,qui eſt Euangelij autor, ſuſcepit miniſterio ſuo,quo in his terris functus eſt,etiam Legem explicandam, (quod propriè fuerat officium Moſi)ut oſtenſione peccati ad ſuum ipſius proprium officium, quod erat prædicare peccati remiſſionem, perueniret: ita miniſterium prædicandi Euangelij ordinatum eſt ad hunc uſum, ut Spiritus ſanctus habeat organum ſeu inſtrumentum, quo excitet in homine agnitionem peccati, & fidem, & ſpem, & caritatem, & obedientiam, & patientiam,& omnes reliquas uirtutes, quæ ad ueram & æternam ſalutem ſunt neceſſariæ. Nam quòd hic ſit uſus huius Miniſterij, certa & manifeſta ſunt Scripturæ teſtimonia.

Ioban. 16. Spiritus cum uenerit, arguet mundum de peccato. Arguet,uidelicet,miniſterio prædicandi Euangelij,quod miniſterium in die Pentecoſtes magnis miraculis inſtituit & confirmauit.

Rom. 10. Fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Verbum igitur Dei, hoc eſt, miniſte-

rium Euangelij, organum est, quo Spiritus sanctus effundit in hominem donum fidei.

Iohan. 17. Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum. Sermo igitur Apostolicus, hoc est, Ministerium prædicandi Euangelij est instrumentum, quo utitur Spiritus sanctus ad excitandos homines, ut credant Euangelio, et habeãt remissionem peccatorum per fidem.

1. Thess. 2. Agimus gratias Deo indesinenter, q̃ cum acceperitis sermonem à nobis, quo Deum discebatis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut uere erat, sermonem Dei, qui et AGIT in uobis credentibus. Dicit sermonem Dei, qui est Euangelium de Christo, esse efficacem in credentibus. Significat igitur, prædicationem Euangelij esse instrumentum, quo Spiritus sanctus efficax est in cordibus piorum.

1. Cor. 3. Dei sumus cooperarij. Et paulò ante: Quis est Paulus? quis Apollo? nisi Ministri, per quos credidistis? Per quos, inquit, credidistis. Fides igitur, quæ est donum Spiritus sancti, datur per ministerium Euangelij. Vnde & sequitur: Ego plantaui, Apollo rigauit, Sed qui dat incrementum, Deus est. Et additur quidem: Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, hoc autem non sic intelligendum est, q̃ in conserendis arboribus Paradisi, hoc est, Ecclesiæ, plantator & rigator omnino nihil

bil faciant, ſed q̃ incrementum non ſit ipſis acceptum ferendum. Hoc enim ſi reſpexeris, nihil ſunt plantator & rigator. Sed ſi reſpexeris organum, quo Deus ſolet incrementum ſuum effundere, certe multum ſunt, & opera eorum neceſſaria eſt.

1. Cor. 5. Ego genui uos in Chriſto Ieſu per Euangelium. Significat ergo Paulus, quòd miniſterium Euangelij ſit illud medium, quo Spiritus ſanctus nos regenerat.

1. Pet. 1. Renati non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem Dei uiuentis, & manentis in æternum. Et mox: Hic eſt ſermo, qui per Euangelium delatus eſt ad uos. Si renaſcimur per ſermonem Euangelij, & renaſcentia eſt opus Spiritus ſancti, ſermo Euangelij ſit Spiritus ſancti inſtrumentum neceſſe eſt.

Sed quid multa? Paulus ad Romanos ſcribens clare docet, Miniſterium Euangelij eſſe organum illud, quo Deus confert in eos, qui credunt Euangelio, ueram & perpetuam ſalutem, Euangelium, inquiens, eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Etſi enim Deus eſt liberrimum agens, nec eſt neceſſario alligatus ad externam Apoſtoli, aut alterius miniſtri Eccleſiæ uocem, tamen quia ipſe inſtituit hoc externum prædicandi Euangelij miniſterium, utitur eo ordinarie, ad conferenda in homines ea dona, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, cum

nihilominus liceat ei, quando uiſum fuerit, pro omnipotenti ſua maieſtate, etiam ſine hoc inſtrumento ſalutem conferre. Et tamen hæc eſt ordinaria conferendæ ſalutis uia. Sicut & alias, cum Deus poßit admirabiliter, ſine agro, ſine aratione, ſine ſementi, frumenta creare, ſolet tamen ea nobis officio agricolarum, & operibus agriculturæ conferre. Quare qui miniſterium prædicandi Euangelij contemnunt, & ſperant ſe ſine huius uſu, conſecuturos ex alto dona Spiritus ſancti, hi tentant Deum, & peccant in ordinationem ac inſtitutionem Dei, & non ſolum non aſſequuntur dona Spiritus ſancti, uerumetiam traduntur tyrannidi ſpiritus mali.

Poſtremo, hoc miniſterium nõ tantum ad hunc uſum eſt inſtitutum, ut adnunciet Euangelium de remißione peccatorum, publice tantum, & uniuerſis, ſed etiam priuatim & ſingulis id petentibus. Quanquam autem omnes hi, qui credunt Euangelio, cum publice uniuerſis adnunciatur, abſoluuntur à peccatis ſuis, tamen uſus obtinuit, ut ea Euangelij adnunciatio, quæ fit priuatim, uocetur Abſolutio. Sic Chriſtus abſoluit priuatim Paralyticum, apud Matthæum cap. 9. Bono, inquiens, animo eſto fili, Remittuntur tibi peccata. Sic abſoluit mulierem peccatricem apud Lucam cap. 7. Remittuntur, inquiens, tibi peccata, Fides tua te ſaluam

Abſolutio priuata.

uam fecit, uade in pace. Sic absoluit Latronem in cruce: Hodie, in quiens, mecum eris in Paradiso. Sic & Philippus absoluit Eunuchum Act. 8. Si credis ex toto corde, licet, hoc est, si uere credis in Iesum Christum, promitto tibi per Baptismum, in nomine Christi certissimam remissionem peccatorum.

Nec committendum est, ut ex Ecclesia morem priuatim absoluendi pœnitentes & petentes abijciamus. Etsi enim Sacramenta, quæ sunt Baptismus, & Cœna Dominica, in hoc sunt instituta, ut usu eorum singulis applicetur, quod sola prædicatione uniuersis offertur, tamen quia Christus diserte dicit, quòd quicquid ministerio Euangelij soluitur in terra, soluatur etiam in cœlo, & ad se quisque multo magis pertinere existimat, quod priuatim ipsi adnunciatur, quàm quod publice uulgatur, ideo usus priuatæ Absolutionis in Ecclesia retinendus est.

Nec est, quòd obijcias, Solius Dei, non hominis esse peccata remittere. Nam solus quidem Deus remittit peccata sua autoritate, propter Christum filium suum, sed Ministerium commendauit Ecclesiæ & ministris eius. Sicut enim solus Deus confert in nos corporalia alimenta, & publicam pacem, utitur tamen ad dispensanda hæc beneficia agricolis & magistratibus, ita & solus ipse remit

tit peccata, utitur tamen ad annunciandam, & certificandam in nobis peccatorum remissionem ministerio uerbi & sacramentorum suorum, quorum functionē Ecclesiæ et eius ministris mādauit. Nam, q, debeamus prædicationē Euangelij de Iesu Christo, siue publice siue priuatim, non tanquam humanam, sed tanquam cœlestem uocē agnoscere, & excipere, testatus est Deus multis euidentibus argumentis, et magnis etiam miraculis. Cum enim Deus mitteret unigenitum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum in has terras, ut expiaret peccata nostra, et placaret iram eius, non fecit ex eo terrenum Monarcham, sed concionatorem Euāgelij. Spiritus Domini, inquit, super me, eo quòd unxerit me, ad prædicandum Euangeliū pauperibus misit me. Et iterum: Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium feram ueritati. hoc est, ut prædicem ueram religionem, uerum Euāgelium. Existimas autem, si quod ministerium in terris aut dignius, aut utilius, aut magis salutare esset, quàm ministerium prædicandi Euangelij, Deum patrem id Filio suo non mandaturum fuisse? Nunc igitur cum mandauerit ei hoc, de quo nūc loquimur, ministerium, perspicuum est, nullum esse aliud quod hoc uel dignitate uel utilitate excellat. Nec mandauit ei hoc ministerium simpliciter, sed mandauit etiam nobis uoce de cœlo sonanti, ut ipsum

ſum audiamus: Hic eſt, inquiens, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, HVNC audite. Denique iußit eum edere talia miracula, qualia nunquam in terris nec uiſa nec audita erant, ut his, Euangelium, quod prædicabat, confirmaretur.

Deinde, cum Filius Dei aſcenderet in cœlum, & emitteret Apoſtolos in orbem terræ, ut in nomine eius, miniſterio, quod ipſe obierat, fungerentur, ornauit eos tanta edendorum miraculorum claritudine, ut non ſolum loquerentur diuerſis linguis, uerumetiam in nomine eius dæmonia eijcerent, ægrotos ſanarent, ac mortuos quoque ſuſcitarent. Quod idcirco factum eſt, non ut his miraculis perſonalis Apoſtolorum ſanctitas comprobaretur, ſed ut autoritas miniſterij eorum confirmaretur, & nos certiores redderemur, quod cum audimus uocem eius Euangelij, quod Chriſtus & Apoſtoli nomine Chriſti, prædicauerunt, & in toto orbe uulgauerunt, non audiamus humanam, ſed cœleſtem uocem, cui non minorem fidem adhibere debeamus, quàm ſi Chriſtus adhuc coram uiſibilis adſtaret, & nobis Euangelium de peccatorum remißione adnunciaret. Ac uide mihi, quæſo, te, quàm ſerio alligauerit nos Deus ad uſum huius Apoſtolici miniſterij, quòd ne Angelis quidem permiſerit, ut eo fungerentur, ſed neceſſe habue- Angelis quare nõ rint

utatur Deus in adnũciando Euangelio.

rint eos, qui salutem essent consecuturi, ad Apostolos, & ad eorum Euangelium remittere.

In Act. Apostolicis cap. 5. conijciuntur Apostoli in carceres. Sed Angelus Domini aperit noctu ianuas carcerum, eductisq; illis, dixit: Ite & stantes loquamini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Quid? An non potuit Angelus ipse in templo concionari, ut non fuisset opus ministerio Apostolorum, & fortasis Angelus plus fidei apud populum habuisset? Si potuit fores carceris aperire, & Apostolos educere, ac dare eis mandata prædicandi, potuisset etiam ipse Euangelium prædicare. Sed ita uisum est Domino, ut Apostoli, non Angeli prædicarent Euangelium, uidelicet, ut sciremus nobis non esse expectandas angelicas reuelationes, sed audiendum esse Euangelium, quod Apostoli adnunciarunt, et quod ad posteros in Ecclesia transmiserunt.

In Act. Apostolicis cap. 8. Angelus Domini iubet Philippum ad Eunuchum Æthiopem accedere, & ei Euangelium de Christo adnunciare.

Cap. 10. Iubet Angelus Cornelium uocare ad se Petrum, ut discat ex ipso, quid oporteat facere.

Cap. 16. Vir Macedo, quem non dubium est Angelum Domini fuisse, stabat ante Paulum, & deprecabatur eum, ut profectus in Macedoniam succurreret ipsis. Quid, obsecro, hæc Angelorum man-

mandata sibi uolunt? An non potuerunt ipsi, ministerio prædicandi Euangelij fungi? Quid est, quòd hoc ministerium à se, in Apostolos reijciunt? Hoc uidelicet est, quòd uoluerunt significare, ad quærendam ueram & æternam salutem, non esse necessarium, ut dicamus, quis nostrum ualet ad cœlum conscendere, aut mare transfretare, ut inde afferat nobis uerbum Dei? sed iuxta nos esse, in Euangelio, quod Apostoli prædicarunt, positum, ut quod ore Apostolorum prædicatum est, hodieq; adhuc ex ore eorum prædicatur, corde credamus, & ore confiteamur.

Agamus igitur, quas possumus gratias Deo Patri Domini nostri Iesu Christi, pro beneficio huius Apostolici ministerij, ac utamur eo summa diligentia, & conferamus ad conseruationem eius in Ecclesia omnem operam nostram, ut cœlestem fructum eius, per Spiritum sanctum capiamus.

FINIS.

INDEX

INDEX IN EXPLICATIONEM CATECHISMI IOHANNIS BRENTII.

A.

Ablatorum restitutio 575
Absolutio priuata 728
Abusus dictorum sacræ scripturæ ad scommata 480
Abusus nominis Dei & uulnerum eius 481
Actiones hominum duplices 504
Adam quomodo factus sit idolatra 438
Adnunciare quid sit 675
Aduersa exemplo Christi patienter ferenda 149
Aduersa quomodo patienter ferenda 162
Aduersa non sine uoluntate Dei nobis accidunt 357
Aduersa quo consilio Deus immittat 391
Adulterium 554
Afflictionum nostrarum & passionis utilitas 150
Afflictionum ratio 357
Afflictis præsto adest Deus 325
ἀγρυπνία 159

Ali

Alimenta ſunt eleemoſyna Dei, quare non abutamur eis 367
Alimentorum repoſitio an ſit illicita 373
Alligare quid 708
Amen quid ſignificet 403
Angelica ſalutatio non eſt oratio 320
Angeli & homines mortui cur non inuocandi 320
Angelorum obedientia 360
Angelis quare non utatur Deus in adnunciando Euangelio 731
Anima pro proximo ponenda 544
Annunciationis Mariæ dies 135
Apoſtolicorum ſcriptorum certitudo 85
Apoſtoli & omnes ſancti aſſeſſores ſunt extremi iudicij 210
Apoſtoli cur dicantur aſſeſſores extremi iudicij 216
Apoſtolis quid Chriſtus commendauerit 264
Articulus de paſſione Chriſti quid admoneat 148
Ariſtæus quæ concionatus ſit pro Iudæis 433
Aſcenſionis Chriſti hiſtoria 191
Aſcenſionis Chriſti uaticinia ex Prophetis 192
Aſcenſus Chriſti quid doceat 194
Aſcenſus Chriſti non impedit præſentiam Chriſti in Cœna Dominica 660
Aſpectus impudicus 557

Auari 451
Auaricia 570
Auari pictura ibidem
Auditus uerbi 656

B

Baalitarum crux 158
Baptismus quomodo ad salutem necessarius 34
Baptismus propter duas causas accipiendus 35
Baptismi maiestas 51
Baptismus semel acceptus ualet 40
Baptisari in nomine Christi 42
Baptismus quid sit 44
Baptismi usus in tentationibus 51
Baptismi testimonia ex scriptura 53
Baptismi institutio ibidem
Baptisare quid 57
Baptisati, concione Euangelij frequenter erudiendi sunt 68
Baptismus quando prosit 77
Baptismus quomodo tollat peccatum 258
Basilidiani 165
Beneficia Dei spiritualia quomodo petenda 326
Beneficia terrena quomodo à Deo petenda ibidem
Beneficia Filij Dei præstita nobis 550
Beneficia Dei erga nos 650
Bona corporalia quomodo petantur 362

Bona opera non prohibentur 428
Bona opera ob quam causam facienda 642
Bonorum operum honor 645
Bonorum operum usus duplex 645
Bona opera declaratio nostræ gratitudinis 648

C

Cærimoniæ diuinitus ordinatæ quare à Prophetis reijciantur 625
Cain idolatra 441
Calcis & aquæ similitudo 617
Calumniæ 584
Caro quomodo crucifigatur 159
Carnis concupiscētia quomodo mortificetur 160
Carnalis natiuitas non facit Christianos per se 21
Catechismus quid sit 2
Catechismus parua Biblia 3
Catechismi usus necessarius 4
Catechumeni qui dicantur 2
κατηχέω 1
κατηχήσεις ibidem
Catholicum 228
Census legitimus non est furtum 568
Cerdoniani 166
Cham cur sit maledictus 532
Cham & Iaphet idolatræ 444
χαμευνίαι 159

Charitas fraterna 338
Chirographum Dei 155
Choreæ impudicæ 557
Christianæ religionis ueritas & certitudo 18
Christianos non facit carnalis natiuitas per se 22
Christianus unde sic dicatur 24
Christianorum felicitas & maiestas 25
Christianorum & aliorum hominum discrimen 27
Christianorum idolatria 446
Christi præfatio in institutionem baptismi 54
Christi diuinitas 124
Christi officium 128
Christi humanitas 130
Christi conceptio 131
Christi conceptionis cognitio quid prosit 133
Christi natiuitatis cognitio necessaria 135
Christi duplex descensus ad inferos 175
Christi inimici 219
Christi officium principale 412
Christi iusticia in ipsum credentium iusticia 637
Christi commemoratio quid sit 673
Christo tribuitur gloria diuina 126
Christum sedere ad dextram Patris 198
Christus solus uere est Iesus 115
Christus filius Dei unigenitus 125
Christus dicitur Dominus Zebaoth 116

Christus non tantum nuncupatiuus Deus 128
Christus non est à seipso, sed à Deo patre 129
Christus splendor gloriæ Patris ibidem
Christus uerus homo 132
Christus cur susceptit crucis supplicium 152
Christus quid cruce sua nobis impetrauit 154
Christus in sepulchro quam rem confecerit 171
Christus quomodo Patriarchas ex inferno eduxerit 177
Christus quando & quomodo sedeat ad dextram Patris 199
Christus est iudex orbis totius in die nouissimo 209
Christus an puniat impios ante nouissimum diem 218
Christus Apostolis quid commendauerit 264
Christus promulgauit Decalogum 410
Christus Decalogi & Euangelij promulgator 412
Christus sine peccato 636
Circumcellionum crux 159
Claues regni cœlorum 696. 698
Clauibus abutuntur Pontifices Romani 706
Clauium promissio non ad solam Petrum pertinet 708
Clementiæ & bonitatis Dei testimonia 88
Clementiæ & bonitatis diuinæ exempla 89

Cœ-

Cœlibes & uirgines 565
Cœlum & terra quid significent 105
Cœna Dominica à quo instituta 665
Cœna Domin. instituta pro tota Ecclesia ibid.
Cœna Dominica sacramentum 659
Cœna quare dicatur sacrificium 675
Cœna Dominica non sit priuata sacrificuli actio 676
Cœnæ Dominicæ obseruatio non ad tempus certũ alligata 667
Cœnæ Dominicæ usus principalis 662
Cœnæ Dominicæ species utraq; instituta 669
Cœnæ Dominicæ finis proprius 670
in Cœnæ Dominicæ institutione quæ Christus præcipue fecerit 683
Cœnam Dominicam sumentes ibidem
Cœnam Dominicam sumere uolentes, quomodo se ipsos probent 685
Cœnam Dominicam digne sumentium, utilitas 687
Cogitationes à uectigali liberas esse 606
Commodi & incommodi ex ueritate & mendacio collatio 591
Communitas rerum qualis sit 573
Communio sanctorum cur doceatur 243
Communio sanctorum quæ sit 245
Cõmunio Ecclesiæ in quibus consistat reb. 246

conceptionis Christi cognitio quid prosit 133
concio prima de religione Christiana 18
concio prima passionis Christi 146
concupiscentia fœda 557
concupiscentia alienarum rerum 598
concupiscentia quomodo compescenda 602
concupiscentiæ & ipsius operis discrimen 605
concupiscentia carnis quomodo mortificetur 160
confectio luti 666
confessio Christi & Euangelij 490
coniugij commendatio 560
coniugium non pertinet ad futurum seculum 278
conuersatio inter Christianos per se non facit Christianos 22
cooperarij Spiritus sancti quomodo efficiamur 548. 578. 590
corpora resurgentium quare dicantur spiritualia 276
corpora damnatorum an resurgant 277
corporalia bona quomodo petantur 362
corpus Christi post resurrectionem cur ad tempus uisui & tactui obnoxium 277
creaturarum gemitus duplex 31
creaturarum cum Deo reconciliatio 154
creationis mundi usus 113

credere in Iesum Christum quid sit 22.70
credere quid sit 70
crux Christi quid in nobis efficiat 158
crux duplex 159
crux Baalitarum 158
crucis supplicium cur Christus susceperit 152
crucis Christi utilitates 153
crucis supplicium omnium maxime horribile 157
crucis Christi abusus 162
crucis signaculum 163
cruce sua quid nobis Christus impetrauerit 153
cupiditatum assensus 598

D.

Danielis statua terræ regna significans 345
Debita ciuilia sunt soluenda 376
Debita spiritualia 377
Decalogi promulgator Christus 410
Decalogi usus quis 415.418
Decalogi diuisio 431
Decalogi abrogatio 422.424
Decalogi cærimoniæ 422
Decalogi impletio 426
Decalogi partes 431
Decalogi usus spiritualis, uidelicet, ostendere peccata 611

Decalogi profectio 611
Decalogi doctrinam non sufficere ad iusticiam 612
Decalogi promulgatio ad salutem necessaria 618
Decalogi usus ad iustificatos pertinens 622
Decalogi usus posterior ibidem
Decalogi & operum nostrorum collatio 629
Decalogi impletio & iustificatio coram Deo 636
Decalogo an perfecte satisfiat nostris operibus 628
Decalogus quibus miraculis sit promulgatus 413
Decalogus ante promulgationem rationi cognitus 416
Decalogus an pertineat ad nouum Testamentum, & quomodo impleri debeat & possit 422
Decalogus reddit peccatum illustrius 616
Decalogus in quem usum sit nobis datus 690
Defensio ordinaria licita est 386
Dei præsentia in baptismo 415
Dei in baptismo negocium 46
Dei præsentia & operatio quomodo cognoscatur 47
Dei clementiæ & bonitatis testimonia 88
Dei omnipotentiæ testimonia 101
Dei uoluntas duplex 353
Dei uoluntas est spiritualis 353

Dei potentia 401
Descensus Christi duplex ad inferos 175
Descensus Christi ad inferos testimonia 174
Descendere ad inferos 176
Detractiones de bona fama alterius 174
Detractor homicida triplex 542
Deus quibus rebus præsentiam suam patefecerit 48
Deus in baptismo se reuelat uerbo & signo ibid.
quòd sit Deus 80
Deus discitur ex duplici libro ibid.
Deus quibus modis se patefecerit humano generi 86
Deus omnium bonorum remunerator 87
Deus uocatur ὁ ἀγαθὸς ibidem
Deus est osor & seuerissimus uindex peccati 88
Deus est longanimis 91
Deus unus & tres personæ diuinitatis 94
quòd Deus habeat Filium 98
Deus quibus rebus omnipotentiam suam patefecerit 102
Deus conseruat res creatas 108
Deus quomodo sit Pater hominum 334
Deus quomodo tentetur 393
Deus cur inuocandus 400
Deus rex cœli & terræ 401

Deus est omnium rerum optimus dispensator & sapientissimus administrator 606
Dextera quid sit 201
Diabolus quomodo pellatur 165
Dies festi quomodo uere & pie obseruentur 516
Dilectio nostra quomodo Deo placeat 470
Dilectio uera erga Deum quomodo probetur ibidem
Dilectio proximi qualis sit 543
Dilectio Mosi 545
Dilectio Pauli ibid.
Dilectio Dauidis 546
Dina filia Iacob 565
Diuinitas Christi 124
Docendi ministerium à Christo institutum 56
Docendi qui sint ibidem
Doctrinæ genus certum tenendum 61
Doctrina de clauibus quid tradat 696
Duo à Deo præcipue præcepta 471

E.

Ecclesia 228
Ecclesia non sunt omnes homines seu totus mundus ibid.
Ecclesia seu populus Dei certus in terris 230

Ecclesia quæ sit deserenda 233
Ecclesia non est alligata ad certum genus hominum 234
Ecclesia non est alligata ad certum locum 236
Ecclesia ubi quærenda sit 236
Ecclesiæ signa ibid.
Ecclesiæ sanctitas 239
Ecclesia cur dicatur sancta 240
Ecclesia dispersa habet coniunctionem 243
Ecclesiæ communio in quibus consistat rebus 246
Ecclesia habet peccata in terris 378
Electio 335
Epicurei 448
Epicurei & impij Christiani 280
Episcopi sunt alligati ad Ecclesiam, non Ecclesia ad Episcopos 235
Euangelium quid sit 66
Euangelium omnibus hominibus prædicandum 68
Euangelium credendum est 70
Euangelij prædicatio cur instituta 453
Euangelij prædicatio clauis est regni cœlorum 699
Exemplum de Vnctione Dauidis in Regem 37

Exemplum de benedictione coniugij 38
Exemplum de inuestitura 40
Exemplum de fœderibus & stipulationibus 41

F

Falsa doctrina 583
Falsum testimonium coram iudicio 582
Festi dies quomodo uere & pie obseruentur 510
Festi dies quomodo diebus seruilibus impleantur 521
Fides abscondita in infantibus 32
Fides reuelata in adultis ibidem
Fides in Christum Iesum facit Christianos 22
Fides, spes, caritas opera legis sunt 292
Fides, spes, caritas, sunt dona Dei, non Deus ipse 293
Fides, spes, caritas in hac uita in nobis nunquam sunt perfectæ 294
Fides sit certa, non dubitans 295
Fides organon est, quo applicantur beneficia Dei 302
Fides formata charitate 310
Fides Patriarcharum & nostra una est 454
Fides hosti data seruanda 473
De fide infantium 28

Fide ſola iuſtificamur 307
Fide cor hominis renouatur 317
Fide implemus mandata Dei, quomodo intelligendum 468
Per fidem, non propter fidem iuſtificamur 304
Fidem ſequuntur bona opera 268
Fidem de reſurrectione ſequitur nouitas uitæ 190
Fidei Chriſtianæ utilitas 288
Fidei officium duplex 310
Fidei in Chriſtum triplex utilitas 311. 315
Filij Dei obedientia 359
Filij Dei Epitheton 427
Filij Dei beneficia erga nos 550
Fornicatio ſimplex an ſit peccatum 555
Furtum uulgare 567

G.

Gedancken ſind zoll frey 601
Gemitus creaturarum duplex 31
Genuflectio ad nomen Ieſu 118
Genus & familia Chriſti 137
Geſtus appetitus ſeu cupiditatum 599
Gloria diuina tribuitur Chriſto 126
Gloria Dei 402
Goth idem cum Guth 88
Gratia ſecundum Monachos quid 291

Gratia 293
Gratiarum actio 490
Gratitudo & beneficentia 574
Gratitudo filio Dei debita 693

H.

Hæreſes 479
Hæretici 449
Hæreticum 228
Hæreticorum conuenticula fugienda 232
Helluationes uitandæ 498
Herodes conſumptus à uermibus 220
Hiſtoria de Dionyſio Syracuſano & Damocle 73
Hiſtoria aſcenſionis Chriſti 191
Hodie uocabulum eximit è cordibus noſtris impiam ſollicitudinem 371
Homicidarum gradus quatuor 540
Homicidium externum ibidem
Hominis officium & ſtudium præcipuum 13
Hominis conditio poſt lapſum 630
Hominum actiones duplices 504
Homines quomodo fiant ſalui 74
Homo quid ſit, cum ſit ex fide in Chriſtum Chriſtianus 24
Homo natura ſua infœlix & damnatus 71
Homo cur fide in Chriſtum & baptiſmo ſaluetur 76

Homo si non peccasset, an mansisset perpetuo in hac corporali uita 283
Honor Christo debitus 643
Honorare verehren 528
Honoris nomine quid sit intelligendum 525.526. 527. 528. & 530
Horæ Canonicæ 324
Humani generis tres partes 446
Humanitas Christi 130
Hypocritæ & impij multi in Ecclesia 233
Hypocritæ Christiani 450
Hypocrisis 583

I.

Iactantia & gloriatio de donis Dei 486
Idolatrarum catalogus 436
Idolatræ omnes homines 440
Idolatria usq; ad diluuium 442
Idolatria post diluuium 443
Idolatria Iudæorum 445
Idolatria Christianorum 446
Idolatria prohibita 447
Idolatriæ species 448
Idolatriæ punitæ exempla 460
IESVS 114
Iesus quibus sit Iesus 116
Iesus quomodo saluet 117

Ieſus recte dicitur Chriſtus 120
Ieſus qualis Chriſtus ſeu rex 120
Ignauia & mendicitas 569
Imagines an prohibitæ 423
Imaginum cultores 451
Imaginum uſus quatenus prohibitus 474
Imaginum adoratio omnibus prohibita 475
Impatientium ſermones 486
Impletio ſecundi præcepti 493
Impletio quinti præcepti 547
Impletio ſexti præcepti 560
Impletio ſeptimi præcepti 575
Impletio octaui præcepti 588
Impletio duorum præceptorum de concupiſcentia 601
Impij ſæpe puniũtur in hoc ſeculo diuinitus 219
Impoſtura in contractibus 567
Impoſitio manuum 666
Impoſitio ſudariorum ibid.
Infantium fides abſcondita 32
Infantes Chriſtianorum ſunt in numero populi Dei coram Deo 29
Infantes habent fidem 30
Infantes eſſe baptiſandos 58
Infernum quomodo Chriſtus deſtruxerit 179
ex Inferno, quomodo Chriſtus Patriarchas eduxerit 177

Inimici diligendi 544
Inuocatio uera 489
Inuocationis ueræ fructus 314
Inuocationis ſolius Dei teſtimonia 322
ut Inuocemus Deum ut patrem quid efficiat 313
Ira uirulenta 540
Ira uulgaris prohibita 541
Iudæi 448
Iudæorum idolatria 445
Iudæi perierunt 221
Iudicij extremi teſtimonia 207
Iudicij extremi ſententia pronunciabitur ſecundum Euangelium Chriſti 215
Iudiciorum publicorum confirmatio. 588
Iudex totius orbis Chriſtus 209
Iudicandos omnes homines 211
Iulianus Apoſtata iaculo confoſſus occubuit 221
Iuramenta uulgaria 481
Iuramenti impij & iniqui diſcrimen. 483
Iuramenta cum conditione 484
Iuramentum impium ibid.
Iuramẽtum impium quàm graue peccatum 485
Iuſtificationis uera doctrina 296
Iuſtificari ibidem
Iuſtificamur non propter, ſed per fidem 304
Iuſtificatio uera 308

Iustus 297
Iustitia ibid.
Iustitia in contractibus 574

L.

Labor infidelis 568
Lapsos post baptismum recipi in gratiam 261
Lapsi ueniam consequi possunt 721
Leges de liberis conuiciatoribus & percussoribus parentum 532
Legis siue Decalogi usus 418.420
Legis usus ciuilis 610
Lex à renatis duobus modis impletur 317
Liber duplex ex quo discimus Deum 80
Liber naturæ quid de Deo doceat 81
Liber scripturæ quid de Deo doceat 86
Liberorum obedientia in quibus sita 534
Liberi quomodo excitandi ad obedientiam 537
Libertatis in Christianismo abusus 506
Locus natiuitatis Christi 139
Longæuitatis nomine quid intelligatur 531
Longanimitatis diuinæ testimonia 92
Longanimitatis diuinæ exempla ibid.
Lusus in alterius damnum 570

M.

Magia 479
Magi 451
Mahumetistæ 166.450

Malum triplex 397
Malum pœnæ 109
Malum culpæ 110
de Malorum origine 198
Malum quomodo deprecemur 308
Manichæi 166
Maximini decretum 434
Melchiſedec typus Chriſti 130
Mendacia ſatanæ de paßione et morte Chriſti 165
Mendacium 585
Mendacium ignorantiæ ibid.
Mendacia ſanctorum 586
Mendacia labia abominatio Deo 593
Mendacium ironicum 586
Mercedis uocabulum 653
Merito ſolius Chriſti confidendum et orandũ 329
Meritorum humanorum abrogatio 380
Meritum paßionis quomodo applicetur 149
Miniſterij euangelici inſtitutio 701 (716
Miniſterij remittendi & retinendi peccata abuſus
Miniſterij diſpenſandæ remißionis peccatorum uerus uſus 719
Miniſterium euangelij quale organon 727
Miniſtri Euangelij quatenus audiendi 702
Mißifices 450
Miſſa papiſtarum 671
Miſſariorum ſacrificulorum impietas 677

Missarij sacrificuli à Christo non instituti 678
Mollicies 556
Monachi 450
Monachorum doctrina de iustificatione impij 29
Mors Christi quid sit 674
Mortis Christi utilitas 167
Mors quomodo sit abolita 168
Mortui cur non inuocandi 321
Multiloquium uitandum 497
Mundi materialis causa 107
de Mundi origine 106
Mundi anni 111
Mundi finis seu dies ultimus 112
Mundanæ uitæ confusio 285

N.

Natiuitatis Christi utilitas 140
Negligentia parentum & mores 8
Nomen Dei 340
Nomen diuinum prætextus iniustarum cupiditatum 487
Nostrum & nobis admonent pro tota Ecclesia orandum 367

O.

Obedientia nostra quomodo Deo grata sit 316
Obedientia qualis Deo præstanda sit 359
Obiectio de usu Sacramentorum 452

Oblatio sacrificulorum non instituta 662
Obscœna uerba uitanda 556
Occam impia propositio de imaginibus 477
Ocium sabbatorum 512
Ocium fugiendum 564
Odium & inuidia cur remittenda 557
Officium patrisfamilias 6
Omnipotentia Dei quibus rebus patefacta 102
Omnipotentiæ diuinæ cognitio quid prosit nobis 103
Omnipotentis Patris & terrenorum patrum collatio 104
Opera supererogationis 291
Opera hominis ante regenerationem 292
Opera legis quæ dicantur 305
Opera sabbati 509
Opera præceptorum præferuntur sacrificijs 523
Opera quæ placeant Deo 623
Opera impiorum an satisfaciant legi 631
Opera piorum quomodo placeant Deo ibid.
Opera debent sequi fidem 648
Opera bona declaratio nostræ gratitudinis 649
Oratio Christianorum arma, anchora, asylum 319
Orationis tria genera 323
Oratio domestica seu puerilis ibid.
Oratio Ecclesiastica seu publica ibid.
Oratio spiritualis seu priuata 324

Orationis Dominicæ commendatio 331
cuius fiducia Orandum 404
Orationis Dominicæ autor 405
Orandum ſemper 407
Oſtium regni cœleſtis 697

P.

Panis & uini conſecratio 679
Panis & uinum cœnæ Dominicæ 659.667
Panis quid 362
Panis quotidianus 369
Parentum negligentia 9
Parentum nomine qui comprehendantur 525
Parentum officium erga liberos 534
Parſimonia 574
Paßio Chriſti ab initio mundi adnunciata & adumbrata multis figuris 145
Paßionis Chriſti prima Concio 146
Paßionis Chriſti articulus quid admoneat 148
Paßionis & afflictionum noſtrarum utilitas 150
Paßionum publicarum genera 151
Paßionis & mortis Chriſti ueritas 166
Pater quare ita dicatur 98
Pater eſt nomẽ eſſentiale in oratione Domin. 333
Patientia in aduerſis 395
Pacientia in paupertate 575
Peccati autor 110
Peccatum in renatis 239

peccata omnia remittuntur propter Christũ omnibus 256
peccatũ reliquum in renatis non imputatur 257
peccatorum remißio contingit gratis 379
peccatorum condonatio gratuita est 386
peccatorum magnitudo & grauitas 685
peiuria 482
periculis non temere nos obijciamus 393
persona Iesu 122
persona matris Iesu 369
petitionum epitome 396
petitionum ordo 361
Phariſæi 449
pietatis præmium 462
pietatis neglectus in hominib. 12
pij omnes fratres ſunt 337
Pilatus quis fuerit 143
Pilati cur fiat mentio 144
plenus uenter non ſtudet libenter 518
ad pœnitentiam agendam quæ neceſſaria 723
pœnitentes non petentes ueniam 262
pontificum uana iactantia de remißione peccatorum 264
pontifices Romani abutuntur clauibus 707
prædicationis Euangelij uſus 304
præmia ſeruati & ſupplicia uiolati primi præcepti ac totius Decalogi 458. 530

Præmium pietatis 461
Præsentiæ Christi promißio in miniſterio Euange lij 62
Præsentiæ Dei reuelatio 47
Primitiarum oblatio quid ſignificauerit 366
Primi præcepti ſententia 435
Prodigalitas 569
Promißiones Dei contra cursum rerum natura- lem 104
Propheticorum ſcriptorum autoritas in uniuerſo mundo 83
Propheticorum ſcriptorum uetuſtas ibid.
Propheticorum ſcriptorum certitudo & ueritas 84
Proprietas facultatum diuina eſt ordinatio 571
Proſpera quo conſilio Deus concedat 391
Proximus quis ſit 543
Pudicitia 558

Q.

Quæ in primo præcepto prohibeantur 447
Quæ in primo præcepto mandentur 456
Quæ ſecundum præceptum prohibeat 479
Quæ tertio præcepto prohibeantur & quæ man- dentur 503
Quæ octauo præcepto prohibeantur 582
Quæ octauo præcepto mandentur 586
Quæ duobus ultimis præceptis prohibeantur 597

Quid efficiat ut inuocemus Deum ut Patrem 313
Quid faciendum sit ut quartum præceptum ser-
uetur & impleatur 533
Quid in quinto præcepto prohibeatur 538
Quo merito & qua fiducia orandum 328
Quomodo primum præceptū impleatur fide 466
Quomodo impleatur primum præceptum obedi-
entia operum 469

R.

Reconciliator Christus 301
Redemptio & placatio uera 300
Redemptio & propiciatio tribuitur Christo ibid.
Regnorum duo genera 204
Regnum Dei & æternum 345
Regis officij tres partes 127
Regularum obseruatio non redimit peccatorum
remissionem. 265
Rehabitæ 532
Religionum genera 17
Religio uera 453
Religio falsa 454
Religionis nostræ fructus in quo articulo trada-
tur 279
Remissio peccatorum quo merito contingat 254
Remiss. peccatorum quàm late pateat 256
Remissionis peccatorum consequendæ uia 264
Remiss. peccatorum quomodo redimatur 266

Remißio peccatorum non accipitur niſi per fidem 266
Remißio noſtra 381
Remißio peccatorum non eſt collocata in noſtra remißione ibidem
Remißio debitorum collocata eſt tantum in Filio Dei Ieſu Chriſto 384
Remißio alienæ iniuriæ non eſt meritum 385
Remißio peccatorum per quid & quibus contingat 718
Remittere & retinere peccata quid ſit 715
Reſurrectionis Chriſti teſtimonia 182
Reſurrectionis Chriſti utilitas 186
Reſurrectio Chriſti noſtra reſurrectio 188
Reſurrectionis fidem ſequitur nouitas uitæ 190
Reſurrectio carnis fructus reſurrectionis Chriſti 269
de Reſurrectione mortuorum opiniones uariæ & falſæ 270.
de Reſurrectione mortuorum uera ſententia ibid.
Reſurrectio mortuorum qromodo probetur à Paulo 273
Reſurrectio quali corpore futura ſit 275

S.

Sabbati obſeruatio 423.501
Sabbatorum ocia ridentur à ſapientib. mundi 511
Sabbati uiolati ſupplicia 514

Sabbatum Iudaicum abrogatum 535
Sacerdotum unctio 119 (453
Sacramẽta & prædicatio Euangelij cur instituta
Sacramentum quid 657
Sacræ scripturæ autoritas 82
Sacræ scripturæ duo genera 705
Sacrificia umbra ueri sacrificij 146
Sacrificia cur instituta 453
Sancti qui dicantur 245
Sanctorum una felicitas & uita æterna 249
Sanctificari 340
Satan 436
Satanæ insidiæ & furor aduersus Christum 123
Satanæ peccatum ab initio 437
Scala cœli Christus 697
Scelerati 487
Scribæ & doctores quando audiendi 704
Scortatio 554
Secundum quam legem Christus pronunciaturus est sententiam extremi iudicij 213
Sedere quid significet 200
Sedere ad dextram Patris 198. 199
Sepulturæ Christi historia 170
Sepultura peccatorum 172
Sepulchrorum consecratio ibidem
Sermones prophani 479
Sessionis Christi ad dextram Patris utilitas 201

Seueritatis diuinæ testimonia 90
Seueritatis diuinæ exempla ibidem
Sobrietas 518.558
Sola fide quomodo intelligendum 308
Sollicitudo uictus quomodo sit prohibita 363
Sollicitudo duplex 364
Sollicitudo pia & impia ibid.
Solonis lex cur alimēta neganda parentib. 536
Soluere quid 708
Spiritus quid significet 223
Spiritus sancti essentia ibidem
Spiritus sancti officium 225
Spiritus sancti organa quomodo efficiamur 562
Suffuratio 569
Superbi 451
Suspitiones malæ 585
Symbola tria 78
Symbolum Apostolicum unde sic dicatur 79
Symbolum Apostolicum in quem usum collectum 286

T.

Talentum Atticum 387
Tempus aduentus Christi 138
Tentatio an sit à Deo 389
Tentationes quomodo deprecemur 390
Testimonia q̄ sit unus Deus 95
Testimonia trinitatis ibidem

Teſtimonia de deſcenſu Chriſti ad inferos 174
Teſtimonia de remißione remanentis peccati in renatis 259
Teſtimonia uitæ æternæ unde petenda 281
Teſtimonium falſum coram iudicio 582
Tranſſubſtantiationis error 681

V.

Verbum maledicum 542
Verbum contumelioſum ibid.
Veritas quàm late pateat 587
Veſtitus impudicus 557
Via uera æternæ ſalutis 75
Virtutes quinti præcepti 558
Vita corporalis non uere uita eſt 284
Vitæ æternæ ſtabilis fœlicitas 285
Vitæ neceſſaria dari à Deo 365
Vitæ neceſſaria tantum petenda ſunt 370
Viui & mortui qui dicantur 212
Vnctio Dauidis in regem 37
Vnctio regum, qui & Meßiæ dicti ſunt 119
Vnctio Ieſu 120
Vnctio 666
Vocatio noſtra 249
Voluntas Dei duplex 351
Voluntas Dei ſpiritualis eſt 353

Voluntati diuinæ præstanda est obedientia 357
Vsura illicita 568

Z.

Zebaoth 126
Zelus seu ira bona 548

FINIS INDICIS.

VVITTEBERGÆ TYPIS EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

M. D. LIII.


INRI



